IUSTA DEFENSIO ADVERSUS CONVICIA ET IMPOSTURAS...

François : de Fourmestraux

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 I
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4. 3. 20.
44
D
14

IUSTA DEFENSIO

ADVERSVS CONVICIA ET IMPOSTVRAS

PSEVDOPHILALETHIS

VANVM THOMISTARUM TRIVMPHVM

DE SCIENTIA MEDIA

TEMERE NVPER JACTANTIS.

EXPONVNTVR EIVSDEM ERRORES,

ET INANIS CONATVS

AD CONCILIANDOS PSEVDO-AVGVST. DISCIPVLOS

CUM NEOTERICIS THOMISTIS

AVCTORE

R. P. FRANC. DE FOURMESTRAUX

SOCIETATIS JESU

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Bibl. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DVACI, Typis MARIÆ SERRVRIER ſub ſigno Salamandræ Anno 1673.

Digitized by Google

APPROBATIO

HÆc juſta defenſio, auctore R. P. FRANCISCO DE FOURMESTRAUX Societatis Jesv Theologo, nullatenus fidei orthodoxæ, aut bonis moribus adverſatur: ſed inanes eſſe *Pſeudophilalethis* ante victoriam triumphos, moderatè oſtendit. Quapropter illam prælo dignam cenſeo. Duaci die 9. Octobris 1673.

MATTHIAS GERTMAN.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVÆRIS, amice Lector, quis ille ſit *Pſeudophilalethes*, cujus cenſuras prohibitas, calumnias, convicia, impoſturas, errores, & inanes conatus in vana pacis fœdera diſcipulorum Pſeudo-Auguſtini cum Neotericis Thomiſtis retegere aggredior? ille ipſe eſt, qui nuperrimè ſub ſpecioſo *Philalethis* nomine triumphum edidit Thomiſtarum prorsùs umbratilem. Hâc præclarâ nomenclaturâ exuendus eſt. Cùm enim alium ſe finxerit, ac erat, & inanem triumphum ſuum impoſturis & erroribus deformaverit; jure optimo deinceps vocandus eſt *Pſeudophilalethes*. Sic res habet: Duaci anno 1669. typis Ioannis Patté, in lucem prodierat Scientia Media autoritatum pondere, & veritate geſtorum validiſſimè propugnata à Germano Philalethe Eupiſtino. Hoc nomen induerat R. P. Jacobus Platel Societatis Jesu, ut nomine ipſo veritatem, quàm ſollicitè quæſierat, profiteretur. Diſplicuit opus *Pſeudophilalethi*, & Scientiæ Mediæ palmas ſuas illic relatas invidit. Continuò igitur contra ſcribere aggreſſus; nec tam atramento, quàm felle calamum imbuens, manuque præcipiti ex nimio ardore deproperans, anno ſe-

quenti

Digitized by Google

quenti Duaci librum vulgavit, quem inſcripſit *Scientia media ad examen revocata per Germanum Philalethem Eupiſtinum.* Non ſatis illi fuit prioris Philalethis nomen aſſumpſiſſe; ſed in ſua ad Lectorem præfatione non erubuit eundem ſe inſigni dolo fingere, qui re maturius expensâ deceptum ſe in priori ſuo Opuſculo agnoſcens palinodiam in poſteriori caneret. Dignum equidem *Pſeudophilalethe* commentum: dignæ illo plurimæ, quibus ſcientiam mediam traducit, palpabiles impoſturæ: digni eodem multiplices, quibus liber turget, errores graviſſimi.

Non hæſere in prima editione ardentes conatus *Pſeudophilalethis*; ſed ex modeſto adverſariorum ſilentio audacior factus, duobus poſt annis in altera ejuſdem libri editione, ut paginis, ita impoſturis & calumniis auctiore, ridiculè triumphum cecinit Thomiſtarum minimè ipſe Thomiſta: vel hoc nomine ipſis etiam Thomiſtis non parum injurius, cùm in hoc triumpho ſuo ex impoſturis & erroribus concinnato Thomiſtam non agat niſi ſpurium. Vnde hoc nomine illum inſignivi; ut eum diſtinguerem non modò ab antiquioribus Thomiſtis; ſed etiam ab hodiernis, quorum doctrinam de phyſica prædeterminatione, quamvis improbem, non habeo tamen quod ullius erroris arguam.

Hunc ſuum umbratilem triumphum, quæ viri modeſtia eſt, illis ipſis, videlicet inclytis, ut vocat, Almæ Societatis IESU Profeſſoribus, per publicum ludibrium voluit dicatum, quos à ſe velut devictos inani

Digitized by Google

inani ſtrepitu trahit jactabundus in triumphum. Non erubuit illis offerre ſuam in eos maledicentiam, cenſuras graviſſimas, quas eorum doctrinæ inurit: impoſturas falſiſſimas, quibus ſcientiam mediam ab ipſis propugnatam iniquiſſimè deturpat: errores plurimos à quibus maximè abhorrent. Suas denique adversùs Ethicam Societatis ut Chriſtianæ diſciplinæ corruptricem intolerandas calumnias.

Quid faciat tot ſtimulis laceſſita modeſtia, trium annorum ſilentio omnibus teſtatiſſima? pergatne diutius tacere? equidem id optaſſet; veretur enim ne ex hac vehementiori contentione oriatur aliquod fidelibus ſcandalum, Heterodoxis gaudium, atque inter viros Deo dicatos, inter quos contenditur, animorum non leve diſſidium. Verùm ſi longius protrahatur ſilentium, fidem invenient apud pleroſque minùs oculatos iniquiſſimæ *Pſeudophilalethis* accuſationes adversùs doctrinam noſtram; & paulatim Lectores minùs cautos occupabit larvatus in eo Ianſeniſmus. Non licet igitur nobis diutius ſilere ſine famæ noſtræ, & fidei orthodoxæ non mediocri diſpendio: maximè cùm adverſarii noſtri diſperſa Opuſcula per totam Europam jam volitent.

Accedit quod in poſterioribus editionibus ſæpius ſilentium noſtrum exprobret, & reſpondendi impotentiam interpretetur. Ne igitur ita eſſe non pauci ſibi perſuadeant; ſi diutius calamum contineamus, neceſſe eſt ut objectas criminationes diluamus, & perverſa adverſarii dogmata retegamus. Vnum tamen volo Lectorem monitum, ne autu-

Digitized by Google

met hoc Opuſculo omnia concludi quæ in *Pſeudophilalethe* caſtiganda ſunt: multa enim prætermiſi, quod tantillâ lucubratione capi omnia non poſſent: nec mihi tradendis lectionibus Theologicis non parum occupato ſuppetat tempus grandiori volumini conficiendo.

Itaque ex omnibus delegi, quæ mihi viſa ſunt doctrinæ noſtræ magis contumelioſa, apertius falsa, & rectæ fidei magis repugnantia: eritque, ut ſpero, id utilius Lectori; ita enim fiet, ut rerum multitudine minimè obrutus, clarius videat malas artes *Pſeudophilalethis* ad traducendam ſcientiam mediam & damnatos Ianſenii errores callidè diſſeminandos.

Non leve illud præjudicium eſt de doctrinæ ejus falſitate, quod illam, dum ſcientiam mediam impugnat, ex Ianſenio deſumpſerit, & quidem quandoque ad verbum; atque ex eodem errores ſuos hauſerit, ut pluribus locis in decurſu oſtendetur. Dum autem Moralem noſtram impetit, arma ſua accipiat ex Anonymo quopiam Scriptore corruptiſſimo, cujus exitioſa & contumelioſiſſima lucubratio adversùs Ethicam noſtram, juſſu Chriſtianiſſimi Regis non ita pridem Lutetiæ Pariſiorum manu carnificis palam lacerata eſt & flammis tradita,; ut infra conſtabit ex utriuſque collatione.

Unum doleo *Pſeudophilalethem* reformati Carmeli arctiorem diſciplinam Profeſſum; atque adeò magnæ Matris Thereſiæ filium, quæ Societatem noſtram maximo ſemper habuit in pretio & amore, eò deveniſſe ut præcipuam ejuſdem Societatis do-

ctrinam

ctrinam cùm Scholaſticam, tum Moralem cenſuris vetitis, conviciis, & calumniis maxima ex parte ex Ianſenio, & neſcio quo calumniatore Anonymo mutuatis fœdiſſimè lacerarit.

Confido futurum, ut per ſapientiſſimos hujus Illuſtriſſimi & Religioſiſſimi Ordinis Moderatores, *Pſeudophilalethis* calamus deinceps cohibeatur. Ut ſunt oculatiſſimi, facilè advertent quàm ſit res plena diſcriminis, Theologiæ Lectorem aliis erudiendis majorum autoritate conſtitutum, in Fratrum ſuorum animos, quos erudit, Ianſeniſmum artificiosè larvatum inſtillare.

Meminerint Theſes publicas alterius Lectoris hujus prædeceſſoris autoritate Magnifici Domini Rectoris Almæ hujus Univerſitatis Duacenſis prohibitas propugnari, quod damnatas aliquas Ianſenii propoſitiones ſatis apertè continerent. En malum ſerpit, & in *Pſeudophilalethe* cum incremento redivivum altiores agit radices, nec leve periculum eſt, ne quos inſtruit, inficiat.

Alterum etiam malè me habet, quod in exponendis conviciis, in calumniis refellendis, & confutandis erroribus difficile admodum ſit, ita calamum aptare: ut aculeo ſuo non pungat nimium; ita temperare, ut nihil acerbius, nihil amarius ex eo effluat: nam alterius expoſuiſſe convicia; idem videtur, ac alterum conviciatorem dixiſſe; impoſturas demonſtraſſe; idem ac impoſtorem appellaſſe: errores circa fidem confutaſſe; idem ac errantem in fide pronuntiaſſe. Ego verò horum

omnium

omnium ſic *Pſeudophilalethem* reum perago ; ut credam illum zelo bono ; ſed non ſatis maturo , ad ea omnia quæ ſcripſit , impulſum fuiſſe ; proindéque non ut decipienti indignandum , ſed ut decepto parcendum.

Digitized by Google

INDEX

CAPVT, PRIMVM

PSEVDOPHILALETHIS CONVICIA;

CALVMNIÆ ET CENSVRÆ PROHIBITÆ.

SECTIO 1. Contumeliæ & cenſuræ vetitæ adverſus ſcientiam mediam pag. 2.

§. 1. *Decreta Pontificum cenſuras & verba contumelioſa prohibentium.* *pag.* 2.

§. 2. *Exponuntur Pſeudophilalethis convicia & cenſura prohibitæ.* *pag.* 8.

SECTIO 2. Cenſuræ Lovanienſium & Duacenſium auſu ſacrilego à Pſeudophilalethe innovatæ contra expreſſam prohibitionem Sedis Apoſtolicæ. *pag.* 13.

§. 1. *Edictum Octavii Nuncii Apoſtolici prædictas cenſuras auctoritate Apoſtolica reprobantis.* *pag.* 13.

§. 2. *Peragitur Pſeudophilalethes reus violatæ hujus conſtitutionis Apoſtolicæ* *pag.* 20.

§. 3. *De origine cenſurarum Lovanienſium, & approbatione Leſſii contenta in edicto Octavii adverſus eaſdem cenſuras.* *pag.* 23.

§. 4. *Demonſtratur hæc præfati edicti verba*, ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis *afficere Leſſii doctrinam.* *pag.* 29.

SECTIO 3. Pſeudophilalethis convicia & calumniæ

niæ adverſus ſcientiæ mediæ defenſores.
§. 1. *Adducuntur ejus calumniæ* pag. 35
§. 2. *Expenditur ſingulare convicium corrupta Ethicæ ſcriptorum Societatis.* pag. 43.
§. 3. *Retegitur unde Pſeudophilalethes hauſerit tam perverſam opinionem de Societatis doctrina; ac nominatim de corrupta ejus Ethica.* pag. 50.
SECTIO 4. Auctarium calumniarum & conviciorum collectum ex novis editionibus opuſculorum Pſeudophilalethis.
§. 1. *Auctarium primum ex nova editione opuſculi ſcientiæ mediæ ad examen revocata.* pag. 58.
§. 2. *Auctarium ſecundum ex nova editione opuſculi de libero.* pag. 61.
§. 3. *Auctarium tertium ex novo opuſculo de probabilitate.* pag. 66.
§. 4. *Occurritur retortioni.* pag. 69.

CAPUT II.

Pſeudophilalethis impoſturæ adverſus ſcientiam mediam.

SECTIO I. IMPOSTVRA I. Iuxta ſcientiam mediam aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ. pag. 72.
§. 1. *Demonſtratur impoſturæ falſitas.* pag. 72.
§. 2. *Solvitur objectio Pſeudophilalethis.* pag. 86.
§. 3. *Oſtenditur inanis eſſe ejus ratiocinatio reſpectivè ad gratiam prævenientem.* pag. 89.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Evincitur Auguſtinus non aliam admittere efficaciam gratiæ prævenientis, quam moralem.* *pag.* 92.
§. 5. *Declaratur inanitas ejuſdem ratiocinii reſpectivè ad gratiam adjuvantem.* *pag.* 99.
§. 6. *Demonſtratur gratia phyſicè prædeterminans repugnare Tridentino & Auguſtino* *pag.* 102.
§. 7. *Probatur eadem gratia prædeterminans adverſari Doctori Angelico & antiquis Thomiſtis.* *pag.* 107.
§. 8. *Colliguntur hactenus dicta.* *pag.* 112.
SECTIO 2. IMPOSTVRA 2. Iuxta auctores ſcientiæ mediæ gratiam eſſe voluntatis pediſſequam. *p.* 117.
§. 1. *Aperitur hujus impoſturæ falſitas.* *pag.* 117.
§. 2. *Diluitur objectio Pſeudophilalethis.* *pag.* 124.
SECTIO 3. IMPOSTVRA .3 Iuxta defenſores ſcientiæ mediæ initium fidei, & primam radicem diſcretionis eſſe ex nobis. *pag.* 130.
§. *Oſtenditur impoſturæ falſitas* *pag.* 130.
SECTIO 4. IMPOSTVRA 4. Aſſertores ſcientiæ mediæ non excludere dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævifis, ſed ſolum ab operibus præſentibus, aut ſaltem abſolutè futuris. *p.* 140.
§. 1. *Manifeſtatur impoſturæ falſitas.* *pag.* 140.
§. 2. *Ejuſdem falſitatis convincitur ex verbis Molinæ & Suaris.* *pag.* 143.
§. 3. *Explicatur Annatus.* *pag.* 146.
SECTIO. 5. IMPOSTVRA 5. Auctores ſcientiæ mediæ in eo ſe à Semipelagianis diſcernere, quod hi aſſererent fidem dari illis quos Deus prævidit credituros ex naturæ viribus: illi verò ex viribus gratiæ.

§. 1,

Digitized by Google

§. 1. *Demonſtratur impoſuiſſe.* pag. 151.
§. 2. *Exponitur in quo ſe defenſores ſcientiæ mediæ diſcernant à Semipelagianis.* pag. 155.
SECTIO 6. IMPOSTVRA 6. Annatum objectionem errantium ſumpſiſſe pro ſolutione Auguſtini. p. 161.
§. 1. *Declaratur ex quo Pſeudophilalethes hanc calumniam ſumpſerit.* pag. 161.
§. 2. *Probatur ex Auguſtino impoſturæ falſitas.* pag. 164.
§. 3. *Retegitur fraus Pſeudophilalethis.* pag. 168.
SECTIO 7. IMPOSTVRA 7. Annatum doloſè truncaſſe hunc Auguſtini locum, *anima non deſerta eſt, vt deſereret; ſed vt deſereretur, deſeruit.* pag. 176.
§. 1. *Annatus à calumnia vindicatur.* pag. 176.
§. 2. *Locus Auguſtini à Tridentino allatus ſeſſ. 6. cap.* 11. Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur, *falſa interpretatione ex Ianſenio ad verbum deſcripta à* Pſeudo*philalethe corruptus.* pag. 182.
SECTIO 8. Antitheſis Auguſtini & Moliniſtarum à Pſeudophilalethe confiċta. pag. 189.
§. 1. *Refutatur prima antitheſis.* pag. 190.
§. 2. *Refellitur ſecunda.* pag. 193.
§. 3. *Impugnatur tertia.* pag. 196.
§. 4. *Aperitur falſitas & ſenſus dubius quartæ* pag. 199.
§. 5. *Exponitur prima pars quintæ & confutatur.* pag. 201.
§. 6. *Explicatur quo ſenſu ſecunda pars quintæ calumniam contineat.* pag. 204.
§. 7. *Demonſtratur inanitas ſextæ* pag. 210.
SECTIO 9. Declarantur aliquot fraudulentæ mutilationes

Digitized by Google

ɩiones & corruptiones auctorum noſtrorum in doctrina morali. pag. 211.
§. 1. *Leſsius à Pſeudophilalethe corruptus.* pag. 212.
§. 2. *Tamburinus locis duobus à Pſeudophilalethe doloſè truncatus.* pag. 215.
§. 3. *Thomas Sanchez ab eodem adulteratus.* pag. 220.
§. 4. *Eſcobarius auctus & imminutus.* pag. 223.
SECTIO 10. Colluvies calumniarum adverſus auctoritatem Auguſtini nobis impoſitarum. pag. 230.
§. 1. *Exponuntur Calumniæ* pag. 230.
§. 2. *Calumniarum confutatio* pag. 233.
§. 3. *Molinæ expurgatio.* pag. 240.

CAPVT III.

Inanis Pſeudophilalethis conatus ad conciliandos inter ſe diſcipulos, vt vocat, Auguſtini & Thomæ.

SECTIO 1. §. 1. *Quinam ſint diſcipuli illi quorum Magiſtros facit Auguſtinum & Thomam.* pag. 244.
§. 2. *Expenditur diſtinctio phyſicæ prædeterminationis in univerſalem & particularem, & oſtenditur varios errores involvere.* pag. 247.
§. 3. *Refellitur reſponſio Pſeudophilalethis.* pag. 254.
§. 4. *Homo ſanus juxta eum non debuiſſet auxilium Dei implorare.* pag. 256.
§. 5. *Ipſe autem inaniter objicit quod tollamus orandi neceſſitatem*

Neceſſitatem. pag. 260.
§. 6. Oſtenditur vana eſſe diſtinctio prædeterminationis in univerſalem & ſpecialem, ac prorſus inutilis ad ſcopum intentum. pag. 267.
SECTIO 2. Diſcutiuntur ſingula contrarietatis capita, & tentata à Pſeudophilalethe conciliatio. pag. 271.
§. 1. Exploditur prima contrarietatis tentata concordia. pag. 271.
§. 2. Confutatur ſecunda contrarietatis conciliatio. pag. 277.
§. 3. Declaratur nullitas tertiæ conciliationis. pag. 279.
§. 4. Probatur integra permanere quarta inter eas contrarietas. pag. 282.
§. 5. Retegitur error quem involvit quinta contrarietas à Pſeudophilalethe allata. pag. 286.
§. 6. Inanitas ſextæ conciliationis. pag. 289.
§. 7. Evertitur ultimæ contrarietatis poſtrema conciliatio. pag. 292.

CAPVT IV.

Inepta Pſeudophilalethis comparatio inter præſcientiam & prævolitionem libertatis: inter concurſum ſimultaneum & prævium ad materiale peccati.
SECTIO 1. Examinatur prima pars comparationis.
§. 1. Ponderatur collatio quatuor primarum propoſitionum. pag. 296.
§. 2. Demonſtratur falſitas trium ſubſequentium. pag. 300.
§. 3. Examinatur parallelus gratiæ determinantis & determinatæ quo ad difficultatum paritatem. pag. 306.
§. 4. Expenditur comparatio libertatis prævolitæ cum libertate præſcita. pag. 313.

SECTIO 2. Libratur comparatio concurſus prævii & ſimultanei ad materiale peccati circa difficultatum ſimilitudinem. pag. 317.

§. 1. *Proponitur præcipua difficultas quâ vrgetur concurſus prævius phyſice determinans ad materiale peccati.* pag. 319.

§. 2. *Adferuntur aliæ difficultates.* pag. 323.

§. 3. *Demonſtratur concurſum ſimultaneum prædictas difficultates nullo modo incurrere.* pag. 326.

CAPVT V.

Dogmata erronea Pſeudophilalethis.

SECTIO 1. Pſeudophilalethem non rectè ſentire de libertate hominis lapſi ad actus bonos. pag. 332.

§. 1. *Probatur major demonſtrationis ex ſcriptura, Tridentino, & Patribus.* pag. 333.

§. 2. *Evincitur minoris veritas ex verbis Pſeudophilalethis* pag. 342.

§. 3. *Explicatur locus S. Thomæ ab eodem perperam pro errore ſuo allatus.* pag. 351.

§. 4. *Occurritur ejuſdem objectioni* pag. 357.

SECTIO 2. Oſtenditur ſpecialiter Pſeudophilalethem male ſentire de libertate ex his quæ tradit in ſpeciali opuſculo de libero. pag. 361.

§. 1. *Id probatur ex eo quod doceat ad libertatem actus non requiri, vt poſſit eum ſuſpendere, aut ab eo ceſſare.* pag. 361.

§. 2. *Idem error aperitur ex eo quod aſſerat neceſſitatem naturalis inclinationis non officere libertati.* pag. 365.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *Ejuſdem erroris arguitur ex admiſſa amoris beatificè libertate.* *pag.* 368.
§. 4. *De eodem errore convincitur ex confuſione liberi cum voluntario.* *pag.* 372.
SECTIO 3. Pſeudophilalethem quo ad rem admittere primam propoſitionem è quinque damnatis ab Innocentio X. *pag.* 374.
§. 1. *Conſenſus ejus cum Ianſenio ex quo varia ad verbum deſcripſit.* *pag.* 375.
§. 2. *Specialius oſtenditur eum admittere primam propoſitionem ab Innocentio X. damnatam.* *pag.* 382.
§. 3. *Infringitur ejus reſponſio.* *pag.* 383.
SECTIO 4. Demonſtratur Pſeudophilalethem non rectè ſentire circa ſecundã propoſitionem damnatã. *pag.* 391.
SECTIO 5. Pſeudophilalethem re ipſa æquivalenter admittere tertiam propoſitionem ab Innocentio X. damnatam. pag. 398.

CAPVT VI.

Alphabeticæ collationes Pſeudophilalethis.

SECTIO 1. Quid generatim contineant; & cur illas vocaverit alphabeticas. pag. 409.
SECTIO 2. Proponuntur collationes, & declaratur vnde Pſeudophilalethes illas acceperit. *pag.* 413.
§. 1. *Propoſitio collationum.* *pag.* 413.
§. 2. *Declaratio primi illarum auctoris, videlicet Ianſenii.* *pag.* 417.
SECTIO 3. Expenduntur collationes, & oſtenditur illarum inanitas. §. 1. *pag.* 422. §. 2. *pag.* 429. §. 3. *pag.* 433.

PSEVDOPHILALETHIS
THOMISTÆ SPVRII
CONTVMELIÆ ET CENSURÆ PROHIBITÆ
ADVERSVS SCIENTIAM MEDIAM.
ITEM DICTERIA ET CONVICIA IN EIVS DEFENSORES.

HOC primum caput exordiar à comparationibus, & verbis contumelioſis, quibus *Pſeudophilalethes* auſus eſt ſcientiam mediam proſcindere, non ſine contemptu Sedis Apoſtolicæ ſeverè admodum id vetantis. Subjungam cenſuras prohibitas, quas auſu planè temerario non eſt veritus, contra Summorum Pontificum decreta, adversùs eandem ſcientiam innovare. Subſequentur dicteria & convicia, quæ in hujus ſcientiæ authores, ac defenſores clariſſimos paſſim conjicere non erubuit; ut ex his diſcat lector ſtatim ab exordio, quàm mente in eos commotâ, quàm malè in veritatem affectâ adversùs eorum doctrinam ſcripſerit. Enimverò ex animo exulcerato, & ore maledico non ſolet prodire veritas.

Digitized by Google

SECTIO I.

Pſeudophilalethis contumeliæ in ſcientiam mediam, & cenſuræ prohibitæ.

§. I.

Decreta Pontificum, Cenſuras, & verba contumelioſa prohibentium.

CEnſuris vetitis, & conviciis præmitto decreta Pontificum rigidiſſimè id prohibentium, plurimumqúe *Pſeudophilalethem* rogo, ut ea iterum atque iterum diligenter expendat: & dubio procul his maturè expenſis ſe ipſe temeritatis damnabit, quod adversùs ea auſus fuerit ſcientiæ mediæ tot cenſuras, ac contumelias inurere: atque adeò reum ſe ſupremæ autoritatis violatæ ſtupebit, dolebitque.

1. Toti orbi notiſſimum eſt Paulum V. Pontificem maximum peractis diſputationibus de divinæ gratiæ auxiliis, & libero arbitrio Romæ coram ſe, & Prædeceſſore ſuo Clemente VIII. habitis inter clariſſimos Religioſiſſimi Ordinis D. Dominici, & Societatis Jesv Theologos, utriſque poteſtatem feciſſe, in explicandâ gratiæ efficaciâ, & voluntatis liberta-

te pro-

te, propriam ſententiam è cathedra palam profitendi: ac ſeverè admodum prohibuiſſe, ne quis deinceps alterutram opinionem aut damnaret, aut cenſurâ notaret, aut verbis injurioſis laceſſeret.

2. De hoc decreto ſic Spondanus ad annum à partu Virginis 1606. „Anno Chriſti 1606. indictio„ne 4. Paulus 5. Pontifex Max. diſputationes de gra„vi illâ ac moleſtâ controverſiâ de divinæ gratiæ „auxiliis & libero arbitrio, quam inter Religioſos „Prædicatores, & Societatem IESV ſub Clemen„te VIII. agitatam innuimus, quibus ipſe Paulus „cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis „ſemper interfuerat, conticeſcere juſſit; ſanxítque „poſtmodum, ut utriſque, dum aliud decerneretur, „liberum eſſet ſuam ſententiam modeſtè tueri, ſed „ſine damnatione alterius partis.

3. Hoc Pauli V. decretum promulgavit Inquiſitio Apoſtolica Hiſpalenſis anno 1608. his verbis „Nos Inquiſitores Apoſtolici contra hæreticam „pravitatem & apoſtaſiam in urbe & Archiepiſco„patu Hiſpalenſi, cum Epiſcopatu Gaditano &c. „Scire facimus Provinciales & Prælatos Religio„num, & Profeſſores, atque Vniverſitates hujus „circuli, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, circa „materiam de auxiliis divinæ gratiæ, ordinaſſe tàm „diſputatoribus, quàm Conſultoribus, qui Romæ „hujus negotii causâ aſſiſtebant, ut domum poſſint „reverti, aſſerens ſe opportuno tempore ſuam „evulgaturum determinationem; interim præcipit „cum rigore, ut in tractandâ hâc controverſiâ ne-

„mo audeat alteram cenſurare partē;qui ſecus fecerit,
„ graviter punietur;& ſua Beatitudo optat hoc ipſius
„ mandatum inviolabiliter obſervari;& ut omnes ſe
„ abſtineant à verbis mordacibus , & quæ malam
„ redolere intentionem valeant.Quamobrem,teno-
„ re præſentium tollimus qualemcumque prohibi-
„ tionem factam per hoc ſanctum officium : & fa-
„ cultatem præſtamus , interim quoad ſua Sanctitas
„ reſolvat de controverſiâ , ut poſſint diſputare, &
„ tractare de præfatâ materiâ : & mandamus ſub
„ pœnâ excommunicationis majoris , ut nullus au-
„ deat cenſurare contrariam ſententiam , nec utatur
„ verbis mordacibus , quæ malam intentionem ani-
„ mo latentem indicare videantur : advertentes pu-
„ niendos cum rigore , qui aliter fecerint , ut ino-
„ bedientes mandato ſuæ Sanctitatis , & hujus ſan-
„ cti officij. Datum in Caſtello Trianæ. 9. Septem-
„ bris anno 1608. Licentiatus Petrus de Camino,
„ Licentiatus D. Antonius de Hozez, Licentiatus
„ Petrus de Villagomez. Secretarius Ferdinandus
„ Servicial de Villao. Ita refert Paulus Leon. p.
1. Reſp. ſect. 3. num. 13.

4. Ejuſdem decreti meminit Sylvius in præfatione ad primam partem S. Thomæ , referens Epiſtolam Guidonis Archiepiſcopi Rhodienſis Apoſtolici per Belgium Nuncii ſcriptam ad Facultatem Theologicam Duacenſem anno 1612. in
„ quâ hæc habentur. Mandavit Sanctiſſimus Domi-
„ nus noſter anno 1607. eas terminari diſputatio-
„ nes , quæ Romæ coram Sanctitate ſuâ habeban-

tur : ſimul-

Digitized by Google

„ tur : ſimúlque ſua Sanctitas præcepit ; ne quis in „ poſterum, oblatâ de prædictis rebus tractandi oc- „ caſione, contrariam ſententiam ſuſtinentes in „ cenſuram vocare, vel dictis perſtringere ullo mo- „ do auderet.

5. Ioannes à S. Thomâ in primam partem diſp. 20. art. 6. num. 1. addit idem prohibuiſſe Urba- „ num VIII. & quidem ait : non licere in hâc par- „ te alteram partem cenſurare, aut qualificare ex „ mandato Pauli V. & Urbani VIII. conſtat.

6. Idem priùs vetuerat Clemens VIII. ut teſta- tur Andreas Duvaillius Doctor Sorbonicus, & Re- gius in Academiâ Pariſienſi Theologiæ Profeſſor Tom. 1. Comment. in primam ſecundæ, tractatu de „ gratiâ ſub initium ſic ſcribens : & quidem cùm à „ Clemente VIII. doctorum examini relicta ſit „ cum moderatione ; quâ neutra opinio hæreſis, er- „ roris, temeritatis, alteriùsve qualificationis argua- „ tur, ab omni aſperiori dicto ſedulò abſtine- „ bimus.

7. Denique illud ipſum anteà præceperat Sixtus V. per Octavium Epiſcopum Calatinum, Apoſtoli- cum ſuum in Belgio Nuncium, in edicto ad Lova- nienſes miſſo anno 1588. Quod innovavit, & ad Duacenſes extendit ex mandato Gregorii XIV. Idem Nuncius Apoſtolicus 28. Junii anni 1591. his „ verbis : utriuſque opinionis aſſertoribus maneat „ ſua ſentiendi, & docendi libertas, ſervatâ utrim- „ que Chriſtianâ in eruenda veritate modeſtiâ, de- „ pulſis hinc inde injurioſis, ac invectivis, privatis

„ publicíſque conviciis, donec per Sedem Apoſto-
„ licam quæſtiones de hujuſmodi materiis exortæ
„ definiantur, ac determinentur; ſicut & nos utrique
„ parti tenore præſentium inhibemus ſub pœnis &
„ cenſuris, quæ in edicto noſtro prædicto Lovanii
„ publicato continentur. Quod ſi utraque pars, vel
„ alterutra contra fecerit, ſciant ſe pœnis ijſdem ex-
„ communicationis latæ ſententiæ, & aliis arbitrio
„ noſtro reſervatis ſubjiciendos, &c.

8, Ut autem innoteſcat, quâ autoritate id præci-
piat, hæc præmittit. „ Nos pro munere nobis com-
„ miſſo à SS. D. N. PP. populorum ſcandalis occur-
„ rere volentes, præſentibus his noſtri novi edicti li-
„ teris cenſuimus declarandum, nedum prædictum
„ noſtrum edictum Duacenſes ligare, noſtrúmque
„ eſſe, non alterius; verum etiam illud innovare:
„ quemadmodum eâdem authoritate noſtrâ, imò
„ veriùs Apoſtolicâ illud in primis innovantes dilu-
„ cidâ declaratione decernimus, omnes & ſingulos
„ cujuſque Ordinis, gradûs, conditionis, vel dig-
„ nitatis ſub legatione noſtrâ degentes, & Duacen-
„ ſes præſertim edicto præfato, quod noſtrum eſt,
„ non alterius, ligari, ejuſdémque pœnis ſubjici,
„ & ordinandum ac mandandum, ſicut per hæc
„ noſtra, imò veriùs Apoſtolica ſcripta ordinamus
„ & mandamus, &c. Hoc edictum publicatum fuit
Duaci 18. Iulii 1591.

9. Quis unquam in animum induxiſſet poſt tot ite-
rata præcepta; tot repetitas prohibitiones ſummo-
rum Pontificum; poſt Vaticana fulmina in tranſgreſ-
ſores

lores toties jaculata, auſurum etiamnum privatum aliquem vetitas in ſcientiam mediam cenſuras inſtaurare? illam comparare meretrici pigmentis ſuis laruatam aliquam pulchritudinem mentienti? Zizaniis tritico immixtis? doctrinam illam vocare fucatam, deformem, vanam, conſortem doctrinæ impugnantium Auguſtinum, hoc eſt Pelagianorum, aut certè SemiPelagianorum; cautè vitandam tamquam muſcipulam pedibus inſipientium abſconditam; fugiendam tamquam faciem colubri?

10. Quis unquam crediſſet futurum aliquem adeò parum ſupremæ uthoritatis reverentem, ut ſcientiæ mediæ defenſores, inter quos plurimi ſunt & ſcientia, & dignitate, & ſanctimoniâ illuſtres, contra jam allatas Pontificum prohibitiones, vocaret fallaces, cavillatores, malæ fidei, ſuperbos, inſipientes, excœcatos, contemptores authoritatum SS. Auguſtini & Thomæ, gratiæ inimicos, quorum vox in Fauſto ſemipelagiano audiatur?

11. Hæc tamen omnia auſum *Pſeudophilalethem* adversùs ſcientiam mediam, & illius aſſertores, verbis ejus in medium adductis demonſtrare aggredior. Tuum erit, Lector erudite, judicare, num *Pſeudophilalethes* reus ſit violatarum Conſtitutionum Sedis Apoſtolicæ, & latæ adversùs illarum violatores excommunicationis.

Digitized by Google

§. 2.

Exponuntur Pſeudophilalethis convicia & cenſuræ adversùs ſcientiam mediam.

12. NOn longè nobis erit in ejus ſcripta progrediendum, ut fidem liberemus: ſtatim in ipſo limine occurret, quod quærimus, ipſum prooemium reſperſum eſt nominibus ſcientię mediæ injurioſis. Exorſus eſt à probrosa illius comparatione cum meretrice, quæ ut decôra appareat, mentitis coloribus vultum illuſtrat. Ex hoc exordio collige, quo animo aggreſſus ſit ſcribere, qui à comparatione adeò contumeliosa fecit initium ſcribendi.

13. Prooemium ſic exorditur: *habet ſcientia media multa fucis illita, quæ luce debent purgari novâ; ut, ſi ſine fuco videretur, etiam à ſuis defenſoribus deſpiceretur*. Primum igitur hujus ſcientiæ elogium eſt *eſſe fucatam*. Tum ſe *Philalethem* ſimulans, hoc eſt, amantem veritatis, ſtatim ſubjicit: *amore igitur ſolius veritatis ſuccenſus, duo de hâc ſcientiâ fucatâ propono examinanda: primum, quæ ſit illius ſine fuco deformitas*, En ſecundum illius elogium *eſſe deformem*. At quo fine hanc deformitatem vult retegere? *ut*, inquit, *impleti confuſione defenſores ejus, Chriſti gratiam invocent, juxta illud Pſal.*

82. *Imple*

82. *Imple facies eorum ignominiá (confuſione) & quærent nomen tuum, Domine.* Bono zelo videtur abripi vir modeſtiſſimus: ignominiam enim, & confuſionem imprecatur ſcientiæ mediæ defenſoribus, ut eâ impleti quærant nomen tuum Domine. Tam benignè, ſcilicet, opinatur de ſcientia media, ut exiſtimet illam eſſe velut aliquem à Deo receſſum. Quid receſſum dico? imò illam reputat genus quoddam idololatriæ. Mox enim eam comparat meretrici cum Diis alienis fornicanti, de qua Iſaias cap. 57. Audiamus illum proſequentem.

14. *Secundum* (quod nempè proponit diſcutiendum) *quæ ſit pigmentorum ſuorum vanitas, quibus, ut vera appareret, ſe ornavit.* Minus fuerat illam dixiſſe *fucatam & deformem*, niſi & *vanam* aſſereret. Pergit; *ei enim appropriari poteſt illud Iſaiæ 57. ornaſti te regi unguento, & multiplicaſti pigmenta tua: miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es.* Quænam illa, cui ſcientiam mediam aſſimilat? diſcite ex ipſo Iſaia: id enim propheta aperit, dum hæc prædictis verbis præmittit: *accedite huc filii auguratricis, ſemen adulteræ, & fornicariæ .... numquid non vos filii ſceleſti, ſemen mendax? qui conſolamini in Diis ſubter omne lignum frondoſum ...... ſuper montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum & illuc aſcendiſti ut immolares hoſtias ..... iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum: dilataſti cubile tuum & pepigiſti cum eis fœdus, dilexiſti ſtratum eorum manu apertâ; & ornaſti te regi unguento, & multiplicaſti pigmenta tua: miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es.* Quid magis ſcientiæ mediæ contumelioſum, quàm

illam conferre cum meretrice idololatra, de qua illic propheta? nonne hàc comparatione virtualiter ſcientiam mediam vocat ſcientiam meretriciam, impiam, & ſacrilegam?

15. Hanc comparationem iterat num. 62. his verbis: *jure merito illi applicuimus in procemio illud Iſaiæ; multiplicaſti pigmenta tua; miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es: id eſt, Conſors facta es impugnantium Auguſtinum* Hæc poſtrema verba, *conſors facta es impugnantium Auguſtinum* continent novam inſignemq; injuriam, & cenſuram gravem. Ecqui enim illi hoſtes Auguſtini, quorum conſors facta eſt? ediſſerat ipſe num. 125. *vox eorum*, inquit, *in Fauſto auditur*. Quis Fauſtum ignorat Semipelagianum? quid igitur eſt, ſcientiam mediam conſortem eſſe impugnantium Auguſtinum, niſi illam conſortem eſſe doctrinæ Semipelagianorum, hoc eſt Semipelagianam?

16. Semipelagianos plus æquo tribuiſſe libero arbitrio notius eſt, quàm ut egeat probatione. Et ſcientiam mediam inflare liberum arbitrium, *Pſeudophilalethis* pronuntiatum eſt. Scientia media, inquit, num. 37. *inflat liberum arbitrium*, & num. 104. *ad quid igitur concurſus indifferens Moliniſticus, niſi ad inflationem liberi arbitrii, & muſcipulam pedibus inſipientium?* Quid eſt ſcientiam mediam & concurſum indifferentem Moliniſticum muſcipulam eſſe pedibus inſipientium? niſi, ut muſcipula capiendis muribus ſubdolè fabricata eſt; ita doctrinam illam artificiosè, & fraudulenter excogitatam eſſe capiendis inſipientibus. Quò dicto utrumque aſſerit, & doloſam eſſe

ſcientiam illam, & inſipientes, qui illam ſectantur.

17. Non ſatis eſt *Pſeudophilalethi* ſollicitè admonere ſcientiam mediam cautè vitandam tamquam muſcipulam pedibus inſipientium abſconditam: ſed etiam clamat ab eâ fugiendum tamquam à facie colubri. Verba ejus ſunt num. 57. *Scientia media inflat liberum arbitrium; ab illâ proinde fugere debemus, ſicut à facie colubri.* Quid hac ſcientiæ mediæ cum colubro comparatione contumelioſius? Quid enim hac ſimilitudine aſſerit, niſi ſcientiam mediam pernicioſam eſſe, niſi virulentam, niſi exitioſam inſtar colubri? Non erubuiſti, *Pſeudophilalethes*, ſcribere ſcientiam illam tamquam virulentum colubrum vitandam eſſe, quam veneranda ſummorum Pontificum authoritas induxit in cathedras, factâ omnibus eam docendi, & amplectendi poteſtate? an non reus es violatæ authoritatis ſupremæ?

18. Ingenium tuum fœcundum eſt in hujuſmodi comparationibus contumelioſis. Legeras in Matthæo, cap. 13, *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* Placuit tibi hanc parabolam ſcopo tuo aptare: gratiam prædeterminantem ſemen bonum dixiſti; ſcientiam mediam, Zizania. Sed hoc poſtremum temerè, & irreligioſè. Quam enim doctrinam in agro Eccleſiæ ſeminari permittit Apoſtolicæ Sedis autoritas, non niſi erroneè, non niſi impiè Zizania dixeris.

19. Perquàm igitur injurioſa ſunt ſcientiæ mediæ,

quæ

quæ num. 93. ſcripſiſti. *Bonum ſemen, hanc, inquam, gratiam*(prædeterminante) *ſeminaverat uterque Sanctus in cordibus diſcipulorum: venit Molina, qui ſuperſeminavit ſcientiæ mediæ zizania, gratiam videlicet ſufficientem.* Ignorabáſne & Patres, & Interpretes nomine tritici in prædicta Parabola doctrinam rectam, & bonam; nomine zizaniorum perverſam, ac nominatim eam, quæ hæreticorum eſt, planè exitioſam intelligere? ſi id ſciebas, ergo dum ſcientiam mediam zizaniis comparaſti, eam eſſe perverſam, exitioſam, hæreticam virtualiter dixiſti. Vide igitur an non te fulminatæ per Calatinum excommunicationis reum faciat cenſura hæc graviſſima?

20. Non uno tantùm loco hanc comparationem uſurpat; ſed, quia placuit, eam pluribus repetiit. Illam iterat num. eod. his verbis: *gratiam ſufficientem Moliniſticam tamquam ſcientiæ mediæ zizania in unum faſciculum ab utriſque diſcipulis rejiciendum colligari demonſtrabo.* Alludit hîc ad poſtremam partem memoratæ parabolæ, in qua Pater-familias ait ſe tempore meſſis dicturum meſſoribus, *colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum*: non minori igitur ſupplicio ſcientiam mediam deſtinat, quàm incendio. eandem rursùs zizaniorum ſimilitudinem repetit num. 105.

Sectio

SECTIO II.

Cenſuræ Lovanienſium & Duacenſium auſu ſacrilego à Pſeudophilalethe innovatæ contra expreſſam prohibitionem Sedis Apoſtolicæ.

§. 1.

Edictum Octavii Nuncii Apoſtolici prædictas cenſuras auctoritate Apoſtolicâ reprobantis.

OCTAVIVS DEI
& Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Calatinus S. D. N. Gregorij divinâ Providentiâ PP. XIV.

Ejuſdemque S. Sedis in Colonien. Moguntinen. Trevicen. Argentinen. Spiren. VVormatien. Monaſterien. Oſnaburgen. Padebornen. Leodien. Luxemburgen. & in inferioris Germaniæ, & Belgarum Provinciis, civitatibus, & locis omnibus, etiam Duci Cliven. & Iuliacen. ſubjectis, Nuntius cum poteſtate Legati de Latere, Patribus Societatis Ieſu Duaci reſidentibus, & Theologicæ Vniverſitatis Duacenſis Facultati, Salutem in Domino ſempiternam.

CVM annis præteritis in causâ diſſenſionis Vniverſitatis Lovanienſis cum Theologis Societatis

„ tis JESV Lovanii degentibus edictum publicave-
„ rimus tenoris ſequentis. Etſi diverſorum hominum
„ diverſæ ſint, diſcrepantésque ſententiæ; quamdiu ta-
„ men fide & dilectione Deo adhærent, éſtque eo-
„ rum quaſi cor vnum, & anima vna, ſub vno invi-
„ ſibili Duce & Capite Chriſto, ejuſque Vicario Di-
„ vo Petro, aliiſque deinceps Romanis Pontifici-
„ bus ejus legitimis ſucceſſoribus, non ſolùm ſupre-
„ mâ illâ gradus & officii dignitate à Chriſto domino
„ in eos perpetuâ ſucceſſione derivatâ, Corporis &
„ ſanguinis Dominici alimoniâ (vt ejus ſpiritu vege-
„ tentur) in vno Eccleſiæ ovili reficiendi ſunt: Sed il-
„ la etiam juriſdictionis autoritate terribili, cujus po-
„ teſtas cœlos quoque penetrat, & quidquid in terris
„ eſt, ſubjectũ habet, cui Chriſtus ad ſervandam vni-
„ tatem (cujus ipſe author eſt) parendum eſſe ſanxit;
„ ita in religionis Chriſtianæ officiis continendi ſunt,
„ vt vnam Fidem, vnum Baptiſma, vnum Deum ac
„ Dominum venerantes & colentes, in eodem ſenſu,
„ eadémque ſententia concordes, idipſum dicant &
„ ſapiant, nec vllis doctrinæ diſſidijs lacerentur, aut
„ vllo ſchiſmate, vllàve ſacrilegâ ſeparatione, ab hac
„ vnitate Spiritus, pacíſque vinculo divellantur. Cùm
„ igitur nos Coloniæ commorantes, quaſdam opini-
„ onum diſſenſiones ortas eſſe cognoverimus inter
„ Vniverſitatis Lovanienſis Theologos, & Sacer-
„ dotes Societatis Iesv Lovanii Theologiam profi-
„ tentes, ſuper quibuſdam ſanæ doctrinę articulis,
„ quibus fidelium vnitas ſcindi, ac Chriſti corpus la-
„ cerari poſſet, niſi maturè ſapientérque occurrere-
tur

„tur : eas non ſolùm S. D. N. Sixto PP. V. Sanctæ-
„que Sedi Apoſtolicæ ſignificavimus, vt tam peri-
„culoſo diſſidio obviam iretur; ſed qua potuimus di-
„ligentiâ literis propriis vtramque partem monui-
„mus, obſecravimùsque, vt à diſceptationibus hujuſ-
„modi, quoad ſua Sanctitas quæſtiones controverſas
„definierit, tum verbo, tum ſcripto deſiſteretur. Quod
„vt faceremus, Apoſtolico mandato ad nos directo
„juſſi ſumus, præſertim cùm nulli (niſi Beati Petri
„Succeſſori Pontifici Romano) liceat doctrinæ Chri-
„ſtianæ res controverſas definire. Et quamvis partes
„ipſæ cohortationes noſtras non recuſaverint, humi-
„leſque ac obedientes coram nobis Lovanii reſiden-
„tibus S. Sti. Sanctæque Sedi Apoſtolicæ ſe præbue-
„rint; tamen cùm acceperimus aliquos etiam di-
„verſorum Ordinum Regulares, Clericòſque ſæcula-
„res, ac potiſſimum ſtudioſos, de aſſertionibus, de
„quibus controverſia eſt inter dictæ Vniverſitatis
„Lovanienſis Theologos, & Sacerdotes Societatis
„Iesv ſacram Theologiam profitentes, tam pertina-
„citer pro alterutrâ parte contendere, & temeritate
„quadam in ſuis concionibus, lectionibus, diſputatio-
„nibus, ſcriptíſque privatis alterius partis ſententiam
„damnare, quam Sancta Romana Eccleſia omnium
„Eccleſiarum Magiſtra, & ſalutaris diſciplinæ do-
„ctrix non damnavit: & quos tumultuantes atque
„diſſidentes componere, ſedaréque ſatius foret, eos
„indiſcretæ devotionis obtentu, vel potius loquaci-
„tatis & oſtentationis affectu ſtudio partium ad tu-
„multus, ſimultatéſque concitare: Prædictorum
omnium

„ omnium & ſingulorum temeritati, populorúmque
„ ſcandalo occurrere ſtudentes, præſentibus his no-
„ ſtri Edicti Literis ſtatuimus, & ordinamus, ac per
„ Apoſtolica ſcripta mandamus, vt nemo, cujuſcum-
„ que ordinis, gradûs, conditionis, vel dignitatis exi-
„ ſtat, in concionibus, lectionibus, diſputationibus,
„ publicis & privatis, aut vbicunque promiſcua viro-
„ rum ac mulierum multitudo convenire ſolet, de his
„ aſſertionibus controverſis in alterutram partem ita
„ diſputare; rationibus, vel Doctorum authoritate v-
„ nius partis aſſertiones confirmare, alteriúſque refel-
„ lere, aut impugnare, vel cujuſvis pietatis aut neceſſi-
„ tatis prætextu de his loqui, ſcribere, vel dictare in
„ poſterum attentet, aut auſu temerario eas hæreticas,
„ ſuſpectas, offenſivas, & periculoſas eſſe, & qui eas
„ aſſerunt, alicujus hæreſis labe, aut ſuſpicione conta-
„ minatum iri, donec authoritate Apoſtolicâ maturè
„ definitæ fuerint, affirmare præſumat. Quod ſi quis
„ contra fecerit ſciat ſe Excommunicationis latæ ſen-
„ tentiæ pœnam (à qua niſi in mortis articulo conſti-
„ tutus à nullo, præterquam à Romano Pontifice
„ valeat abſolui) incurriſſe, & alias etiam pœnas no-
„ bis, noſtróque arbitrio reſervatas ſubiturum. Vt au-
„ tem hæ noſtræ Literæ, & præmiſſa vniverſa ad eo-
„ rum omnium, quorum intereſt, notitiam faciliùs
„ pervenire poſſint, monemus, requirimus & obſe-
„ cramus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus
„ omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Locorum Or-
„ dinariis, eorúmque Suffraganeis, Vicariis & Offi-
„ cialibus quibuſcumque, aliiſque omnibus; & ſin-
gulis

„gulis ad quos quomodolibet ſpectat & pertinet, vt
„hujuſmodi Edicti Literas ſingulis Diœceſis, vel di-
„ ſtrictus Monaſteriis, Concionatoribus, & aliis qui-
„ buſcunque expedire judicaverint, oportunè inſi-
„ nuent, & promulgent, ac inſinuari & promulgari
„ faciant, ne qua radix amatitudinis & diſſenſionis
„ (quod abſit) per eos ſuccreſcat, per quam tur-
„ bentur multi, quàmque neceſſe ſit omnino præ-
„ cidi. Et ne quis in poſterum quoquomodo igno-
„ rantiam præmiſſorum poſſit prætendere, volumus,
„ & eâdem pariter authoritate decernimus atque
„ mandamus, vt præſentes Literæ in locis ſolitis
„ hujus oppidi Lovanien. & in aliis pariter Legatio-
„ nis noſtræ conſuetis affigantur, & in eiſdem locis
„ per aliquot dies affixæ remaneant, quæ affixio ita
„ omnes, ad quos ſpectat, afficiat & arctet, ac ſi il-
„ lis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Lovanii
„ die decimâ Iulii, 1588. Indictione primâ, Pontifi-
„ catus S. D. N. Sixti Divinâ providentiâ PP. V.
„ Anno Quarto. Et modò non ſine noſtro mœrore
„ audiamus novam diſſenſionem exortam inter vos,
„ nimirum Theologicam Vniverſitatis Duacenſis
„ Facultatem, & Patres Societatis IESV Duaci reſi-
„ dentes, ratione quorumdam dogmatum de gratiâ
„ & prædeſtinatione, quę inter alia fuerant ante tri-
„ ennium Lovanii ventilata; nec non dubitari à mul-
„ tis an pręfatum edictum liget Duacenſes; imò an
„ noſtrum ſit edictum vel alterius; ac etiam quod a-
„ micabilis compoſitio à Rmis. DD Epiſcopis Tor-
„ nacenſi & Atrebatenſi ad novam illam controver-

„ ſiam ſopiendam pro pace & tranquillitate Vniver-
„ ſitatis Duacenſis,ſcandaliſque vitandis interpoſita,
„ diſſenſionem non adimat, novámque commo-
„ veat, eâ ratione quod vni tantum parti ſit inhibitú,
„ ne de ſupradictis materiis in Academiâ Duacenſi
„ doceretur, donec per Sedem Apoſtolicam quęſtio-
„ nes de iis exortæ, definitæ ac determinatæ fuerint:
„ Nos pro munere nobis commiſſo à SS. D. N.PP.
„ populorum ſcandalis occurrere volentes, pręſen-
„ tibus his noſtri novi edicti Literis cenſuimus de-
„ clarandum, nedum prędictum noſtrum edictum
„ Duacenſes ligare, noſtrumque eſſe,non alterius,ve-
„ rùm etiam illud innovare, quemadmodum eâdem
„ auctoritate noſtrâ, imò verius Apoſtolicâ illud in
„ primis innovantes dilucidâ declaratione decerni-
„ mus, omnes & ſingulos cujuſcunque ordinis, gra-
„ dus, conditionis,vel dignitatis ſub legatione noſtrâ
„ degentes,& Duacenſes præſertim edicto pręfato,
„ quod noſtrum eſt, non alterius, ligari, ejuſdémque
„ pœnis ſubjici, & ordinandum ac mandandum, ſi-
„ cut per hæc noſtra, imò verius Apoſtolica ſcripta
„ ordinamus & mandamus, vt quod inhibitum fuit à
„ ſupradictis Rmis. DD. Epiſcopis, patribus Socie-
„ tatis Iesv Duaci degentibus,idem Theologicæ Vni-
„ verſitatis Duacenſis Facultati inhibitum cenſeatur;
„ aut ſaltem ad declinanda ſtudiorum ex hujuſmodi
„ interruptione diſpendia, utriuſque opinionis aſſer-
„ toribus maneat ſua ſentiendi & docendi libertas,
„ ſervatâ vtrimque Chriſtianâ in eruendâ veritate
„ modeſtia, depulſiſque hinc inde injurioſis ac inve-

ctivis

Digitized by Google

„ ctivis,privatis publicíſque conviciis, donec per Se-
„ dem Apoſtolicam quæſtiones de hujuſmodi ma-
„ teriis exortę definiantur ac determinentur, ſicut &
„ nos vtrique parti tenore pręſentium inhibemus ſub
„ pœnis & cenſuris,quę in edicto noſtro prędicto
„ Lovanii publicato continentur. Quod ſi vtraque
„ pars vel alterutra contrafecerit, ſciant ſe pœnis eiſ-
„ dem excommunicationis latæ ſententię & aliis arbi-
„ trio noſtro reſervatis ſubjiciendos, quibus illi qui
„ contraveniſſent edicto pręfato, obnoxii declaran-
„ tur. Et ne quis pręmiſſorum omnium ignorantiam
„ prętendat, aut ſe contra pręmiſſa valeat excuſare,
„ volumus, & eadem pariter authoritate mandamus,
„ vt pręſentes Literę noſtrę in loco Sedis Theologo-
„ rum publicè affigantur, vbi reliqua omnia ſimilia
„ publicanda affigi ſolent, ibíque per aliquot dies af-
„ fixę maneant, quę affixio ita omnes, ad quos ſpe-
„ ctat, afficiat & arctet, ac ſi illis perſonaliter inti-
„ matę fuiſſent. Datum Colonię die 28. Iunii 1591.
„ Indictione quartâ Pontificatus SS. D. D. N. Gre-
„ gorij divinâ providentiâ PP. XIV. anno primo.
„ Signatum Octavius! Epiſcopus Calatinus Nun-
„ cius Apoſtolicus. Et appoſitum erat ejuſdem Illu-
„ ſtriſſimi Domini Sigillum.

Digitized by Google

§. II.

Peragitur Pſeudophilalethes reus violatæ hujus conſtitutionis Apoſtolicæ.

22. PArum erat *Pſeudophilalethi* verba contumelioſa, ac cenſuras graves in ſcientiam mediam hinc inde ſparſiſſe; niſi etiam pluribus in unū collectis, vno quaſi impetu illis omnibus ſcientiam mediam ſimul feriret. Olim temerè in doctrinam Patrum Societatis Jesv latæ fuerant aliquot cenſuræ ab vtrâque facultate Theologicâ Lovanienſi & Duacenſi: ac poſteà majori auctoritate, vt ipſemet agnoſcit num. 34. videlicet Apoſtolicâ, ſublatæ; cum ſeverâ admodum prohibitione, ne quis deinceps alterutrius partis doctrinam de gratiæ auxiliis cenſurâ aliquâ perſtringere auderet; vt liquet ex prefato Octavii edicto. *Pſeudophilalethes* hujus inhibitionis probè conſcius, nihilominùs auſus eſt prædictarum cenſurarum precipuas, & ſcopo ſuo aptiores, opuſculo ſuo inſerere, & illis omnibus ſcientiam mediam impetere, ſummorum Pontificum prohibitiones nihil reveritus.

23. At illum audio mihi reclamantem, & voce commotiori ſuccenſentem, quod tantum facinus immeritò

meritò illi imponam; cum prędicto num. 34. cenſuris illis hæc præmiſerit: *non poſſum hîc prætermittere cenſuras facultatum Sacræ Theologiæ Lovanienſis, & Duacenſis, ſine magno veritatis præjudicio: quamvis omnis vis cenſurandi ab eis majori auctoritate fuerit ſemota: & ideo ex eis doctrinam ſcientiæ mediæ in aliquo cenſurare non intendam.* & infrà poſt allatam Lovanienſium præfationem hæc habeat: *cenſuras utriuſque facultatis ſubjicimus, nihil, ut monuimus, cenſurantes, ſed verba ſolummodo referentes.* Quo igitur jure tanti illum criminis, videlicet Pontificiæ auctoritatis per has cenſuras violatæ reum eſſe contendo?

24. Nequidquam hæc in ſui defenſionem protulit: reum ſe verbis ſuis conſtituit. Ecquid enim illud eſt? *non poſſum hîc prætermittere cenſuras facultatum Sacræ Theologiæ Lovanienſis & Duacenſis ſine magno veritatis præjudicio;* Niſi veritatem illarum adſtruere? quid iſtud? *veritati multum detraherem, ſi prædictis cenſuris opuſculum hoc non fulciretur, & ornaretur:* niſi illas veras eſſe palam profiteri? quid verbum *fulciretur* indicat? niſi illis etiamnum robur ſuum ineſſe? quid vox *ornaretur*? niſi illarum vigorem necdum emarcuiſſe. Egregium ſanè opuſculi ornamentum, potens fulcimentum, cenſuras ſummâ auctoritate reprobatas, & ſub pœna excommunicationis prohibitas, ad decorem, ad ſtabilimentum inſtaurare! quid denique demonſtrat, quod ſubjungit? *in illis ſcientiæ mediæ deformitas ex ſuis conſequentiis, quaſi in ſpeculo ita relucet, ut cæcum eum eſſe oporteat, qui eam gratiæ Chriſti inimicam, & utrique Eccleſiæ Soli adverſari ex prædictis cenſuris non*

animadverterit. Quid hæc, inquam, demonſtrant, niſi juxta *Pſeudophilalethem* vim adhuc ſuam cenſuras illas obtinere? ſcilicet abſoluetur, quia dixit ſe tantum cenſuras illas referre, non ferre: imò reus peragetur, quia dixit non poſſe illas ſe prætermittere, niſi veritati præjudicium ferat, niſi veritati multum detrahat: quia illarum auctoritate opuſculum ſuum fulcivit: quia ex illis ſcientiam mediam gratiæ Chriſti inimicam contendit. Quiſquis enim aliorum cenſuras approbat; quiſquis veras eſſe pronunciat; quiſquis illis doctrinam ſuam ſtudet ſtabilire, alienam evertere, eaſdem tuliſſe jure optimo cenſendus eſt.

25. An autem excommunicationem latam adverſus illarum inſtauratores incurrerit; judicet lector prudens ex hac ratiocinatione. Quiſquis ſciens facit id quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ legitimâ auctoritate prohibitum eſt, incurrit excommunicationem; atqui *Pſeudophilalethes* ſciens (nam allati edicti meminit num. 268.) fecit id quod ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ legitimâ auctoritate prohibitum eſt, dum prædictas cenſuras inſtauravit, & verbis injurioſis ſcientiam mediam & ſectatores ejus affecit: ergo &c.

Digitized by Google

§. 3.

De Origine Cenſurarum Lovanienſium, Et Approbatione doctrinæ Leſſij contentâ in edicto Octavij adverſus eaſdem cenſuras.

26. HAud ſcio an *Pſeudophilalethes* ſciverit quàm turbidus fuerit fons ille, ex quo fluxere Lovanienſes illæ in doctrinam noſtram cenſuræ. Facilè mihi perſuadeo id ab eo ignoratum: namque illum puduiſſet tam limoſæ ſcaturigini calamum intingere: itaque illarum auctores, ac præſertim cęterorum caput & incentorem retegere aggredior; vt prudens lector agnoſcat non potuiſſe *Pſeudophilalethem* ex tam cœnoſo fonte haurire limpidam aquam illibatæ doctrinæ.

27. Quamquam enim ſat magno illi probro ſit, quod doctrinam ſuam ſtabiliat, & noſtram impugnet cenſuris auctoritate Pontificiâ reprobatis, ac prohibitis; haud tamen exiguum illi dedecus, totiſque ejus operi non levis macula inde etiam aſpergitur, quod cenſuræ illæ prodierint ab auctore plurium errorum proſeminatore.

28. Is fuit Michaël Baius Doctor Lovanienſis, cujus propoſitiones 79. à geminis Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. confixæ fuerunt: inter quas duæ illæ ſunt famoſiſſimæ, è quibus ortum duxit pars magna Ianſeniſmi, videlicet hęc inter damnatas ordine 39. *Quod voluntariè fit, etſi neceſſariò fiat; liberè tamen fit*, & hęc altera ordine 66. *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Certè Vrbanus hujus nominis 8. vt librum Ianſenii damnaret, ſatis habuit confirmaſſe bullas pręd ictorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. adverſus Baii errores; quod Janſeniſmus nihil aliud videretur, quam quędam hujus doctoris errorum inſtauratio.

29. Hunc igitur præclarum parentem habuere cenſuræ illæ Lovanienſes, qui noſtris perinfenſus, quod crederet per eos dogmata ſua Romam delata, iiſdéque adnitentibus ab vtroque Pontifice jam memorato tandem damnata. vt vices noſtris redderet, cœpit cum amicis Doctoribus diligenter inquirere in eorum dogmata de Gratiâ; vt in his poſſet deprehendere, quod cenſurâ aliquâ facultatis Theologicæ Lovanienſis perſtringeret.

30. Odium illius, & amicorum ejus in noſtros auxit, quod Româ Lovanium miſſus fuerit à Gregorio XIII. Ponrifice Maximo, R. P. Franciſcus Toletus, purpurâ deinde donatus, qui præfatum Michaëlem Baium cum poteſtate ad palinodiam adigeret; cogerétque propoſitionum ſuarum damnationi ſubſcribere; quod præſtitit cum laude, hàc formulâ quam ſubjicio.

„ 31. Ego Michaël de Bay Cancellarius Vniver-
„ ſitatis Lovanienſis agnoſco, & profiteor, me ex
„ variis colloquiis & communicationibus habitis cum
„ R. P. Franciſco Toleto concionatore ſuæ Sancti-
„ tatis,& ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis
„ ſententiis & propoſitionibus jam olim à ſanctiſſimo
„ Domino noſtro Pio V. felicis recordationis ſub da-
„ tâ Kalendarum Octobris anno 1567. & inſuper à
„ Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub da-
„ tâ 4. Kalendas Februarii anno 1579. iterato dam-
„ natis & prohibitis, ita motum, & eo perductum
„ eſſe,vt planè mihi habeam perſuaſum, earum om-
„ nium ſententiarum damnationem atque prohibi-
„ tionem jure, meritoque, ac non niſi maturo judi-
„ cio, & diligentiſſimâ excuſſione premiſſis factam,
„ atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex
„ iiſdem ſententiis in nonnullis libellis à me olim, &
„ ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſu-
„ ram, conſcriptis & in lucem editis contineri & de-
„ fendi, etiam in eo ſenſu, in quo reprobantur. De-
„ nique declaro me in præſentiarum ab iis omnibus
„ recedere, & damnationi à ſanctâ Sede factæ acqui-
„ eſcere, neque poſthac vllas docere, aſſerere, aut
„ defendere velle. actum die 24. Maij anno 1580.

32. Non minùs noſtris infenſus erat Iacobus Ianſonius Baii Diſcipulus,ejuſque doctrinæ,velut Auguſtinianæ propugnator acerrimus; atque harum cenſurarum, teſte Leſſio in hiſtoriâ manu ſcriptâ, poſt Baium fabricator præcipuus.

33. Quàm eſſet is doctrinæ Baii Magiſtri ſui ad-

dictus, poſteris tradidit R. P. de Clyn in hiſtoriâ Ianſenianâ manuſcriptâ, vir fide digniſſimus, & in narrando admodùm circumſpectus. Hæc ſunt ejus verba: non tamen adeò fuit exciſa doctrina Baiana, „ quin radices in quorumdam animis, velut ſub terris „ ageret, unde poſteà repullularet. Præcipuus in „ his fuit Iacobus Janſonius Amſtelodami oriun-„ dus; qui in Seminario Adriani VI ſub directione „ Michaelis Baii, ac magiſterio creverat, ac Doctoris laureà vivente adhuc Magiſtro inſignitus: deinde mortuo in dicti Seminarii curam ſucceſſerat. Is quàm altè infixas animo gereret has opiniones, quas tamen publicè ejurarat, non ita diſſimulare potuit, quin ſæpiùs proderet. Fuit cùm perlecto quodam opuſculo Florentii Conrii Tuamenſis in Hiberniâ Archiepiſcopi, quo opinionum iſtarum nonnullæ confirmari videbantur, audiente viro gravi (qui id à ſe auditum in fide Sacerdotis deinde teſtatus eſt) diceret Ianſonius; Ego pro veritate hujus Auguſtinianæ doctrinæ extremam guttam ſanguinis vellem effundere. Ex hoc in Cornelium Ianſenium diſcipulum Ianſonii, & in eodem Pontificio Collegio alumnum fluxit doctrinæ iſtius æſtimatio; atque inde præclarus Ianſenii Auguſtinus Baianarum propoſitionum poſt 60. annos ſcilicet reſtitutor.

34. Cæteri etiam, qui in has cenſuras conſpirarunt, ejuſdem Michaëlis, aut Ioannis Heſſelii fuere diſcipuli. Ita teſtatur Epiſcopus Mildeburgenſis litteris ſuis, (quas in monumentis ſuis aſſervat Collegium noſtrum Lovanienſe) ſcriptis anno à

partu

partu Virginis 1588. die 19. Februarii ad Archie-piſcopum Mechlinienſem; quarum hoc fragmentum produco.

„ Ternas de hâc controverſiâ litteras ad Collegam „ noſtrum Epiſcopum Ruremondenſem dedi, qui„bus rogavi ut ſe medium conſervaret,& non nimis „ cenſuræ crederet: Videret ante cui, & de quibus, „ & quid crederet,admonens illum multa mendacia, „ & calumnias per cenſuram ſpargi, &c.

„ 35. Poſt multa ſic proſequitur ſub finem. Poſt „ mortem meorum præceptorum Ruardi Tapper, „ & Iudoci Tiletani, & receſſum ex hâc Acade„ miâ ad Epiſcopalem reſidentiam Martini Rithovii „ Iprenſis, & Cuneri Leovardienſis Antiſtitum, „ ſemper hæc facultas novæ doctrinæ aliquid gig„ nit, adeò ut liberas opiniones affligat prætextu „ fictæ hæreſeos. Horum autem Michaëlis (Baium „indigitat) & Ioannis (indigitat Ioannem à Lova„nio,ſeu Heſſelium Baio per omnia conſentientem) „diſcipuli ſunt,quicumque nunc temporis Lovanii, „ & in recentiore Vniverſitate Duacenſi Theologi „numerantur.

36. Hi ſunt cenſurarum Lovanienſium, & Duacenſium præclari Architecti, quorum caput Michaël Baius coäctus eſt authoritate Sedis Apoſtolicæ errorum ſuorum univerſim ſeptuaginta novem canere palinodiam: in eo ſanè dignus laude, quod Pontificio imperio tandem paruerit. Alter autem Iacobus Ianſonius Michaëlis diſcipulus, Ianſenii autem Magiſter, traditam ſibi doctrinam à Magiſtro

Digitized by Google

ſuo Michaele, infelici propagine ad Cornelium Ianſenium diſcipulum, & alumnum ſuum tranſmiſit. Cæteri verò ab eodem Magiſtro eâdem imbuti ſunt doctrinâ, eodemque in ſcientiam mediam odio velut hæreditario. Vide igitur *Pſeudophilalethes*, quàm limoſus fuerit fons ille, ex quo prodiere cenſuræ illæ temerariæ, ſuiſque autoribus probroſæ; & ſanè pudeat te illas opuſculo tuo ad perpetuum illius dedecus inſeruiſſe.

37 Quin etiam ipſoſmet earum autores puduit illas vulgaſſe: nam cùm præſente Leſſio, ut ipſe teſtatur in præfato manuſcripto, *ab Illuſtriſſimo Nuncio, Calatino arguerentur, quòd auſi fuiſſent inconſultâ Sede Apoſtolica iſtas cenſuras in doctrinam* Patrum *vulgare; factum*, inquit, *excuſarunt, aſſerentes neſcire ſe quis illas vulgaſſet, præter mentem ab aliis datas publico.*

38. Quanto igitur majori pudore ſuffundi debes, quòd eaſdem ſupremâ jam authoritate reprobatas & ſeverè admodum ſub excommunicationis anathemate vetitas auſus fueris in opuſculum tuum tranſcribere, nec vice ſimplici adversùs ſcientiam mediam vulgare, non ſine ingenti contemptu Sedis Apoſtolicæ.

39. Quomodo non erubuiſti dogmata Leſſii de gratiâ, quæ in præfato edicto Nuncii Apoſtolici ad Lovanienſes miſſo, Sana Doctrina nominatur; tot cenſuris perſtringere, tot conviciis appetere, tot calumniis proſcindere?

Scio equidem te pernegare hæc edicti verba *ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis* afficere contro-

verſa

verſa Leſſii placita; ſed lubet te modò falſitatis convincere.

§. 4.

Demonſtratur hæc præfati Edicti verba ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis *afficere Leſſii doctrinam.*

40. AGe enim, dic; quænam exorta erat Lovanii controverſia? nonne circa Leſſii ſententias de Providentiâ, de Prædeſtinatione, de Gratiâ? Hæc igitur Pontificis verba in brevi Apoſtolico, ad Nuncium ſuum miſſo, *cùm ortam Lovanii controverſiam ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis intellexerimus, &c.* afficiunt Leſſii circa prædictas quæſtiones dogmata in controverſiam, & erroris ſuſpicionem vocata.

41. Eloquere, quænam propoſitiones oblatæ ſunt Summo Pontifici ab eo diſcutiendæ? nonne illæ ipſæ, quas cenſuris ſuis Doctores aliquot Lovanienſes temerè perſtrinxerant? in eaſdem igitur cadit Pontificis aſſertio, quòd ſint ſanæ doctrinæ articuli, cùm id dixerit de propoſitionibus ſibi ad judicium oblatis.

At, inquis, hæc verba *ſuper quibuſdam ſanæ doctri-*

na articulis, non ſunt SIXTI V. ſed Nuncii Calatini.

42. Deciperis, prædicta verba & SIXTI ſunt, & Calatini; Neque enim tantùm continentur in Calatini edicto, ſed etiam in brevi Pontificio ad Calatinum miſſo. Imò Calatinus inſeruit illa conſtitutioni ſuæ, quod in brevi Apoſtolico continerentur. Id diſertè teſtatur Leſſius in manuſcripto ſuo ſupra memorato, his verbis: *Cùm legente D. Nuncio ſuam commiſſionem, advertiſſem in brevi Apoſtolico contineri hæc Pontificis verba; cùm ortam Lovanii controverſiam ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis intellexerimus, &c. Monui poſteà, & rogavi Illuſtriſſimum Nuncium, ut dignaretur illa ſuæ conſtitutioni, quâ partibus ſilentium indicit, inſerere; quod ille, re priùs examinatâ, quam ante non animadverterat, cùm ità eſſe deprehendiſſet, fecit, idque non parùm fregit adverſarios: nam videbant ſatis apertè ſuam cenſuram illis verbis damnari.* Videsne, *Pſeudophilalethes*, quàm toto cœlo aberres, dum ſcribis hęc non eſſe verba Pontificia, ſed dumtaxat Calatini? non afficere Leſſii propoſitiones; ſed tantùm indiſcriminatim ortas Lovanii controverſias.

43. At contra urges; reſcripſit Facultas Duacenſis ad Calatinum expoſtulans de quodam Societatis Profeſſore, qui prædicta verba ad doctrinam Leſſii referebat. Quodnam autem ab eo reſponſum retulerit, omninò ſiles: unde inane eſt argumentum tuum inde petitum: nam probatio petenda erat, non ex litteris Facultatis, quæ pars erat, ſed ex Nuncii reſponſo.

44. Inſtas: Henriquez celeberrimus Societatis Scriptor de ultimo fine, cap. 12. aſſerit Leſſii ſententiam de prædeſtinatione poſt præviſa merita fuiſſe graviter à Sixto reprehenſam: non ergò eam vocaverit ſanæ doctrinæ articulum.

Id quidem ſcribit Henriquez; ſed non probat, unde meritò adjeciſti, ſi verum eſt quod Henriquez aſſeruit, quia ſuſpecta debet eſſe narrationis veritas, quæ nullo argumento ſtabilitur: maximè cùm multæ ſunt rationes in oppoſitum.

45. Prætereà hic Author imponit Leſſio: nam prædicto capite agit de prædeſtinatione non tantùm ad gloriam, ſed etiam ad gratiam: numquam autem Leſſius, aut quiſpiam alius defenſorum ſcientiæ mediæ docuit prædeſtinationem ad utrumque fieri poſt præviſa merita, quia primam gratiam nulla præcedunt merita. Nec tanti eſt Henriquez iſte, ut dici debeat celeberrimus Societatis Scriptor; qui ab eâ ſemel defecit, ut habitum D. Dominici indueret, quem ante profeſſionem exuens, iterùm ad Societatem, ut obſtringebatur, rediit. Qui Theologiam ſuam moralem, & tractatum de fine hominis ſuprà appellatum typis commiſit abſque Superiorum approbatione; unde nulla extat de more præfixa operi Superiorum Societatis facultas. Quod autem poſt titulum ſubjicitur *cum Superiorum permiſſu*, additamentum eſt typographi. Imò, quod mirêris, liber hic nullius habet Cenſoris approbationem, quod non parùm eleuat operis illius autoritatem.

46. Ultima conjectura tua adversùs prædictam

Ponti-

Pontificis approbationem, continet ſuppoſititiam Leſſii propoſitionem. Non hæc fuit, quam recitas: *Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum) humanâ induſtriâ, ſine aſſiſtentiâ Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſteà teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra*: ſed hæc altera; *ſi aliquod opus pium & ſalutare humanâ induſtriâ, ex divino inſtinctu compoſitum, publico teſtimonio Spiritus Sancti approbaretur tamquam in omnibus partibus ſuis veriſſimum, tale opus habiturum veritatem æquè infallibilem, ac Scriptura Sacra, & rectè Scripturam Sacram, ac verbum Dei appellatum iri. Nam ejuſdem authoritatis eſt epiſtola à Rege dictata, & ab eo ſubſcripta: qui modus, etſi de facto putem eum non inveniri in aliquo Scripturæ Canonicæ libro, non tamen eſt impoſſibilis.* Si quid ſit in priori propoſitione dignum reprehenſione, eſt illud, *qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum.* At Leſſii propoſitio Pontifici oblata, affirmat nullum de facto reperiri hujuſmodi librum Canonicum.. Præterea addit *ex divino inſtinctu compoſitum*, cujus oppoſitum continet propoſitio tua. Denique publicum poſtulat Spiritus Sancti teſtimonium de univerſi operis, quoad omnes partes ſuas, veritate. Quid igitur eſt in allatâ Leſſii propoſitione, propter quod dici non potuerit ſanæ doctrinæ articulus?

Nec mirêris diverſam me à tuâ propoſitione ex Leſſio attuliſſe; ſæpè enim de adverſariis ſuis queſtus eſt, quod propoſitionibus ſuis varia addiderint, aut detraxerint.

47. Præter hactenus dicta, inanibus illis conjecturis

ǽturis oppono, quod manu ſuâ ſcriptum reliquit Leſſius, qui vtique id à Bellarmino acceperat, ad quem miſerat propoſitiones ſuas ab vtrâque facultate Lovanienſi & Duacenſi præproperè damnatas, quas ſummo Pontifici diſcutiendas offerret.

48. Hæc ſunt Leſſii verba: „ eaſdem propoſitiones „ jam antè miſeram Romam, abſque tamen antitheſi ſententiæ adverſæ. Eas P. Bellarminus ſummo „ Pontifici exhibuit Sixto V. & explicuit illis propoſitionibus contineri doctrinam, quam facultas „ Theologica Lovanienſis & Duacenſis ſuis cenſuris damnaſſet. Accepit eas Pontifex, & poſtea in „ conſiſtorio juſſit eas coram ſe & Cardinalibus legi: quibus lectis Pontifex, vt erat inſignis Theologus, dixit ſe idem ſentire, & rogavit illuſtriſſimos Cardinales, quid ipſis videretur: qui eaſdem „ propoſitiones tamquam ſanæ doctrinæ articulos „ approbarunt. Vnde Pontifex brevi directo ad illuſtriſſimum Nuncium Octavium Epiſcopum Calatinum; cùm illum Coloniâ Lovanium ad hanc „ contentionem ſopiendam, mitteret, vocat noſtras „ propoſitiones ſanæ doctrinæ articulos: *cum*, inquit, *ortam Lovanii controverſiam ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis intellexerimus &c.*

49. Quid amplius deſideres, vt intelligas hæc eſſe Pontificis verba oblatas Leſſii propoſitiones approbantis, velut doctrinam ſanam? illæ enim ſunt, quæ Pontifici oblatæ ſunt diſcutiendæ: illæ ipſæ, quæ in illuſtriſſimorum Cardinalium conſeſſu examinatæ hoc elogium retulerunt, quod viderentur

Digitized by Google

ſanæ doctrinæ articuli : quod idem ſe ſentire Pontifex aſſereret. Has igitur eaſdem afficiunt prædicta verba brevis Apoſtolici : *cum ortam Lovanii controverſiam ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis intellexerimus* ; eademque repetita in Octavii edicto, quo præfatas cenſuras reprobat, prohibetque ſub pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrendæ.

50. Quomodo ergo auſus es doctrinam ſanam tot conviciis laceſſere ? *vanam*, *deformem*, *fucatam* appellare ? illam meretrici aſſimilare pulcritudinem aliquam pigmentorum inductione mentienti : ab eâ fugiendum tamquam à facie colubri : Zizania eſſe ex agro dominico evellenda.

Quomodo eo deveniſti audaciæ, vt cenſuras tantâ auctoritate, quanta eſt Pontificia, rejectas & vetitas inſtaurares, libro tuo inſereres, & non ſine contemptu Sedis Apoſtolicæ vulgares ? vide quanto te crimine obſtrinxeris, & quanto anathemate feriaris. Interim pergo ad convicia, quibus ipſos etiam auctores ſcientiæ mediæ abunde cumulaſti, adverſus idem edictum Nuncii Apoſtolici.

SECTIO III.

Pſeudophilalethis convicia & calumniæ adverſus ſcientiæ mediæ defenſores.

51. NOn fuit ſatis *Pſeudophilalethi* ſcientiam mediam verbis contumelioſis accepiſſe, cenſuris prohibitis infamaſſe: ſed etiam illius defenſores, ex omni ordine clariſſimos, ac nominatim Patres Societatis IESV non dubitavit contra ſuperiùs allata ſummorum Pontificum decreta dicteriis ac conviciis fœdè admodum proſcindere, vt demonſtrabunt, quæ ſubjiciam.

§. I.

Adducuntur Pſeudophilalethis contumeliæ in aſſertores ſcientiæ mediæ.

52. QVaſi intra intima eorum ſenſa penetraſſet perſpicaciâ omnia pervadenti, ſic illorum conatus, artes & conſilia, ad tegendam, vt ait, ſcientiæ mediæ deformitatem, deſcribit num. 62.

Deformitatem ſcientiæ mediæ multiplicatis pigmentis cooperire conati ſunt Molinæ diſcipuli : miſerunt legatos ſuos procul, id eſt Doctores ſuos per orbẽ ſparſos excitarunt, vt varia pigmenta quærerent: nec alibi potuerunt invenire, quam in apothecis impugnantium Auguſtinum pridem ab Eccleſiâ decineratis. Quam prçclaros facit illorum conatus? *conati ſunt*, inquit, *ſcientiæ mediæ deformitatem pigmentis multiplicatis cooperire.* Quo tendit hic conatus, niſi ad fallendum? quàm ſollicitas facit eorum artes ad decipiendum! *miſerunt*, ait, *legatos ſuos procul, id eſt Doctores ſuos per orbem ſparſos excitarunt, vt varia pigmenta quærerent.* Nonne iſtud eſt aſſerere, voluiſſe illos ſtudiosè incautos decipere? quanta ſit hæc in eos injuria, cordatus lector judicet.

53. Aſt, vbi tandem pigmenta illa, quibus fucum facerent, iuvenere? *In Apothecis*, inquit, *impugnantium Auguſtinum*; hoc eſt in ſcriptis Pelagianorum, aut Semipelagianorum. Quid dici potuit in eos contumelioſius? quid enim magis probroſum, quam ex hæreticis artes ad fallendum mutuari? quid à veritate magis alienum? cum doctrinam ſuam de gratiâ, decretis Conciliorum, & Patrum teſtimoniis, ac nominatim Divorum Auguſtini & Thomæ auctoritatibus ſollicitè ſtabiliant: cujus veritatis tot ſunt teſtes, quot doctrinæ eorum in ſcholis publicis auditores.

54. Quâ igitur veritate ſcripſit num. 229. *Vnde parvipenderunt, ſicut & nunc audent, auctoritates S. Auguſtini, & Divi Thomæ.* Enimverò, ſi illas parvi penderent, non illis ſcripta ſua operosè fulcirent: non in aſſequendâ eorum mente indefeſſo ſtudio conten-

contenderent: non pro eâ tuendâ tot certamina ſuſtinerent. Nemo enim magnopere ſibi laborandum aut decertandum putat, vt ſibi vindicet, quod contemnit.

55. Parum erat *Pſeudophilalethi* illos appellaſſe Auguſtini contemptores, niſi & hoſtes illius acerrimos diceret, perfectæ videlicet gratiæ, quam prædicavit, inimicos conjuratiſſimos; quorum vox in Semipelagianis Auguſtini & gratiæ hoſtibus audiatur. *Ecce*, inquit, num. 125. *Lapis offenſionis, in quem maximè offenderunt omnes perfectæ gratiæ inimici* (defenſores ſcientiæ mediæ intelligit) *inſipienter putantes gratiæ Chriſti medicinalis, ſive, quod idem eſt, gratiæ victricis & prædeterminantis neceſſitatem, inducere præceptorum impoſſibilitatem; vox eorum in Fauſto auditur &c.* Hic autem Fauſtus fuit vnus è præcipuis Semipelagianorum anteſignanis. En tria in hac brevi aſſertione in defenſores ſcientiæ mediæ convicia, videlicet illos eſſe perfectæ gratiæ inimicos, inſipientes, Semipelagianorum æmulos.

56. Non igitur mirum eſt *Pſeudophilalethem* de illorum velut in fide errantium ſalute vehementer ſollicitum, quotidie preces ad Chriſtum fundere, vt illis, quo errorem agnoſcant, lumen impetret. Ita teſtatur num. 33. *quotidie pro illis rogo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt ad agnitionem veritatis, & divitias gratiæ ſuæ illos perducat: velamen enim poſuit ſcientia media ſuper cor eorum.* Videtur alludere ad hanc Eccleſiæ pro Judæis orationem: *Oremus & pro perfidis Iudæis, vt Deus & Dominus noſter auferat velamen*

Digitized by Google

de cordibus eorum, vt & ipſi agnoſcant Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Adeò ſcilicet excęcatos putat ſcientiæ mediæ defenſores, vt ex parte illis applicet orationem, quâ Eccleſia pro tollendâ Judęorum excæcatione Deo ſupplicat: aut certe alludit ad illud Apoſtoli 2. ad Cor. cap. 3. v. 15. *vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum,* Nempe Iudæorum.

57. Hanc Moliniſtarum cum Iudæis ſuperbis & excæcatis occultam comparationem clariùs & fuſiùs proſequitur num. 133. & 134. nam præmiſſo Auguſtini loco de Iudæorum ex nimiâ ſuperbiâ excęcatione, ſtatim ſubdit. *Audi gratiæ ſufficientis Moliniſticæ defenſor cauſam tam exoticæ medicinæ; quoniam tanta erat eorum ſuperbia, vt tali humiliatione*, nimirum excæcatione, *eſſet dejicienda.* & paulo poſt: *volebat Deus ſanare illos* (ſuperbos videlicet Iudæos) *qui viribus ſuis confidentes gloriam ab invicem accipiebant, & gloriam, quæ ex Deo eſt, non quærebant: à quibus* (Iudæis nempe ſuperbis & excæcatis) *non longè diſtant, qui ſufficientiæ Moliniſticæ confidentes, determinationem liberi arbitrii à ſe accipiunt, & illam, quæ ex Deo eſt, non quærunt.* Deinde inducit Auguſtinum alloquentem Moliniſtam, iiſdem verbis, quibus loco ab eo citato Iudæum de ſe nimium præſumentem alloquitur: *noli ergo gratiæ verſatilis & Moliniſticæ ſufficientiæ defenſor, noli ſuperbire, inquit idem Sanctus in pſal.* 118. *conc.* 27. *noli de tuâ, quę nulla eſt, virtute præſumere &c.* An non hæc comparatio defenſorum ſcientiæ mediæ, quos paſſim per contemptum Moliniſtas vocat, cum Iudæis

dæis

dæis excæcatis & ſuperbis, injurioſa eſt?

58. Habuitnè aliquid vltra *Pſeudophilalethes*, cujus collatione illos adhuc majori contumeliâ afficeret? habuit enimverò: jam antea dixi fœcundum eſſe *Pſeudophilalethis* ingenium in hujuſmodi probroſis collationibus. Sciebat majorem fuiſſe Satanæ ſuperbiam, quàm Iudæorum: noluit prætermittere adverſariorum ſuperbiam emphaticâ quâdam comparatione cum Satanæ ſuperbiâ conferre. Poſtquam enim num. 232. expoſuit juxta Moliniſtas voluntatem determinare concurſum Dei indifferentem, exclamat; *quis hic non timeat Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem, cernens voluntatem præcipuas partes habere?* quaſi dicat; qui plus tribuit voluntati propriæ quàm Deo, Satanæ ſuperbiam imitatur, qui nimium ſibi, parum Deo detulit: timeat igitur, ne inſtar Satanæ ſuperbiâ elatus, præceps cum illo in exitium ruat.

59. An levis hęc injuria eſt, tantæ ſuperbiæ, doctores ſcientiæ mediæ inſimulare? vt ſibi videatur in illis videre Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem, & ſimile exitium ob ſuperbiam ſimilem iiſdem metuat? Non eſt quod timeas, *Pſeudophilalethes*; impoſtura eſt, Moliniſtas præcipuas partes voluntati tribuere, quam infrà cum aliis impoſturis tuis retegam: vnde hoc in loco inſigni convicio inſignem impoſturam adjungis.

60. Non minus injurius es, nec minus imponis, dum num. 235. ſub finem, de illorum doctrinâ aïs; *venenum ſub melle latet: tales enim partes voluntati tribuunt, quas acceptas ab auxilio gratiæ negant.* Poſtremum enim mera impoſtura eſt, de quâ inferius; primum,

injuria: namque non niſi de mala & perverſâ doctrinâ ſpeciem bonæ preferente dici poteſt, quod venenum in eâ ſub melle lateat. Sed hoc tibi ſolemne eſt, doctrinam illorum fucatam, larvatam, totamque pigmentis ad fallendum inductam aſſerere: ex quo ſequitur venenum illos perverſæ doctrinæ ſub melle pigmentorum & larvâ veritatis proponere.

61. At nullum eſt convicium, quod toties repetit; quod tam inuerecundè in eos conjicit, ut malæ fidei, & ſtudioſæ fraudis contumeliam. è multis pauca ſeligo. num. 150. ſic habet; *durum planè eſt Moliniſtis contra ſtimulum veritatis calcitrare*. quid eſt contra ſtimulum veritatis calcitrare? niſi propoſitę veritati claritate ſuâ ad aſſenſum ſtimulanti cum probro & contemptu reſiſtere? probroſum facinus eſt, & permagni contemptus alteri calcem impingere; ſed veritati probroſiſſimum, illam vt vilem, vt exoſam, calce quaſi impacta cum dedecore & contemptu à ſe repellere.

62. Quid igitur expulsâ veritate faciant Moliniſtæ? audi, quàm præclarè de illis ſentiat num. 210. *veritate deſtituti Moliniſtæ recurrunt ad fallacias & cavillationes.* audi quale ſit eorum ſtudium ex ejus ſententiâ, num. 178. *vt hinc cordatus agnoſcat non tam ſtudere Moliniſtas veritati ſyncerè aperiendæ, quàm illi rhetoricis tropis ſuis involvendæ*. audi præmonentem num. 271. nè illis fides habeatur: *non enim*, inquit, *ex ſyncero veritatis amore procedunt*.

63. Denique idem confirmans num. vltimo, *vidi*, ait, *Moliniſtas veritatem non tam quærere, quàm involuere*.

involuere, & magis poteſtate, quàm veritate pugnare. vbi hoc factum eſt, *Pſeudophilalethes*? An Romæ, dum pro ſcientiâ mediâ coram ſummo Pontifice, in Patrum purpuratorum coronâ contra Banniſtas decertaret Societas? Pontificiæ Majeſtati, & Aſſeſſorum purpuræ contumelioſus es, ſi id aſſeris. enimverò illic decertavit non poteſtate, non fraude; ſed ſcripturæ, ſed Conciliorum, ſed Patrum, ſed Auguſtini, ſed Thomæ graviſſimo auctoritatum pondere.

64. Quamquã autem omnibus univerſali hâc & indiſcriminatâ inſimulatione non levem injuriam inferat; attamen nominatim hoc convicio prorsùs inverecnndè appetit Reverendum admodum Patrem Franciſcum Annatum optimæ celebriſque memoriæ virum, non ita pridem Regi Chriſtianiſſimo à Confeſſionibus. Sic enim de illo concludit num. 184: *Quid ad hæc dicemus? unum dicam? veritatem non quæſivit.* Si dixiſſet; veritatem non attigit, danda forét illi venia: Sed dicere, *veritatem non quæſivit*, damnare eſt ſcribentis intentionem, & ſiniſtræ fidei arguere,

65. Poſt hæc pergit *Pſeudophilalethes*, & convicioſè interrogat. *An ideò* (quia ſcilicet veritatem non quæſivit) *dereliquit eum* (veritas) *& tradidit ei ſpiritum contradictionis? judicet cordatus Theologus.* Enimverò judicabit, ſed te ſine fronte, ſed temerè, & contumelioſè, tanto Patri ſpiritum contradictionis, & malæ fidei affingere.

66. Audi quo uſque ſpiritum fraudis & mendacii in tanto viro perducat. Non modò illi fraudem

Digitized by Google

imponit num. 239. circa medium; ſed etiam fallendi habitudinem; *ideò*, inquit, *fallaciter modo ſibi conſueto arguit in præſenti P. Annatus.* viro honeſto & probo objicere quod fefellerit, convicium eſt aliquod: at quod fallere conſueverit, contumelia eſt longè graviſſima. nec tamen hîc ſtetit *Pſeudophilalethis* in P. Annatum maledicentia; non erubuit tantum Patrem conferre cum Patre mendacii. Hanc comparationem inſtituit num. jam citato his verbis; *hac nemo dicet, niſi Pater mendacii: neque minùs ſine mendacio potuit ea Annatus ſupponere.* Quis eſt Pater mendacii? exponit Ioannes c. 8. v. 44. *vos* (Iudæos alloquitur) *ex patre diabolo eſtis ...... ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater ejus*, videlicet mendacii. Quid ergo eſt P. Annatum non minus ſine mendacio potuiſſe ea ſupponere, quæ nullus alius potuit dicere, niſi Pater mendacii, niſi illum tam eſſe mendacem, quàm Patrem mendacii, hoc eſt, diabolum? quanta ſit hujus contumeliæ magnitudo, judicet ipſe *Pſeudophilalethes*, & erubeſcat.

§. 2.

§. 2.

Expenditur ſingulare convicium corruptæ Ethicæ Scriptorum Societatis.

67. VT opuſculum ſuum exorſus eſt à conviciis: ita finem illi impoſuere convicia. Palmaris contumelia eſt, quâ opuſculum ſuum clauſit velut appreſſo ſigillo exquiſitæ maledicentiæ ſuæ.

68. Hactenus defenſores ſcientiæ mediæ traduxerat ut ſuperbos, ut fallaces, & excæcatos, ut hoſtes gratiæ, ut ſemipelagianos. Poſt tot convicia nihil videbatur ad calumniam ſupereſſe; habuit tamen quod adderet non ſine ingenti maledicentiæ incremento. Atroces quidem ſunt priores calumniæ, ſed cęteras vincit poſtrema, quâ Doctores Societatis perversâ ethicâ morum facit corruptores.

69. Ut calumniæ fidem conciliet, numerum ultimum orditur à profeſſione veritatis. *Hic*, inquit, *finem pono, & profiteor coram omni cordato hoc me opuſculum ſincero ſolius veritatis amore ſuſcepiſſe, & perfeciſſe.*

Fruſtra id profiteris; nunquam apud cordatos fidem invenies: tibi enim id aſſerenti cōtradicunt convicia tua, quæ hactenus retulimus; contradicunt imposturæ tuæ mox aperiendæ: contradicunt dogmata tua erronea poſt imposturas retegenda. Vnde meritò

te furtivo nomine exuimus, ſubſtitutâ *Pſeudophilale-this* nomenclaturâ.

70. Pergit tamen amorem veritatis his verbis ſimulare: *amore dico veritatis perfectum à me hoc opuſculum*. Quis crederet poſt tam diſertam veritatis profeſſionem mox ſecuturam ingentem calumniam? ſequitur tamen; nam continuò ſubdit; *Vidi enim, non ſine ingenti dolore præclaram illam Societatem, quæ à Deo ſpecialiter electa erat, ut eſſet magiſtra veritatis, factam fuiſſe magiſtram ſcientiæ mediæ.*

Cùm veritati error opponatur, nonne opponendo ſcientiam mediam veritati, æquivalenter affirmat illam eſſe erroneam? & Societatem electam ut eſſet magiſtra veritatis, factam eſſe magiſtram erroris?

71. Sequentia verba, licet perinjuria, prætermitto, ut citiùs ad poſtremam contumeliam perveniam. Præludit illi per calumniam veritatis contemptæ: ſic enim ait contumelioſiſſimè; *Vidi, inquam*, at quibus oculis? lividis ſcilicet, qui omnia mentitis coloribus repræſentant. *Vidi inquam Moliniſtas veritatem non tam quærere, quàm involvere, & magis poteſtate, quàm veritate pugnare.* Pugnarunt enimverò adversùs Banniſtas, arbitro Paulo V. ſummo Pontifice, & ſteterunt immoti. Pugnarunt contra Pſeudo-Auguſtini diſcipulos, ac famoſis illis quinque propoſitionibus damnatis, funditùs proſtraverunt. Aïsne in hoc ſupremo tribunali, ubi ſola præſidet veritas, pugnaſſe illos magis poteſtate, quàm veritate? quanto te obſtringis crimine, ſi id aſſeris?

72. Præmiſſa hâc veritatis contemptæ injuriâ tam-

quam

quam ultimæ anteſignanâ, tandem ex illâ poſtremam infert longè graviſſimam; *ideò ſic dimiſit eos Deus in adventionibus ſuis, ut eorum in ethicis dogmata apud pleroſque eruditos, modò non in levem laxitatis intolerabilis ſuſpicionem traducantur.* Tangis pupillam eorum, nec graviorem eis injuriam inferre poteras, quàm aſſerendo eos, qui ſe diſciplinæ Chriſtianæ magiſtros profitentur, laxiori ethicâ ſuâ morum eſſe corruptores. Quid enim eſt illos in ethicis ſuis documentis laxitatis eſſe intolerabilis, niſi documentorum laxitate, morum inducere corruptionem?

Hoc ipſum, & aliquid ampliùs diſertiſſimè aſſerit in procœmio tractatus de Probabilitate: ſic illud inchoat: *Probabilitati maximè convenit dictum ſapientis, Proverb. 16. Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem. Hæc via ubique terrarum à Moliniſtis prædicatur.*

73. Itàne *Pſeudophilalethes*, ex ſententiâ tuâ non uno tantùm loco, ſed ubique terrarum via mortis æternæ demonſtratur ab his, quibus ex inſtituto ſalus animarum incumbit procuranda? ergò juxta te facti ſunt duces omnium ad perditionem, qui à Deo electi erant ut eſſent duces omnium ad vitam? ergo pronunciante te facti ſunt ethicæ corruptæ Profeſſores, qui ex nomine ſuo deſtinati erant doctrinæ Chriſtianæ præcones; non video quid atrocius in eos excogitari potuerit: pervenit igitur maledicentia tua ad ſummum apicem incrementi ſui.

74. Sed benè eſt, fidem non reperies, niſi apud tui ſimiles eorum oblitos, quæ olim ſub diſciplinâ noſtrâ

Digitized by Google

noſtrâ didicerunt. Adhuc ſcholas noſtras terit universus propemodum terrarum orbis: eloquatur quid in iis didicerit, vitiisnè indulgere, an virtuti incumbere? & ni fallar, cordatorum omnium, quos Societas litteris inſtruxit, vox una ubique perſonabit, per ſummam te calumniam ſcripſiſſe, corruptam eſſe eorum ethicam; non vitiis frænum injicere; ſed laxare.

75. Interrogent Religioſa cœnobia alumnos ſuos virtute & ſapientiâ florentes; unde illuc prodierint? & pars eorum poriſſima, cordatè reſpondebit ſe è ſcholis noſtris prodiiſſe tamquam è fœcundo vitæ Religioſæ ſeminario. Eſtne ethica illa corrupta, quæ diſciplina ſuâ tot adoleſcentes in viros Religioſos feliciſſime efformat.

76. Ediſſerant Paſtores Chriſtiani gregis, quos Theologia noſtra ad tantum munus erudiit; numquid ipſo vſu experiuntur doctrinam à nobis traditam paſcendo & dirigendo gregi eſſe perutilem? Id abunde teſtatur felix ſucceſſus, quem ex documentis noſtris conſequuntur, tam periculoſæ directionis.

77. Tu ipſe *Pſeudophilalethes*, in memoriam revoca dies præteritos, quibus olim te noſtrorum labor ſtudiis humanioribus & Philoſophicis inſtituit; numquid vnà cum litteris virtutes Chriſtianas didiciſti? numquid horror vitiorum animo tuo ab eis incuſſus? numquid amor juſti rectique identidem inſpiratus? numquid divini amoris flammæ ſæpius admotæ? quid in eorum documentis deprehendiſti,

Digitized by Google

diſti, quod morum corruptionem redoleret?

78. Magnæ Thereſiæ Religioſâ Profeſſione filius es: non erant Matris tuæ hi ſenſus perverſi doctrinæ Patrum Societatis Iesv, & peritiæ in dirigendis ad Deum animis. ipſa ſe illis regendam tradebat: illis animi ſui arcana aperiebat; illorum Conſilio in rebus arduis numquam non vſa. Certè partis primæ Epiſt. 19. nomine proprio Patres decem recenſet, quos habuit conſcientiæ ſuæ moderatores; vnde & ſeipſam Societatis filiam ingenuè profitebatur. Hunc ſuum in Societatem amorem & venerationem maximè teſtatur ibidem Epiſtola vigeſimâ, nec dubitavit illic aſſerere Societatem Iesv à Deo electam fuiſſe vt ipſi auxilio eſſet, & conſilio in perficiendâ admirabili illâ carmeli reformatione.

79. Diceſne forſitan hodiernam Jesv Societatem degenerem eſſe à priori illa, cujus rectiſſimam Ethicam, prudentemque animorum directionem tanti fecit illuſtriſſima parens tua falli neſcia? ſi id dicturus es, priores injurias novâ, eâque longè maximâ cumulabis calumnia. enimvèrò necdum emarcuit primarius ille vigor qui naſcentem Societatem animavit, pergétque divinæ gratiæ ſingulari beneficio effloreſcere, illibatâ cum doctrinæ tum morum puritate.

Implebitur, quod Deus ſeraphicæ Thereſiæ revelavit de fructu vberrimo, quem venturis ſæculis perget Societas producere: & de auxilio ſingulari, quo Eccleſiæ laboranti conſtanter ſuccurret.

80. Hanc revelationem ſibi factam narrat ipſa

cap.

cap. 40. vitæ ſuæ, pagina 354. Idiomate hiſpanico, quod latinè ſic reddo fide integrâ. *Cum aliqua die orationi vacarem magnâ cum attentione, ſuavitate, & tranquillitate animi, viſa mihi ſum angelorum coronâ cingi, Deoque ſtare proxima. Exorſa, autem fundere intenſas preces pro Eccleſiâ: divinâ revelatione cognovi ingentem fructum, quem Religioſus ordo producturus eſſet futuris temporibus.* In manu ſcriptis exprimitur hic ordo eſſe Societatis JESV, vt teſtantur Pater Ribera & Martinus Martines, qui addunt in hac revelatione hoc etiam à Deo dictum; *ô ſi ſcires quanto viri illi Religioſi venturis ſæculis ſubſidio futuri ſint Eccleſiæ meæ laboranti &c.* Hanc revelationem de Societate IESV habitam narrat etiam R. P. F. Dominicus Gravina ex illuſtri prædicatorum ordine, in voce turturis part. 7. cap. 37.

81. Habeſne *Pſeudophilalethes* fidem, Matri tuæ? ita eſſe mihi perſuadeo. Tecum igitur expende, an ſtent, cum hac revelatione, quæ ſcripſiſti; nempe doctrinam Societatis ad mores ſpectantem intolerabilis videri laxitatis: viam illam vbique terrarum à Ieſuitis prædicari, quæ videtur quidem homini recta; reipsâ autem noviſſima ejus deducunt ad mortem? eloquere: poteſtne doctrina laxitate ſuâ intolerabili morum corruptrix, vberem fructum illum producere, quem IESV Societatem producturam proſpexit ſeraphicæ Thereſiæ mens perſpicaciſſima? valetne doctrina gratię inimica, vana, fucata, adulterina, virulenta, Semipelagiana, Zizaniis perſimilis ſemen bonum ſuffo-

cantibus,

Digitized by Google

cantibus, (hæc enim ſunt præclara tua ſcientiæ mediæ elogia) valetne, inquam, hujuſmodi ſcientia laboranti Eccleſiæ, ut futurum prædixit inclyta Carmeli Mater, contra hæreſes ſuccurrere?

82. Sed benè eſt: non tibi, ſed ſanctiſſimæ Matri tuæ: non calumniæ, ſed veritati in ipſis effectis effulgenti fides habebitur. Nullus enim eſt hominum ordo quē dirigit Prudens Societatis Ethica, qui ex ejus directione ampliſſimum fructum non referat. Nulla Religioſa familia virtute florens, quæ Societatis aſceticam innumeris ferè libris exaratam identidem non lectitet, illiusque uſu magis magisque effloreſcat.

Nulla eſt naſcens hæreſis, cui bellum non indicat Societas: hocque facto demonſtret veriſſimum magnæ Thereſiæ vaticinium ſupra allatum num. 80. Teſtis eſt hujus veritatis nuperus Janſeniſmus, adversùs quem ex omnibus Religioſis Ordinibus præcipuè inſurrexit; quo ſucceſſu? clarior eſt, quàm ut exponi debeat.

83. Perget etiam contra te inſurgere: quamdiu conviciis, calumniis, impoſturis, contra ipſam pugnabis: contra veritatem, erroribus. Sed ut pacis amans eſt, (quod longo ſilentio ſuo ſatis ſupérque teſtata eſt) non niſi invita ſcriptis tuis bellum movebit; ſperatq; fore ut per ſapiētiſſimos moderatores tuos repreſſo calamo tuo in calumnias & errores præcipiti, arma ſua in te ſtringere ultrà opus non habeat.

§. 3.

Retegitur unde Pſeudophilalethes hauſerit tam perverſam opinionem de Societatis doctrinâ, ac nominatim de corruptâ ejus Ethicâ.

84. SI *Pſeudophilalethes* noſtrorum lucubrationes de ſcientiâ divinâ, & auxiliis divinæ gratiæ ſedato animo evolviſſet, nunquam tot perverſos ſenſus, & dogmata adeò falſa eis affinxiſſet. Abſit enim ut credam tanto eum odio in doctrinam noſtram abripi, ut ſpretâ veritate velit adversùs eam calumniiis & falſitatibus ſciens volensque decertare.

85. Sed totus eſt in terendis Novatorum ſcriptis, quos ſpecioſo nomine magni Auguſtini diſcipulos appellat; totus in evolvendis famoſis illis voluminibus Auguſtini Iprenſis, prædictorum diſcipulorum germani Magiſtri. In illis lectitat, diſcitque doctrinam Societatis adulteratam;& mille impoſturis deformatam. Hinc ſuas in nos calumnias, ſuas in ſcientiam mediam criminationes, ſuoſque errores depromit, ut fiet infra manifeſtũ, ex utriuſque collatione, ex calumniárum & errorum ſimilitudine, iiſdémque utriuſque verbis.

86.

86. Si Moralem noſtram non ab adverſariis illam adulterantibus, ſed ex autoribus Societatis didiciſſet, nunquam de illâ adeò perversè ſenſiſſet, & tam contumeliosè ſcripſiſſet. Non equidem diffiteor aliqua eſſe in quibuſdam improbanda; an propterea univerſim traducenda erat ut corrupta Societatis Ethica? cur præterit Sociorum nomina, qui laxiores illas ſententias improbant? cur non potiùs ex illis de Morali noſtrâ judicat? cur non adſcribit aliis etiam autoribus, quæ in noſtris reprehendit, cùm eadem docuerint ex omni alio hominum ordine non pauci, quorum aliqui ipſa etiam naſcentis Societatis exordia antecesſerunt? cur ergò noſtri ſoli in invidiam, & criminationes iſtarum laxitatum trahuntur? unam ſcilicet Societatem petit *Pſeudophilalethis* odium.

87. Præterea non levem illis, quorum nomina appellat, ex eo infert injuriam, quòd illorum verba producat à cæteris avulſa, quæ laxitates illas reſtringebant, quòd illa quandoque referat mutilata & corrupta; ut infra demonſtrabimus cap. 2. Quamquam enim verba illa, prout dolosè jacent in *Pſeudophilalethe*, nudè ſpectata, caſtos & ſimplices oculos lædant, & horrorem aliquem Religioſæ menti injiciant: ſi tamen ſeſe offerrent cum monitis, cautionibus, & circumſtantiis, quæ illis addita ſunt ab autoribus ſuis, quandoque nullam abſurditatis ſpeciem, aut nimiæ laxitatis exhiberent: ut fiet manifeſtum ex dicendis capite jam memorato.

88. Sed tandem, quis ille liber eſt, ex quo *Pſeudophilalethes* calumnias ſuas indecoro furto abſtulit ad-

versùs Moralem noſtram? id modò retegere aggredior, ut Lector agnoſcat quàm fœtentem camarinam moverit, ut inde educeret, quòd adversùs Societatis Ethicam deblateraret.

89. Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo, in lucem prodiit liber dignus æternis tenebris, noſtræ quidem Societati perquàm injurius; Lectoribus autem minùs cautis planè exitioſus. Inſcribitur: *La Morale des Ieſuites extraite fidelement de leurs livres imprimés avec la permiſſion, & approbation des Superieurs de leur Compagnie. Par un Docteur de Sorbonne.* Et infra ſubjicitur: *Le progrés, que feront ces hommes, aura ſes bornes; car leur folie ſera connuë de tout le monde. 2. Epiſt. de S. Paul à Timothée chap. 3. v. 9.*

90. Anonymus ille Doctor Sorbonicus, cujus nomen erubuit charta, pernicioſo labore ex autoribus noſtris, qui de moribus ſcripſerunt, non minùs contumeliosè, quàm infidè collegit, quidquid corradere potuit minùs caſtigatum, & laxioris doctrinæ. Sic autem in unum collecta, & confertim crudè propoſita abſque circumſtantiis, monitis, ac limitationibus, imò plerumque exaggerata, truncata, & corrupta, diſciplinæ Chriſtianæ probro ſunt, & naturæ vitiatæ ad plurima crimina incitamento.

91. Non tulere curæ pervigiles Regis Chriſtianiſſimi per ampliſſimas ditiones ſuas, impunè ſpargi librum Chriſtianis moribus adeò exitioſum, & Societati IESU, quam diligit & protegit (quod nobis immenſum beneficium eſt) contumelioſiſſimum. Regio igitur juſſu ad ſeverum examen liber hic vocatus eſt, atque

atque ab oculatiſſimis Iudicibus deprehenſus quàm eſſet Societati noſtræ injurius, quanto ſcandalo eſſe poſſet viris probis, & exitio minùs cautis, jure optimo, nequidquam infrementibus gloriæ noſtræ invidis, damnatus eſt, traditus carnifici, dilaceratus, & in flammas ultrices projectus. Sententiam Regiam hìc exhibeo, ut omnibus innoteſcat facti veritas.

DE PAR LE ROY,

Et Monſieur le Prevoſt de Paris, ou Monſieur ſon Lieutenant de Police.

92. SVR ce qui nous a eſté repreſenté par le Procureur du Roy, que la facilité avec laquelle les mauvais livres ont eſté cy-devant debités, ayant donné lieu à l'Impreſſion de celuy, qui a pour tître *la Morale des Ieſuites*, & au debit, qui s'eſt fait en cette Ville de pluſieurs Exemplaires, qui ont eſté envoyés des Païs eſtrangers: Il eſt adverty que certaines Perſonnes mal-intentionnées & accouſtumées à ce Commerce, eſſayent meſme à preſent d'en faire venir un plus grand nombre des Lieux, où l'Impreſſion en a eſté faite. Et comme il eſt aiſé de juger non ſeulement par les voyes extraordinaires, qu'on a pris pour cela, mais encore par le tître meſme de ce Livre, par l'application temeraire de quelques Textes

de la Sainte Eſcriture, par les noms des Auteurs qui ont eſté cités, & par les termes injurieux & ſcandaleux, avec leſquels ceux, qui ont affecté de donner ce pretendu Recueil au public, ſe ſont expliqués qu'ils n'ont eu d'autre deſſein, quelques motifs ſpecieux, qu'ils ayent eſſayé de faire paroiſtre dans l'Advertiſſement, & dans la Preface, que celuy de compoſer un Libelle diffamatoire contre la Compagnie, & la conduite des Ieſuites: Requeroit le Procureur du Roy, attendu meſme qu'il n'eſt rien de plus odieux, & qui ſoit d'une plus dangereuſe conſequence, que ſur ce il fuſt par Nous pourvêu aux termes, & ſelon la rigueur des Ordonnances. Veu ledit Livre intitulé *la Morale des Ieſuites*, pretendu imprimé à Mons chez la Veſue Vaudret à la Bible d'or en 1669. ſans nom d'Autheur, & ſans aucune Approbation. NOVS faiſant droict ſur les Concluſions du Procureur du Roy, Avons declaré le Livre intitulé *la Morale des Ieſuites*, injurieux, diffamatoire, & ſcandaleux, & comme tel ordonnons qu'il ſera laceré & brulé en la place de Greve par les mains de l'Executeur de la Haute Iuſtice, & qu'à la Requeſte & diligence du Procureur du Roy, il ſera informé contre ceux, qui l'ont vendu & debité, & leur Procez fait & parfait ſelon la rigueur des Ordonnances. Faiſons tres-expreſſes deffences à tous Imprimeurs & Libraires, d'imprimer ledit Livre, d'en faire venir des Pays eſtrangers, d'en vendre ny debiter aucuns exemplaires, à peine de la vie, & à toutes ſortes de Perſonnes de quelque qualité & condition, qu'elles ſoyent, d'en

faire

faire aucun debit ny commerce, à peine de punition exemplaire. Et ſera la preſente Ordonnance leuë, publiée, & affichée aux lieux accouſtumés, meſme en la Chambre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de cette Ville, afin qu'aucun n'en pretende cauſe d'ignorance. Ce fut fait & donné par Meſſire GABRIEL NICOLAS DE LA REYNIE Conſeiller du Roy en ſes Conſeils d'Eſtat, & Privé, Maiſtre des Requeſtes ordinaire de ſon Hoſtel, & Lieutenant de Police de la Ville, Prevoſté, & Vicomté de Paris, le treiziéme jour de May 1670. Signé

De la Reynie.

De la Ryantz.

Sagot, Greffier.

Et ledit jour ledit Livre intitulé la Morale des Ieſuites, *a eſté laceré & bruſlé en la place de Greve par les mains de l'Executeur de la Haute Iuſtice, ſuivant & ainſi qu'il eſt ordonné par Sentence cy deſſus.* Signé.

SAGOT.

EXTRAIT.

93. Hic tamen liber *Pſeudophilalethi* in pretio eſt, & deliciis: tot nominibus infamis & exitioſus: hunc lectitat, hunc conſulit, hunc habet Ethicæ noſtræ præclarum ſcilicet informatorem.

94. Non temerè id dico: hujus enim dicti mei non unum argumentum habeo, ſed multiplex. Primò enim quemadmodum Anonymus ille ſtatim

ab exordio peſtilentiſſimi operis ſui ad flammas damnati exponit riſui Eſcobarii collationem viginti quatuor Doctorum Societatis noſtræ cum Senioribus viginti quatuor, quos Ioannes in Apocalypſi repræſentat Agni throno aſſidentes: ita *Pſeudophilalethes* idem Lectori ſtatim obtrudit in ipſo procemio tractatus ſui de probabili, cujus pars potiſſima dicata eſt lacerandæ Societatis Ethicæ: iu hoc etiam novâ calumniâ anonymum ſuperans, quod non minùs falsò ſcripſerit, quàm conviciosè, nos uni gentium Doctori opponere Doctores Societatis viginti quatuor. Hæc ſunt ejus verba in præfato procemio. *Pro uno Doctore gentium, reponunt nobis viginti quatuor Societatis Doctores, quos repræſentat Eſcobarius ſub figura viginti quatuor Seniorum ſedentium ſuper viginti quatuor thronos, &c.*

95. Mera calumnia eſt, cùm ne umbra quidem tenuis extet oppoſitionis tam temerariæ, aut in Eſcobario, aut in ullo alio Societatis Scriptore. Enimverò pluris nobis eſt unus Doctor gentium, quàm omnes non modò Societatis, ſed etiam omnium Ordinum & Academiarum omnium univerſi Doctores.

96. Alterum aſſerti mei argumentum eſt; quod Anonymi illius maledicentiam in Societatem noſtram perfectè æmulatus; nullum alium conſultò, vt Anonymus ille, in nimiæ laxitatis criminationem vocet, preter Ieſuitas, ſi vnum Caramuelem excipias, quem illis, vt alter, adjungit; vt ab hujus ſcriptoris, ceteroqui clariſſimi, nimiâ quâdam opinandi

nandi licentiâ majorem eis conflet invidiam. Non potuit tot aliorum nomina prætermittere ex quovis hominum ordine idem cum noſtris, quos accuſat, ſentientium, niſi ex ſpeciali in nos odio. Cur enim illos præterit, vt Anonymus ille? cur tantùm meminit ſcriptorum Societatis? cur illos ſolos accuſat? niſi quod illos dumtaxat præcipuè exoſos habeat.

97. Tertiam ejuſdem veritatis probationem adfero validiſſimam ex eo petitam; quod omnes illæ opiniones libertati faventes (exceptâ fortè vnâ atque alterâ) quas cenſor plerumque temerarius reprehendit, & damnat, verbo tenus jaceant in maledico illo Anonymo, ex quo proinde pudendo furto illas abſtulerit. Poſſem ſingulas nominatim producere, & paginam Anonymi in quâ reperiuntur, appellare; niſi hæc collatio longior foret, & lectoris tædio obnoxia. Fiet tamen, ſi id *Pſeudophilalethes* poſtulaverit.

98. Poſtremam rationem dicti mei omninò invictam ex eo deduco, quod *Pſeudophilalethes* eo prorſus modo, quo prior ille Anonymus, aliquot noſtrorum poſitiones de moribus mutilarit & adulteraverit, non modo quoad ſenſum, ſed etiam quandoque quoad verba, vt demonſtrabo cap. 2. impoſturis ejus dicato. Iam verò fieri non potuit vt eaſdem criminationes, eaſdem mutilationes eorumdem locorum, eaſdémque adulterationes idem cerebrum non cuderit: cum ergo non potuerint ex poſteriore in priorem emanaſſe, clarum

 eſt

eſt ex priore Anonymo in poſteriorem *Pſeudophilalethem* profluxiſſe;niſi fortè quis dicat tantum fuiſſe vtriuſque conſenſum in criminando, truncando, & corrumpendo ſenſu & verbis auctorum noſtrorum, vt in eaſdem fraudes convenerint. Sed malim de *Pſeudophilalethe* melius ſentire, ac credere ipſum fuiſſe ab altero deceptum.

SECTIO IV.

Auctarium Calumniarum & conviciorum collectum ex novis editionibus opuſculorum Pſeudophilalethis.

§. 2.

Auctarium primum ex nova editione opuſculi ſcientiæ mediæ ad examen revocatæ.

99. PRædictas contumelias & cenſuras prohibitas adverſus ſcientiam mediam: dicteria relata & convicia in illius ſectatores ſtatim à prima editione

Digitized by Google

editione memorati opuſculi, hoc eſt ab annis tribus, collegeram: impoſturas, & dogmata erronea in commentarium retuleram: ſed Majorum auctoritas, ſed fuga contentionum, & nonnulla alia, quæ hic taceo, effecere vt non vulgarentur. Ex ſilentio noſtro crevit *Pſeudophilalethis* audacia: auxit opuſculum: auctum, vt paginis, ita & conviciis & impoſturis, typis commiſit, vulgavit.

100. Non modicum contumeliæ incrementum eſt, quod ſcripſit pag. 108. ſub finem his verbis: *Omnis igitur Moliniſmus* (ſic per contemptum vocat ſcientiam mediam) *à cordibus cordatorum excludatur; nec ſit vtriuſque ſolis diſcipulus, qui minimum ei præbeat aſſenſum. Quid eſt Moliniſmus? Domini Dei depreſſio, ſervi arbitrii elevatio. Si Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam; an non illis reſiſtet, quos Moliniſmi inflat ſcientia?*

101. Quo te, Pater mi, abripit nimium tuum in hanc ſcientiam odium? quò tua in illius autores maledicentia? Hanc reprimere debuit ſuprema Sedis Apoſtolicæ id vetantis autoritas? impetum tui in eam ſcientiam odii ſiſtere debuit conceſſa ab eâdem Sede poſt examen ſeverum, illam ubique terrarum tradendi poteſtas. Quâ igitur temeritate, quâ fronte ſcientiam mediam conviciosè definis *Domini Dei depreſſionem, ſervi arbitrii elevationem*? Scientiam, inquam, illam, quæ ab adverſariis ſuis, ad judicium ſupremi tribunalis pertracta, & validiſſimè ab iiſdem accuſata, pro exilio accepit libertatem: pro damnatione facultatem cathedras aſcendendi, factâ omnibus

bus ſub pœnâ anathematis inhibitione quâlibet eam censurâ perſtringendi. Quanto cum probro illius propugnatores inflatos ſcientiâ, & ſuperbos vocitas? Deus odit ſuperbos; ideòne forſitan adverſus illos, tamquam adverſùs hòſtes Dei ſcriptionem inchoans, & claudens clamas; *ſi quis eſt Domini, jungatur mihi*?

102. Omiſeram annotare hoc contumelioſum epiphonema, quod operi exordium dat & finem: dignum tamen animadverſione eſt ad prodendum *Pſeudophilalethis* animum ſtatim ab exordio opuſculi ſui in convicia præcipitem, in iiſque ad finem vſque conſtantem.

103. Ita olim exclamavit Moyſes vlturus Iudæorum idololatriam Exod. 32. Ita exclamandum, cum decertandum eſt adverſus hoſtes Dei. Quid hâc ergo conviciosâ exclamatione declarat *Pſeudophilalethes*? niſi ſe defenſores ſcientiæ mediæ habere tanquam hoſtes Dei? non poterat, maledicentiam ſuam inchoare ab inſigniori contumelia: non poterat priora convicia digniore convicio finem ſcribendi faciens cumulare.

104. Priuſquam tranſeam ad ſecundum auctarium, lubet hic non nihil ponderare ſingularem hujus hominis modeſtiam in dicandâ maledicentiâ ſuâ illis ipſis, quorum doctrinam irridet, proſcindit & damnat: quorum famam fœdè dilacerat: neque enim id leve injuriarum incrementum eſt. Certè, ſi alterius nomini ſecretò detrahere, magnum vtique crimen ſit: ſi probra & maledicta in os conjicere, ingens contumelia: quid ergo erit convicia & ca-

luminias

lumnias,non in privatùm quempiam hominem ſed in ampliſſimam tot illuſtrium virorum Societatem toto orbe diffuſam , & Chriſtianæ diſciplinæ vbique terrarum magiſtram,non modo typis editas vulgaré; ſed etiam illis ipſis, quos impetit, hanc ſuam in eos maledicentiam inſcribere? neſcio quo nomine crimen hoc debeam appellare, ſi tamen crimen vnum eſt,& non multiplex: neſcio quid in eo primatum obtineat , contumeliane, an impudentia? cordatis judicium permitto.

§. IJ.

Auctarium ſecundam ex novâ editione opuſculi de libero.

105. EXtráctum aliquod ex inſigni operè R. P. F. Ioſephi de Vita Dominicani adversùs prædeterminationes phyſicas hoc anno ineunte luci dederat R. P. Iacobus Platel Societatis Iesv, ſynopſi ſuâ Theologicâ celebris.

106. Ad calcem hujus extracti varia addidit ex Bellarmino, quibus apertæ falſitatis *Pſeudophilalethem* revincit , auſum aliquando aſſerere auctorem illum clariſſimum locis illis, quibus prædeterminationem phyſicam proſcribit, fuiſſe à noſtris adulteratum. indoluit ergo *Pſeudophilalethes* adeo ſe convictum; vt quod

quod reponeret, non habuerit. itaque animo exacerbatus de hoc viro, quem ſummi infimique conſulunt, ſic ſcribit convicio ſe capite .5 §. 5. novæ editionis de libero.

107. *Hanc objectionem noviſsimè nobis exhibuit quidam Moliniſta* (intelligit præfatum Patrem Platel) *in quodam extracto Patris Ioſephi de Vitâ, de quo hactenus in hâc almâ Vniverſitate nihil fuit auditum. Vnde credere nos oportet iſti Moliniſtæ, quem non ſyncerâ valdè fide eſſe credimus: ipſe enim eſt, qui nomen Germani Philalethis Eupiſtini falsò ſibi aſſumens &c.* ſolemne eſt *Pſeudophilalethi* noſtros omnes per contemptum Moliniſtas vocitare, & malæ fidei arguere, vt patet ex dictis ſect. 3. hujus capitis §. 1. n. 61. & ſeq. vnde huic contumeliæ ponderandæ non immoror.

Poſt verba relata, ubi ſeipſum alioſque duos non modicè laudavit, qui opuſcula ſua adverſus auctoritates pro ſcientia media, conviciis etiam & falſis criminationibus deformavere; ſubjungit ſequentia.

„ 108. Expectabant cordati ſolidum aliquod à „ Moliniſtis reſponſum, vt qui primi in arenam deſ„ cenderant, pugnas & palmas ſcientiæ mediæ refe„ rendo, poſtremi etiam pugnarent, & re palmas „ reportarent, quas verbis in libello ſuo prætulerant. „ ſurdus incepit ſpargi rumor de novo libro. Erexe„ runt ſe cordati, & magnum quid aviditate mag„ nâ præſtolabantur. Dicebatur eis quotidiè, ho„ diè ſcietis quia publicabitur liber, & cras videbi„ tis Moliniſtarum triumphos.

109. Numquid, pie Lector, indignaris hæc ſa-

cra

cra verba, *hodie ſcietis quia veniet Dominus & manè videbitis gloriam ejus*, ab Eccleſiâ vſurpata pervigilio natalis Chriſti, aptari tam vili ſarcaſmo? numquid hic ſarcaſmus, abuſus eſt ſacrorum verborum, & impia quædam profanatio?

110. Divino verbo in hac irriſione ſic prophanato ſubjungit jactabundus: *ſed antecesſit noſter Thomiſtarum triumphus. & ita Moliniſtas perculſit, vt nouus liber fuerit dilatus. Quis dilatum non crederet, vt triumphum noſtrum deſtrueret, ad minus turbaret?*

111. Qualis eſſet triumphus tuus, ſtatim theſes noſtræ deſcripſere: ſic enim illum repræſentat Theſis „ ſeptima primæ columnæ. Multa *Pſeudophilalethes* „ imponit ſcientiæ mediæ in triumpho ſuo chimærico. Impoſturæ ſunt, 1. juxta ſcientiam mediam determinationem liberi arbitrii non eſſe effectivè à „ gratiâ. 2. illius determinationem præcedere influxum gratiæ. 3. eandem eſſe primam radicem „ diſcretionis. 4. defenſores ſcientiæ mediæ non excludere dependentiam conceſſionis gratiæ ab operibus ſub conditione prævifis; ſed tantùm ab operibus præſentibus, vel ſaltem abſolutè futuris. 5. „ eoſdem ſolùm agnoſcere indigentiam gratiæ ex „ parte principii elicitivi. 6. eoſdem in eo ſe à Pelagianis, aut Semipelagianis diſcernere, quod hi aſſererent fidem dari illis, quos Deus prævidit crediturus ex naturæ viribus: ipſi verò aſſerant fidem „ dari illis quos Deus prævidit crediturus ex viribus „ gratiæ. Denique plena impoſturis eſt Antitheſis „ Auguſtini, & Molinæ: itaque *Pſeudaphilalethes* pro

curru

Digitized by Google

„ curru triumphali plauſtrum trahit impoſturarum.

112, Prima autem Theſis ſecundæ columnæ ſic „ ſe habebat ſub medium : fruſtra *Pſeudophilalethes* „ dividit prædeterminationem phyſicam in univerſa- „ lem & ſpecialem, ut Auguſtinum conciliet cum „ Doctore Angelico. Stare autem libertatem actûs „ cum illâ ſpeciali, à quâ (ut docet pluribus locis) „ ſic movetur & determinatur voluntas; ut ad actum „ ſuum nec ſe moveat, nec ſe determinet, aut appli- „ cet; ſed tantùm merè elicitivè concurrat, prorsùs „ erroneum videtur. Illius ergò triumphus, erroris „ triumphus eſt, non veritatis.

„ 113. Hęc erant in ſeqnenti poſt medium. Circa „ hanc providentiam non videtur rectè ſentire *Pſeudo-* „ *philalethes*; cùm, ut Ianſenius (ex quo varia ad „ verbum exſcripſit) non tantùm induratis & excæ- „ catis, ſed etiam hominibus juſtis; imò & illis vo- „ lentibus, & conantibus neget ſemper dari auxi- „ lium ſufficiens, ſive ad præcepta implenda, ſive ad „ tentationem vincendam.

114. Hæcne ſunt perculſi animi indicia nihil audentis opponere jactantiæ tuæ? Verius dixèro te ita his theſibus perculſum, ut nec tu, nec tuorum aliquis auſus fuerit pro triumpho tuo tam malè accepto, & plauſtro impoſturarum impoſito arma ſtringere. Id quidem abundè ſufficiebat, ut triumphus tuus vmbratilis Duaci evaneſceret. At quoniam per omnes Belgii Urbes ad compita viarum, & valvas templorum appenſus eſt grandioribus ad pompam litteris, jamque in Galliam, Germaniam, & Italiam excurrerit,

rerit, ne veritati & famæ noſtræ altius vulnus inferatur, neceſſe fuit hoc opuſculum emitti in lucem, illicque vulgari, quo triumphus tuus pervagatus eſt, ut omnibus innoteſcat triumphum eſſe non veritatis, ſed calumniæ & erroris.

115. Pergis ſilentio noſtro inſultare: *accuſantur*, ais, *Moliniſtæ de variis impoſturis, falſificationibus textuum, truncationibus, & mutilationibus teſtimoniorum; quid facilius erat, quàm oſtendere falsò eos accuſari, adducendo ipſos textus, ipſaque teſtimonia?*

Tam leves ſunt accuſationes veſtræ, tam vanis nixæ conjecturis & rationibus, ut ſponte ſuâ corruant, & ſolâ collatione utriuſque partis prorsùs evaneſcant. Itaque chartæ & labori hactenus parcitum eſt, & meritò creditum neminem eſſe harum rerum peritum, & veritatis amantem, qui non poſſit levi ſtudio deprehendere inanes eſſe adverſariorum reſponſiones ad clariſſima teſtimonia pro ſcientiâ mediâ à Germano *Philalethe* producta. Sed quando ita vis, fiet ab eo quod optas. Interim ego impoſturas tuas & errores retegam. Tuum erit, ſi poſſis, utrumque diluere.

116. Deinceps, ut ſpero, magis ſapies quàm ut hæc verba uſurpes, quibus memoratum paragraphum claudis admodùm contumelioſè; *Non igitur nova facta obtrudant, ſed ad præterita reſpondeant; ne iſtis aſſimilentur litigantibus, quos vulgò dicimus, chicaneurs, qui injuſtitiam ſuæ cauſæ agnoſcentes, nunquam ad principale, ut dicitur, veniunt; ſed ſemper nova incidentia excogitant & proponunt.* Accuſaris modò, quod conviciis tuis &

 cenſu-

cenſuris decreta Pontificum violaveris: accuſaris de manifeſtis impoſturis, & graviſſimis erroribus; expurga te, ſi vales.

§. 3.

Auctarium tertium contumeliarum ex novo Opuſculo Pſeudophilalethis de Probabilitate.

117. PRoludit novis injuriis procemio contumelioſiſſimo. Hoc ejus exordium eſt. „Probabilitati maximè congruit dictum Sapientis. „Prov. 16. *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem.* Hæc via ubique terrarum „à Moliniſtis prædicatur, dum tantâ virium ſuarum „confidentiâ probabilitatem efferunt, ut omnibus „ſequentibus eam, omnem promittant ſecuritatem „in capeſſendâ æternâ ſalute: quam tamen cum „metu & tremore operari nos docuit inſtitutus à „Deo Doctor gentium, & Prædicator veritatis. Pro „uno gentium Doctore reponunt nobis viginti qua„tuor Societatis Doctores, quos repræſentat Eſco„barius ſub figurâ viginti quatuor Seniorum, &c.

Quàm gravis ſit hæc calumnia, nos eſſe ubique terrarum præcones viæ quæ ducit ad interitum: viros ſuperbos, & contemptores Doctoris gentium, tecum

cum tantiſper Lector expende; & mirare hominis ad calumniandum inverecundiam.

118. Pergit ſtrenuè conviciari. „ Prænunciavit „ Chriſtus Salvator noſter, quod venit hora, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate:* „ nunc apud Moliniſtas venit hora, quando adoratur „ Deus in ſolâ probabilitate. *Iuſtus es Domine, & re-* „ *ctum judicium tuum.* Iuſto judicio tuo agnovimus fa- „ ctum, ut gratiæ ſufficientis nullo ulteriori tuo „ auxilio indigentis propugnatores, acerrimi fierent „ probabilitatis defenſores. Convenientiſſimum certè „ fuit; ut qui nullo ſe ulteriori lumine indigere profite- „ rentur, & proprias ingenii ſui adinventiones præ- „ tulerant tutiſſimis & inconcuſſis gemini Eccleſiæ „ Solis dogmatibus, ad talem ſtatum devenirent, in „ quo oſtenderes homini infirmo, quid valet „ ratio humana etiam in Chriſtianis hominibus & „ Religioſis, dum relictâ Sacrarum Scripturarum, „ ac SS. PP. autoritate, proprias ſequitur adinventio- „ nes. Iuſto igitur Dei judicio Moliniſtæ facti ſunt „ Probabiliſtæ.

119. Uno tenore id totum retuli, quia continuus eſt contumeliarum contextus. Orditur à fictâ oppoſitione Chriſtum inter & Moliniſtas. Ait enim, *Prænuntiavit Chriſtus Salvator noſter, quod venit hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nunc apud Moliniſtas venit hora, quando adoratur Deus in ſolâ probabilitate.*

Quid eſt Deum adorari in ſolâ probabilitate? niſi vel Deum eſſe tantùm probabiliter adorandum; vel

cultum ei deferendum ſolummodò probabilem aut certè, quod adhuc deterius eſt, ad cultum ſufficere Deum probabilem. Si quem habeat ſenſum alium, ediſſerat ipſe, & exponet hujus injuriæ gravitatem.

120. Quanta ſuperbia eſt, ingenii ſui fœtum præferre gemini Eccleſiæ Solis; hoc eſt Divorum Auguſtini & Thomæ, tutiſſimis & inconcuſſis dogmatibus? quanta impietas Sacrarum Scripturarum, & SS. Patrum authoritatem propriis commentis poſthabere? utriusque tamen diſertis verbis, loco jam relato, reos facit Scriptores noſtros, quos ſemper per contemptum vocat Moliniſtas.

121. Placuit illi in tractatu de Probabili hanc nomenclationem in alteram Probabiliſtarum commutare: ad illos ergo dirigitur ſequens convicium num. 39. „ Laudandi certè ſunt recentes Solis Angelici Diſcipuli, Mercorum dico, Gonetum, & „ Baronium, qui primi inter Iuniores Thomiſtas „ vexillum erexerunt in Probabiliſtas: unus illis fuit „ Chriſtianæ puritatis amor: *unus Probabiliſtarum vi*„*rulentiſſimum dogma* de minùs tutæ, minùsque pro„babilis ſententiæ ſequendæ facultate impugnandi „ zelus & modus.

122. Nihil mirum eſt, poſtquam Probabiliſtarum dogma appellavit virulentiſſimum; ſi in fine numeri 60. Probabiliſtas vocet Evangelicæ doctrinæ corruptores. „ Vtinam, inquit, omnes eodem veritatis „ zelo armarentur in publicos illos Evangelicæ do„ ctrinæ corruptores, quos ut Religioſos, ac doctos

prædi-

„ prædicare, ut quidam faciunt, veritas non permit-
„tit, & charitas vetat: quemadmodum enim ſine
„ veritatis & charitatis diſpendio laudari ut bonæ
„ fidei non poteſt, qui veneno infecta alimenta ven-
„deret: ſic illi qui peſtiferis doctrinis Eccleſiam in-
„ficiunt, quaſi ſinceræ doctrinæ periculoſiſſimè
„ commendantur.

123. Tædet diutiùs calamum terere deſcribendis conviciis. Hactenus allata ſat liquidè manifeſtant, quanta fuerit in *Pſeudophilalethe* cenſurandi temeritas, & conviciandi libido. Non minorem fuiſſe illius inverecundiam in decipiendo, demonſtrabunt impoſturæ, quas capite ſequenti in lucem dabo. Priùs tamen occurram vanæ alicui retortioni.

§. VI.

Occurritur retortioni Pſeudophi lalethis.

124. AT, inquies, in quo alterum judicas, te ipſum tuosque condemnas. Nunquid enim Sectatores ſcientiæ mediæ in ſcriptis ſuis, in ſcholis, iu pulpitis clamitant prædeterminationem phyſicam eſſe libertatis everſivam, & Deo injurioſam? quid aſperius adversùs illam dici poteſt? quid contumelioſius?

125. Fateor quidem illos ſatagere ut id probent: neque id vetat Sedes Apoſtolica. Permiſit utrique parti, & doctrinam ſuam tradere, & adverſariam impugnare: nulla autem habent arma, quibus prædeterminationes phyſicas oppugnent, validiora, quàm argumenta quibus probant illas eſſe & libertatis everſivas, & Deo injurioſas. Nec de te querimur, quod probare contendas ſcientiam mediam eſſe Chriſti gratiæ inimicam, Deum libero hominis arbitrio ſubjicere, tandémque videri cum doctrinâ Semipelagianorum. Probationes tuas placidis oculis legimus, calamo diluimus.

126. Sed tecum expoſtulamus, quod ſcientiam mediam appelles fucatam, deformem, vanam, fraudulentam, muſcipulam pedibus inſipientium, ſimilem meretrici fucatæ, & mentitæ pulchritudinis, Deum ſub creaturâ deprimentem, arbitrium ſupra Deum evehentem, fugiendam ut faciem colubri, ut zizania in faſciculum alligandam. Sed de te expoſtulamus, quod prohibitas adversùs eam cenſuras innoves: quod illas approbes; quod veras pronuncies: quod illarum authoritate opuſculum tuum fulcias. Sed de te querimur, quod Doctores ſcientiæ mediæ dicas vanos, cavillatores, malæ fidei, quærentes pigmenta ad fallendum; ſtudioſos non aperiendæ, ſed involvendæ veritatis; pugnantes non veritate, ſed poteſtate, calcitrantes contra ſtimulum veritatis. De te querimur, qnod eoſdem dicas inflatos ſcientiâ, ſuperbos, contemptores authoritatum DD. Auguſtini & Thomæ, gratiæ Chriſti inimicos, magiſtros non veritatis,

Digitized by Google

veritatis, ſed quod inde conſequens eſt, erroris. De te querimur, quod ſcribas illos non longè abeſſe à Iudæis ob ſuperbiam ſuam excæcatis, & induratis: quod illorum ſuperbiam implicitè conferas cum ſatanæ de cœlo ruentis ſuperbia; quod adversùs eos clames velut adversùs hoſtes Dei, *ſi quis eſt Domini, jungatur mihi.* De te querimur, quod nominatim R. P. Annatum Scriptorem celeberrimum, à Rege Chriſtianiſſimo ad arcana conſcientiæ ſuæ aſſumptum, ſcripſeris deſtitutum à veritate, traditum ſpiritui contradictionis, aſſuetum fallere, non minùs mentitum quàm Patrem mendacii. De te querimur quod Ethicam noſtram traducas ut morum corruptricem. Quod ſcripſeris ubique terrarũ hanc viam à nobis prędicari, quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem: quod venit hora, quâ Deus juxta nos adorandus eſt in ſolâ probabilitate. Hæ ſunt noſtræ, *Pſeudophilalethes*, tecum de tot conviciis expoſtulationes: hæ de tuâ maledicentiâ querimoniæ. An non juſtiſſimæ ſint, ſapiens Lector & cordatus judicet, videatque an veritas prodire potuerit è calamo tam coutumelioſo.

CAPUT SECUNDUM.

PSEUDOPHILALETHIS IMPOSTURÆ.

127. SI *Pſeudophilalethes* ſcientiam mediam, ut in ſe eſt, ſimplici oculo inſpexiſſet, numquam illam

illam tot conviciis, tot cenſuris, tot probroſis comparationibus infamaſſet: numquam illius defenſores tot contumeliis affeciſſet. Sed ſcientiæ mediæ plurima impoſuit, quæ illam adeò deformarunt, ut ſub hâc mentitâ ſpecie, omni probro, omnium odio, ipſoque anathemate digna videatur. Impoſturas ejus aggredior modò retegere,

SECTIO. I.

Prima Pſeudophilalethis impoſtura; juxta ſcientiam mediam aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ.

§. 1.

Demonſtratur impoſturæ falſitas.

128. Lucubrationem ſuam inchoat ab inſigni impoſturâ. Vt ſcientiam mediam probet eſſe gratiæ inimicam, hoc adfert enthimema num. 4. *Scientia media affirmat aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ, ergo ſcientia media eſt gratiæ inimica.* Antecedens ſic probat: *Petrus non accipit effectivè*

Digitized by Google

ctivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet ad amandum; ſed Petrus accipit à libero arbitrio quod ſe determinet ad amandum, ergo Petrus accipit aliquid à libero arbitrio quod non accipit effectivè ab auxilio gratiæ. Vbi majorem inani ratione probavit, ut infra oſtendemus, ſubdit num. 5. *Nec opus eſſet in hoc ampliùs immorari, cùm Molinæ diſcipuli hoc ipſum non diffiteantur.* Egregia ſanè impoſtura; quam confirmans num 6. ait: *verumtamen cùm ex hoc principio totaliter in ſuâ radice denudetur ſcientia media, quantumvis ultrò donetur ab adverſariis, expedit illud radicitùs explicare.* ut impoſtura pateat;

129. Primus prodeat ipſe Molina *Pſeudophilalethi* validè reclamans quæſt. 14. art. 13. diſp. 41. his verbis: *auxilium gratiæ prævenientis eâ ex parte, quâ gratia præveniens eſt, eſt influxus Dei in liberum arbitrium, quo illud movet & excitat, potenſque reddit ut eo pactò motum; tamquam habens jam in ſeipſo principium efficiens actuum ſupernaturalium, ſimul influendo ulteriùs eos producat.*

130. Audisne *Pſeudophilalethes*, Molinam docentem auxilium gratiæ prævenientis eſſe influxum Dei in liberum arbitrium, quo illud movet & excitat? audisne ſic motum reddi potens unà cum auxilio gratiæ producendi actus ſupernaturales?

131. Quâ igitur fide dixiſti Autores ſcientiæ mediæ ultrò admittere aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non ſit effectivè ab auxilio gratiæ? En Molina aſſerit actus noſtros ſupernaturales (inter quos utique ipſa determinatio comprehenditur, cùm ſit aliquis voluntatis actus) procedere ab auxilio gra-

tiæ, & prævenientis, & adjuvantis: à præveniente quidem, quia voluntas ab eâ ad hujuſmodi actus movetur & excitatur: ab adjuvante verò, quia unà ſimul cum voluntate in illos efficienter influit. An hæc aſſertioni tuæ non contradicunt, & te impoſuiſſe evincunt?

132. Audi iterùm Molinam utrumque dilucidè aſſerentem queſt. 14. art. 13. diſp. 40. ubi ſic habet: *quo ſit ut conſenſus liberi arbitrii* (adeòque & determinatio, cùm ipſa ſit aliquis conſenſus) *Deo excitanti & vocanti per gratiam prævenientem, nihil in re ſit quod non ſit ſupernaturale, & quod non ſimul à Deo emanet; non ſolùm tamquam ab alliciente, excitante, & invitante ad id arbitrium noſtrum; ſed etiam tamquam à cooperante per auxilium gratiæ: atque adeò ſit ut nihil omninò habeat adultus ex iis quæ ad juſtificationem ſunt neceſſaria* (inter quæ ipſa utique eſt determinatio) *& quibus à non juſtificato diſcernatur, de quo gloriari poſſit, ac ſi id à Deo non acceperit.*

133. Ecce diſertè aſſerit nihil eſſe in conſenſu, adeòque & determinatione liberi arbitrii (quæ non diſtinguitur à conſenſu) quod non ſit à Deo non tantùm ut alliciente & excitante per gratiam prævenientem, ſed etiam ut cooperante per concomitantem. Nihil omninò habere adultum diſcernens ipſum à non juſtificato, de quo gloriari poſſit, quaſi illud à Deo non acceperit. Hocne eſt concedere, ut imponis, aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ? qui dicit nihil eſſe in conſenſu liberi arbitrii, quod non ſit à Dei auxilio? nihil

omninò

omninò habere adultum in ſuâ juſtificatione; (ad quam utique intervenit ipſa determinatio voluntatis) quod à Deo non acceperit : affirmatne eſſe aliquid à libero arbitrio quod non ſit effectivè ab auxilio gratiæ? nunquid hęc pugnant, aliquid eſſe, & nihil eſſe? qui dicit nihil eſſe quod non ſit ab auxilio Dei numquid negat aliquid eſſe, quod non ſit effectivè ab ejus gratiâ? quâ igitur veritate ſcripſiſti Autores ſcientiæ mediæ ultrò id concedere?

134. Pergit in impoſturâ ſuâ num. 13. & illud Auguſtini in quempiam Pelagianum lib. de pręd. SS. cap. 2. applicat Molinæ diſcipulo. Relatis enim his Auguſtini verbis adversùs Pelagii Sectatorem: *volens à ſeipſo ſibi eſſe quod credit, quaſi componit cum Deo: ut partem ſibi fidei vindicet, atque illi partem relinquat, & quod eſt clarius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi: & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum: non ſic pius & humilis Doctor Cyprianus, qui dicit in nullo gloriandum eſſe, cùm noſtrum nihil ſit.* Tum *Pſeudophilalethes* alloquens Molinæ diſcipulum, ſubdit: *Si nihil noſtrum ſit, peto; quomodo determinatio liberi arbitrii poſſit antecedere influxum gratiæ? quia quidquid non eſt ex influxu gratiæ, noſtrum eſt: & ſi determinatio liberi arbitrii antecedat influxum gratiæ, peto quomodo auxilium gratiæ præveniat liberum arbitrium, ut ſe determinet? Reſpondeat Molinæ diſcipulus.*

135. Reſpondet te per inſignem impoſturam ſupponere, juxta Molinam & ejus Sectatores, determinationem liberi arbitrii antecedere influxum gratiæ. numquid jam Molinam audiſti docentem auxilium

gratiæ prævenientis eſſe influxum Dei in liberum arbitrium, quo illud movet & excitat ad volendum, ſeu ſe determinandum? ſubſequiturne determinationem quod voluntatem ad illam movet & excitat? dividitne cum Deo, qui affirmat nihil eſſe in juſtificatione, quod non ſit Dei ut allicientis, ut excitantis, ut invitantis per gratiam prævenientem, ut coöperantis per concomitantem? tribuitne homini primam partem, ſecundam Deo, qui aſſerit nihil ad ſalutem utile poſſe illum agere, niſi Dei gratiâ præventum? nihil omninò habere in quo gloriari poſſit tanquam id à Deo non acceperit?

135. Audi rurſùs Molinam præfato loco mentem ſuam circa gratiæ influxum exponentem. „Nos, „*inquit*, ſecuti non ſolùm veſtigia, ſed & verba, „apertamque ſententiam Concilii Tridentini Seſſ. 6. „c. 5. & can. 4 .... aſſeveramus quæ ſequun„tur. In primis nullum adultum poſſe credere, ſpe„rare, diligere, aut pœnitere ut ad ſalutem oportet, „abſque preveniente & excitante Spiritûs Sancti „gratiâ.“ Nũquid hæc primas partes tribuunt gratiæ? pergit. „Deinde in poteſtate arbitrii ad„ulti eo pacto à Deo præventi, & excitati eſſe, con„ſentire aut non conſentire Deo ita per prævenien„tem gratiam excitanti ac vocanti.“ Nunquid hæc eſt ipſiſſima Tridentini doctrina?“ Proſequitur. „Tertiò aſſeveramus prævenientẽ gratiam quâ arbi„trium adulti à Spiritu Sancto prævenitur, excitatur, „allicitur, ac invitatur ad prædictos credendi, ſpe„randi, diligendi, ac pœnitendi actus, eſſe inſtru-

mentum

„mentum Spiritus Sancti, quo ulteriùs efficienter „concurrit, ac influit cum arbitrio ipſo ad eoſdem „actus producendos." Potuitne clarioribus verbis impoſturæ te convincere?

136. Molinam ſubſequatur Suarez Sectatorum ſcientiæ mediæ lumen clariſſimum, quem à doctrinæ amplitudine & ſublimitate, jure magnum appellavero: ſubſequatur, inquam, & hanc *Pſeudophilalethis* impoſturam redarguat. Sic ſcribit l. 3. de auxiliis „c. 21. num. 10. Quapropter non ſunt ita diſtinguendæ iſtæ duæ gratiæ (agit de gratiâ operante, „ſeu præveniente, & cooperante) ut quidam actus „ſupernaturales ſint ab unâ, & quidam ab aliâ; ſed „ità ut ſinguli ſint ab utrâque, diverſo tamen modo: „nam ab operante ſunt præveniendo, & inſpirando „ut velimus & faciamus: á cooperante autem ſimul influendo cum voluntate, quando liberè velle „incipit." Quid ad hæc *Pſeudophilalethes*? quid ad ſequentia?

137. Lib. 5. de auxiliis cap 36. num. 16. ſic habet; Denique aſſero per hanc moralem cauſalitatem divinæ gratiæ (in quantùm ſcilicet movet, & „excitat) non excludi phyſicam Dei efficientiam; „imò non unam tantùm, ſed multiplicem ibi intervenire. Nam primò Deus cùm excitat & vocat interiùs hominem, phyſicè in intellectu ejus, & voluntate operatur actus illos, quibus formaliter hæ „potentiæ excitantur. Deinde quando liber conſenſus voluntatis fit, Deus immediatè phyſicè, ac per „ſe illum efficit, influendo ſaltem ut cauſa prima

or

„ ordinis gratiæ. Et prætereà per dona gratiæ data „ per modum actus primi, ſive ſint habitus, ſive ſint „ ipſi actus gratiæ excitantis, ſive aliquid aliud crea- „tum, ſive ipſemet Spiritus Sanctus ut peculiaris ad- „ jutor phyſicè influit cum voluntate in eundem „ actum. Nunquid enim Suarez utroque hoc loco agnoſcit duplicem gratiæ efficientiam reſpectu cujuſlibet actùs ſupernaturalis? Moralem unam à gratiâ præveniente : phyſicam alteram à gratiâ coöperante.

At fortè, inquies, nulla his locis fit mentio determinationis, quam contendo juxta Moliniſtas priorem eſſe influxu gratiæ.

138. Miror ſi id objicias: ex te enim quæro, an determinatio non ſit actus voluntatis? credo te abſque dubio affirmaturum: voluntas enim determinat ſe volendò, determinat ſe electione ſuâ, determinat ſe conſenſu ſuo. Quid autem volitio, quid electio, quid conſenſus, niſi actus voluntatis? qui ergo aſſerit nullum eſſe actum voluntatis ſupernaturalem in quem non influat gratia & præveniens, & concomitans, illa moraliter, hæc phyſicè; utique idem affirmat ipſam etiam determinationem, quæ voluntatis actus eſt, ab utrâque gratiâ profluere.

Sed ut penitùs os tibi obſtruatur, loca profero, in quibus præfatus Author clariſſimis terminis determinationem voluntatis ad bonum utrique adſcribit gratiæ.

139. Libro 3. Opuſculorum cap. 15. ſic habet: „ Huic autem veritati non obſtat, ut ſuprà cap. 9.

ex Aug.

„ ex Aug. retuli, quod homo liberâ ſuâ determina-
„ tione hoc bonum accipiat: quia hanc ipſam libe-
„ ram determinationem ſine Deo inſpirante & ad-
„ juvante habere non poteſt: unde totius illius boni
„ principalis author eſt Deus.

140. Ibid. cap. 22. id ipſum, quod tu modò imponis, ſibi objicit & diluit. „ Nullius, *inquit*, momenti eſt quorumdam objectio, quam ex 3. aſſertione inferunt, ſi voluntas determinat ſe in actibus ſupernaturalibus, illam eſſe aut unicam, aut primam, aut principalem cauſam hujus determinationis. Nulla eſt enim vis, aut veriſimilitudo hujus illationis. Sicut etiam voluntas ſe convertit in Deum, licet non ſola, nec principaliùs ſuam converſionem efficiat. Quia ergò ipſa efficit determinationem ſuam, & in ſe illam efficit; eſt enim quid immanens; ideò veriſſimè dicitur determinare ſe: tamen quia non efficit illam ſine Deo per auxilia gratiæ operante, & coöperante, ideò non ipſi, ſed Deo principaliùs tribuenda eſt illa determinatio.

141. Quid ad hæc *Pſeudophilalethes*? profectò niſi frontem omnem exueris, his lectis pudebit te adeò falsò ſcripſiſſe, non egere te longiori morâ ad probandam hanc propoſitionem, nempè determinationem Petri ad amandum juxta authores ſcientiæ mediæ non eſſe effectivè ab auxilio gratiæ: illos enim hoc ipſum non diffiteri, ultrò id donare; nonne te falſitatis apertè redarguunt hæc Suaris verba. *Tamen quia non efficit illam ſine Deo per auxilia gratiæ operante, & coöperante: ideò non ipſi, ſed Deo principaliùs tribuenda eſt illa determinatio.*

Hanc

142 Hanc impoſturam tuam pariter confutatam reperies lib. 5. de auxiliis gratiæ cap. 27. quod ſic incipit: *Altera objectio ſæpiùs repetita contra nos, eſt quod ex noſtra ſententia ſequitur, vel potiùs quod aſſeramus, priùs naturâ nos efficere determinationem noſtram, quàm Deus phyſicè nos adjuvet*.. Tum producit Davilam, Cabreram, Alvarem, &c. id ſibi, aut quædam inde conſectanea objicientes.

143. Ad quos reſponſionem ſuam ſic inchoat: *Ad totam ergò illam objectionem tria diximus. Primum eſt illam doctrinam, & propoſitiones quibus explicatur, adeò eſſe à ſcriptis noſtris alienas, vt contrariæ formaliter & expreſsè in eis habeantur. Id oſtendo*, &c. Perlege quæ ſequuntur, & impoſturas tuas erubeſces.

144. Alterum ſcienriæ mediæ lumen produco Gabrielem Vaſquez 1. p. diſt. 88. cap. 9. ſic loquentem. „Obſervandum igitur eſt, eandem vocationem & cogitationem ſanctam, & primum motum voluntatis ſubitum, dici gratiam operantem, & prævenientem, & coöperantem, & comitantem, eandem, inquam, diverſò modo conſideratam: nam quatenùs conſenſum noſtrum antecedit, eſt operans, & præveniens; quatenùs verò permanens in nobis efficit nobiſcum conſenſum, eſt coöperans & comitans. Nam ita conſenſus noſter eſt à Deo, & nobis; ut Deus non ſolùm immediatè phyſicè ad illum concurrat, ſed etiam mediâ cogitatione (ſanctâ quam immiſit) illum in nobis efficere dicatur, eo modo quo intellectus voluntatem movet, & allicit.

Numquid

Numquid conſenſus voluntatis determinatio illius eſt? qui igitur agnoſcit duplicem influxum gratiæ in conſenſum, alterum moralem à præveniente, phyſicum alterum à cooperante, admittitne, vt imponis, determinationem, quæ à conſenſu non diſtinguitur, non eſſe effectivè ab influxu gratiæ? judicet quisquis veritati mentis oculum non obſerat.

145. Audiamus & Gregorium de Valentia, qui ſcientiam mediam contra Banniſtas coram Clemente feliciter æquè ac fortiter propugnavit. Poſtquam diſp. 8. q. 3. puncto 3. §. 1. Aliquot propoſitionibus naturam & neceſſitatem gratiæ excitantis expoſuit, pergit §. 2. adjuvantis indigentiam multis adſtruere, è quibus hæc pauca in rem noſtram exſcripſi: „cum igitur ex ſcriptura & Conciliis & „ex Divo Auguſtino conſtet, hominem jam vo„catum & excitatum debere præterea tamquam in„firmum & imbecillum juvari à Deo vt vocationi „conſentiat & convertatur, fatendum eſt gratiam „adjuvantem, quæ præter vocationem, & excita„tionem ad converſionem requiritur, non conſi„ſtere in ſolo actuali Dei concurſu; ſed in aliquo „etiam dono, quo mens hominis roboretur ad „hunc converſionis effectum. Quid amplius Concilia, quid Patres vltra ad converſionem deſiderant? diceſne hæc quidem Valentiam requirere ad ipſam converſionem, at non ad determinationem ſeu volitionem ipſius converſionis? at malè hæc ſéparabis: ipſa efficax determinatio ſeu volitio converſionis,

Digitized by Google

cum ipſa converſione plane conjuncta eſt, eundemque moraliter actum cum illa efficit.

Quamquam invicti illi ſcientiæ mediæ defenſores hactenus allatis ſatis ſupérq; fidem faciunt de impoſtura *Pſeudophilalethis*: alios tamen duos, quos vehementius inſectatur, prætermittere non poſſum, Leſſium videlicet & Annatum concertationibus & palmis celebres.

146. Primum, eumq́ue vnicum inſtar omnium adducit, vt probet quod temere aſſumpſerat, nempe Molinæ diſcipulos non diffiteri aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ. Aliquot illius verba refert ex lib. de gratia cap. 11. num. 8. & 11. quæ à cęteris avulſa poſſunt fortè minus oculatis fucum facere. Hæc autem ſunt ſequentia: *liberum arbitrium directè eſſe cauſam cur hic & nunc Deus influat in opus, tum per ſua dona, tum per ſe ipſum, non autem Deum aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.*

147. Verùm hæc ipſa verba, ſi penitiùs inſpiciantur, redarguunt *Pſeudophilalethis* impoſturam. Si enim, vt his verbis Leſſius aſſerit, Deus influit in opus tum per ſe, tum per ſua dona, quomodo ex illis conficit aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ? quid eſt Deum in opus influere per dona ſua, niſi Deum per ea opus ipſum efficere?

148. Sed videamus quænam Leſſius allatis verbis immediatè præmittat. *Benè*, inquit, *operari non poſſumus, niſi à Deo præventi id eſt attracti & allecti divina*

vina inſpiratione, quâ voluntas noſtra præparetur, vt jam bonum opus ſit in ipſius poteſtate. Sed neque voluntas ſic præparata prævenit Deum in efficiendo opere bono; quia non niſi per vires gratiæ illud efficere poteſt. En duplicem adſtruit voluntatis à gratia in benè agendo dependentiam, alteram à præveniente, ab adjuvante alteram. An quia tertiam non admittit à prædeterminante, rectè argues, juxta illum eſſe aliquid quod gratia non efficit? quis non videt id ridiculè inferendum?

149. Altero autem numero, quem citas, octavo, tantum abeſt vt admittat, quod tu illi imponis; quin etiam illic de impoſtura tuæ ſimili queratur. Dum enim induxit adverſarium hæc noſtris exprobrantem; *qui adſtruere non verentur hominem ex ſola innata ſua libertate divinæ gratiæ conſentire, & ſe ad illam vltimâ diſpoſitione* (ſcilicet vt tu contendis per propriam determinationem,) *præparare.* Subdit *Reſpondeo apertam σκιωωρίαν iſtis verbis contineri quis enim dixit aut ſcripſit hominem ex ſola innata libertate divinæ gratiæ conſentire, & ad illam ultima diſpoſitione ſe præparare?* (quæ, vt tu calumniaris, eſt determinatio voluntatis juxta placita noſtra à libero arbitrio profecta, non à gratia) *contrarium ſupra num. 1. ex Molina oſtenſum eſt. Sanè pluſquam decem locis apertè contrarium tradit.* Quomodo ergo auſus es illud ipſi affingere, quod videbas in ſimili ab ipſo vt calumniam rejectum? miſerum te, qui illis ipſis locis, quæ ex eo in tuam rem citas, arma imprudens ſubminiſtras, quibus conficiaris.

150. Sed juvat ex primo illo numero, ad quem remittit, pauca in rem noſtram huc transferre, quæ apertè impoſturam tuam demonſtrant. Illic ſic habet: „ dicitur enim Deus operari converſionem & „ velle (id eſt propoſitum rectè vivendi) quia men„ tem illuminat, ſuadet, allicit, vires inſpirat, ſeu vt „ D. Auguſtinus loquitur, quia voluntas præpara„ tur à Domino. Deinde quia nobis conſentientibus „ ad hunc ipſum conſenſum per dona ſua nos juvat, „ & nobiſcum ipſum bonum propoſitum in nobis „ producit. Quid hic vides, *Pſeudophilalethes*, quod non ſit ab auxilio gratiæ? an determinationem? at ipſa ab ipſo conſenſu, qui vtique determinatio quædam eſt, non diſtinguitur; quem vtroque modo diſertè ſcribit à Deo proficiſci ut alliciente per gratiam prævenientem, vt adjuvante per comitantem. Quod ſi ipſum formalem conſenſum pręcedat prior aliqua formalis determinatio ad conſentiendum, ſeu prior aliqua volitio pręſtandi conſenſus (quam nec præcedere neceſſe eſt, nec vt præcedat ordinariè accidit) in hanc etiam vtraque gratia influet.

151. Agmen claudat Annatus, in quem bilem ſuam præcipuè effudit *Pſeudophilalethes*. Is in exercitatione ſcholaſtica tripartita ſub nomine Eugenii Philadelphi cap. 3. de ſuppoſititiis § . 8. num. 9. ubi attulit hęc adverſarii verba: „ Iis autoribus (*agit de ſcientiæ mediæ defenſoribus*) „ cum quibus res nobis eſt, „ ita ſentire viſum non fuit; ſed dicunt agens ſecun„ dum liberum ità purè agere, & movere ſeipſum, „ ut non recipiat ſuum agere aliundè: benè quidem

agendi

„ agendi virtutem, ſed non agere ipſum........ ubi ad
„ executionem venitur, homo poſt acceptam cogi-
„ tationem piam , adde & piam cordis affectionem;
„ cum quibus duobus eſt plenè indifferens: ipſe dum-
„ taxat eſt, qui ſe movet, ut illi philoſophantur, ipſe
„ qui ſe applicat, ipſe qui ſe determinat, Deus autem
„ minimè. „ Numquid in eo te agnoſcis *Pſeudophi-lalethes*? nnmquid hæc ſunt, quæ tu noſtris imponis?

152. Audi igitur illum, & tecum, & cum illo de impoſtura hac expoſtulantem; hæc enim ſubjungit.
„ Dicerem huic homini rem eſſe cum naſcituris ho-
„ ſtibus, niſi poſtremo loco nominaret Suarem. Pri-
„ mò igitur falſum narrat, dum id eos ſentire dicit,
„ quorum nemo unus eſt, qui non contrarium pro-
„ clivi animo, prolixâque oratione & aſſerat, & pro-
„ bet, & defendat: Deum ſcilicet poſt creatam libe-
„ ram cauſam, continuoque ſervatam, inſtructam
„ etiam omni virtute ad agendum neceſſaria, adde
„ & admotam circumſtantiis omnibus ad agendum
„ requiſitis: quin etiam auxilio ſpeciali præventam,
„ atque excitatam interiùs ad omnia ſalutis opera,
„ coagere inſuper immediatè: ita ut illius agere ſit
„ etiam identicè, intrinſecè, atque eſſentialiter agere
„ ipſius Dei." Cùm igitur determinatio ſit quædam voluntatis actio; illius autem agere ſit identicè, intrinſecè, & eſſentialiter agere ipſius Dei: quomodo ſtat quod dicis determinationem voluntatis, juxta Autores ſcientiæ mediæ non eſſe efficienter à Deo?

Digitized by Google

§. II.

Solvitur Objectio Pſeudophilalethis.

153 Videor mihi audire *Pſeudophilalethem* multâ cum bile mihi in hunc modum reclamantem: quid me de impoſtura arguis? evolve tuorum libros, & in eis ſparſim lectitabis, non Deum, non gratiam determinare liberum arbitrium hominis; ſed contrà, & Deum, & gratiam ab eo determinari. Voluntatem à gratiâ præveniente quantumlibet ex-excitatam adhuc perſtare velut in æquilibrio dominii ſui, ut ſuum illi conſenſum aut præſtet, aut deneget. Illam à ſeipſa ad alterutrũ determinari. Atq; alia hujuſmodi invenies, quæ apertè demonſtrent verè me dixiſſe, juxta Molinæ diſcipulos, illis ultrò id fatentibus, voluntatem non accipere effectivè, ab auxilio gratiæ, quod ſe determinet; ſed à ſeipſa: proindéque aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non procedit effectivè ab auxilio gratiæ. Ecquid enim eſt voluntatem ſeipſam determinare, non Deum illam; niſi liberum arbitrium non accipere effectivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet? Primum dixêre ſcientiæ mediæ Sectatores, alterum ego priori æquivalens; quid ergò me de impoſtura arguis? vide, quanta cum injuria hoc mihi crimen objeceris.

154. Pauliſper conticeſce : inanem eſſe tuam hâc de re querelam paucis faciam manifeſtum. Si dixiſſes juxta Molinæ diſcipulos voluntatem non accipere ab auxilio gratiæ quod ſe determinet, omiſſo ly effectivè : in hunc modum diſtinxiſſem; non accipit illud ab auxilio gratiæ tanquam à principio determinante, conceſſiſſem : tanquam à principio effectivè influente in determinationem, negaſſem. Cùm ergò addideris ly effectivè : univerſi autem, quod impugnas, concordi calamo ſcripſerint, conſonâ voce etiamnum de pulpito doceant auxilium Dei effectivè influere in determinationem, atque illam omnem unà cum voluntate efficere; ita ut nihil ſit prorsùs entitatis in ea, quod non ſit effectivè ab auxilio gratiæ. Cùm illi omnes agnoſcant geminam gratiæ influentiam in voluntatis determinationem, alteram moralem à gratia excitante, phyſicam alteram ab adjuvante, jure optimo contendo impoſuiſſe te, qui disertè ſcripſiſti Molinæ aſſeclas non diffiteri Petrum non accipere effectivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet ad amandum; ultrò id ab eis donari, cùm tamen pernegetur. Aliud ſanè eſt voluntatem non determinari ab auxilio gratiæ: aliud voluntatem non accipere effectivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet. : ſive gratiam non influere efficienter in determinationem. Primum cum Angelico Doctore, cum antiquis Thomiſtis contra Bannistas admittunt ſcientiæ mediæ propugnatores. Alterum unanimi conſenſu pernegant.

155. Quod ſi mentem tuam explices, declaréſ-

que nihil te per præfatam aſſertionem tuam aliud velle, quàm liberum hominis arbitrium ex illorum placitis non accipere ab auxilio gratiæ determinationem ſuam per phyſicam aliquã illius efficientiam, naturâ & cauſalitate priorem ipsâ voluntatis determinatione: equidem illud ipſum erit quod aſſerunt. Sed is non eſt verborum tuorum ſenſus obvius. Sed ex hac explicatione malè inferes id quod aſſumpſeras probandum, juxta ſcientiam mediam *aliquid eſſe à libero arbitrio quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ.*

156. Ecquis enim non videat moralem gratiæ prçvenientis influentiam in voluntatis determinationem, & quoſlibet actus ſupernaturales, vel tempore, vel naturâ illis priorem: & prçtereà concomitantem adjuvantis eorumdem ſufficientiam, pluſquàm abundè ſufficere; ut nihil prorsùs eorum ſit, quod non ſit effectivè ab auxilio gratiæ? Cùm ergò utramque gratiæ influentiam in quælibet ſalutis opera, atque adeò in ipſam voluntatis ad ea determinationem proclivi animo, prolixâque oratione, ut cum Annato loquar, & aſſerant, & probent, & defendant: quâ veritate ſcripſiſti, juxta illos aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ? quâ fide dixiſti Molinæ diſcipulos id ipſum non diffiteri? non eſt igitur quod juſtè queraris, quod dixerim te impoſuiſſe: teneo enim te de impoſtura convictum.

157. Ne quis ſuperſit locus cavillationi, pergátque *Pſeudophilalethes* imperitis fucum facere, proderit paucis oſtendere inanem eſſe illius ratiocinationem, quâ fruſtrà probarę ſatagit juxta, ſcientiam me-

diam

diam, Petrum non accipere effectivè ab auxilio gratiæ quod ſe determinet ad amandum.

158. Hæc eſt ejus probatio: „quia auxiliũ gratiæ de„terminatur à libero arbitrio ad amorem: cùm „enim auxilium gratiæ de ſe ſit indifferens ad amo„rem, & odium, liberum arbitrium ſuâ determina„tione facit, quod ſit ad amorem. Implicat autem, „quod aliquid effectivè determinet illud, à quo ef„fectivè determinetur. Eſt ergò major illa vera, „quod Petrus non accipiat ab auxilio gratiæ quod „ſe determinet ad amorem; ac proinde ſi Petrus ac„cipiat hoc à libero arbitrio, oportet ut aliquid ha„beat ex ſuo libero arbitrio, quod non habeat ab „auxilio gratiæ.

§. 3.

Oſtenditur inanis eſſe Pſeudophilalethis ratiocinatio reſpectivè ad gratiam prævenientem.

159. PRimò expendamus hanc ratiocinationem reſpectu gratiæ prævenientis. Nemo unus è noſtris eſt, qui non doceat ad quamlibet ſalutarem voluntatis determinationem, neceſſarium eſſe gratiæ prævenientis auxilium, ſpecialem videlicet intelle-

ctus illuſtrationem, inſpirationémque voluntatis. Nullus, qui non admittat hæc auxilia voluntatem movere, inclinare, allicere, ut ſe determinet, ut velit, ut conſentiat. Et ſiquidem efficacia ſint ità movere, ut permoveant, vel ut Auguſtinus loquitur, ità ſuadere, ut perſuadeant; Vniverſi ore uno affirmant, hanc excitationem, hanc motionem, hoc invitamentum moraliter influere in voluntatis determinationẽ, & tantò quidem potentiùs, quantò major eſt excitatio, majusque allectamentum.

160. Videamus modò, quàm bellè huic gratiæ conveniant ea quæ *Pſeudophilalethes* in prædicta ſua probatione de auxilio gratiæ ex Molinæ ſententia pronunciat. Ait illud eſſe indifferens ad amorem, & odium, liberum autem arbitrium determinatione ſuâ efficere quod ſit ad amorem.

Quis hoc crudè ſic dictum admittat? Ecquæ enim in eo ſpecies veritatis, ut id, quod excitat, quod movet, quod allicit voluntatem ad amandum, dicatur indifferens ad amorem & odium? an qui alteri furtum ſuadet, perinde facit, ac ſi indifferenter illum hortetur ad injuriam aut vitandam, aut inferendam? quis adeò inſaniat, ut verum id pronunciet? nec igitur divina motio, ſeu excitatio ad amandum, dicenda eſt indifferens ad amorem aut odium, cùm determinatè ad amorem alliciat odio contrarium. Quia verò voluntas ità mota, & excitata ad amandum, nihilominùs etiam tum ſic amat, ut poſſit non amare; ideò indifferens adhuc dicitur ad amandum, aut non amandum, ipſaque divina motio habere quam-

dam

Digitized by Google

dam velut indifferentiam, hoc ſenſu quod ſecundùm entitatem ſuam ſpectata, nullam habeat repugnantiam, ut pro libertate voluntatis ei reſiſtentis, conjungatur cum negatione amoris, aut contrario actu odii. Verùm id non impedit quominùs dicatur, ac dici debeat voluntatem determinatè movere ad amandum, eamque, dum congrua eſt, ut amet determinare, non phyſicè, ut volunt Banniſtæ, ſed moraliter; eâ ut minimùm efficaciâ, quâ quis conſilio ſuo, aut promiſſis ſuis, aut imperio dicitur alterum ad agendum determinaſſe.

161. Quemadmodum ergò ſuadenti, aut promittenti, aut imperanti, aut quomodocumque alterum allicienti, ac moventi jure meritò actio aliena inde conſequens attribuitur; ità ſanè, ac jure adhuc longè meliori, quæcumque actio bona, quæcumque voluntatis ad bonum determinatio, ad quam divina gratia movet, excitat, & allicit, omninò in Deum referenda eſt: maximè cùm fieri non poſſit, ut ſine hujuſmodi excitatione bonum, ut expedit ad ſalutem, aut velit, aut exequatur.

§. 2.

Digitized by Google

§. IIII.

Evincitur Auguſtinus non aliam admittere efficaciam gratiæ prævenientis, quàm moralem.

162. NEque aliam Auguſtinus vſpiam agnoſcit in gratia, quæ voluntatem bonam prævenit, efficaciam, quàm moralem jam explicatam. Tot exſtant in ejus ſcriptis, tamque manifeſta hujus aſſertionis teſtimonia, vt neceſſe ſit eum cæcutire, qui id non videat. Oculos igitur aperi *Pſeudophilalethes*, illosque in ea, quæ ſubjiciam tantisper defige, atque ità eſſe, vt dixi, vel invitus agnoſces,

163. Hoc tuum telum eſt pręcipuum, quod perpetuò in nos contorques: nempe Deum non modò voluntati vires præbere ſufficientes vt poſſit velle, ſed etiam ex mente Auguſtini, eâque clariſſimâ, ipſam ejus volitionem efficaciſſimè gratiâ ſuâ operari.

Id ſanè, vt veriſſimum, lubens admitto: ſed invictè contendo cæcutire te in media luce, ſi ad id ex mente Auguſtini neceſſariam affirmas gra-

tiam

tiam phyſicè prædeterminantem: cum id ipſe ſemper tribuat morali efficaciæ vocationis congruæ, ita aptè ſuadenti vt perſuadeat: ità ſuaviter voluntatem allicienti vt eam in conſenſum pertrahat. E multis ſelecta quædam, quæ id demonſtrent, adducam.

164. Libro de ſpiritu & litera cap. 34. Sic habet: *viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus: ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes .... ſive intrinſecùs, vbi nemo habet in poteſtate quod ei veniat in mentem.* Quid viſum, quid ſuaſio, quid cogitatio occurrens menti aliud indicant quàm moralem gratiæ excitantis efficaciam? hæc enim in voluntatem agunt non phyſicè, ſed moraliter.

165. Pergit ibidem eandem efficientiam moralem exponere. *His ergo modis quando agit Deus cum anima rationali vt ei credat (neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat) profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos.* Quomodo? jam dixit: vocando ſcilicet, & ſuadendo. Hæc vtique efficientia moralis eſt, non phyſica.

166. Eadem repetit lib. 1. ad Simp. quæſt. 2. *quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio* (non ait phyſica prædeterminatio) *bonam voluntatem: propterea vocanti Deo* (non dixit phyſicè prædeterminanti) *rectè tribuitur, quod benè volumus: nobis verò tribui non poteſt quod vocamur.* Animadvertis ad ly *propterea*? quam cauſam denotat, cur bona volun-

tas

tas tribuatur Deo? phyſicámne prædeterminationem? at ne minima quidem hîc exſtat illius vmbra: ſolius meminit vocationis. Hanc igitur ſolam reſpicit vox cauſalis *propterea.* Ergo ideo tribuitur Deo quod velis benè, quia vocatio ejus gratuita excitavit te vt bonum velles. Excitatio hæc non phyſicè influit, ſed moraliter.

167. Ibidem ſub finem, motionem voluntatis explicat per invitationem, non phyſicam prædeterminationem. *Voluntas*, inquit, *niſi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt.* Juxta tua tuorumque placita dicere debuiſſet, niſi aliquid adſit, quod animum prædeterminet, moveri non poteſt.

168. His conſentiunt quæ ſcripſit lib. 83. quæſtion. quæſt. 68. illîc enim ſic ait. *quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus & vocatus* (quàm in rem tuam præclare faceret, ſi dixiſſet niſi prædeterminatus!) *ſive intrinſecus, vbi nullus hominum videt; ſive extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* Qui admonet, qui vocat, qui ſigna ad monendum oſtentat, præmovetne voluntatem phyſicè an moraliter? judica lector erudite.

169. Libro de prædeſt. Sanct. cap. 20. ſæpius repetit Deum operari voluntates hominum: dixítne vel ſemel eas phyſicè prędeterminando? minimè; ſed inclinando. *Cum Deus, inquit, vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda vt hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili mo-*

Digitized by Google

do & ineffabili operatur & velle. Et poſt agens de electione Saülis in regem: *an*, inquit, *exiſtimant ad regna terrena facienda Deum inclinare: ad regnum verò cæleſte obtinendum Deum non inclinare, quorum voluerit voluntates? ſed puto propter regnum cælorum, non propter regnum terrenum eſſe dictum, inclina cor meum in teſtimonia tua.*

170. Hanc voluntatis inclinationem, phyſicamne interpretaberis prædeterminationem? ſed vide quàm longè ſis à vero receſſurus: præterquàm enim quod diverſa ſit harum vocum ſignificatio; planè etiam erit hæc interpretatio à mente Auguſtini aliena, qui etiã *aguntur*, quod magis phyſicã redolet prædeterminationẽ, exponit per *excitantur*, Ench. c.64. vbi ſic legimus: *& quamvis de illis ſit veraciter dictum. Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei; ſic tamen ſpiritu Dei excitantur & tanquam Filii Dei proficiunt ad Deum, vt etiam Spiritu ſuo, maximè aggravante corruptibili corpore, tanquam Filii hominum quibuſdam motibus humanis deficiant ad ſeipſos, & ideò peccent.* Si ita Spiritu Dei excitantur, vt inſurgente motu humano quandoque deficiant: illa vtique divini Spiritus excitatio, à qua deficientes recedunt, non eſt phyſica, à qua nunquam receditur, prædeterminatio.

171. Præclarus eſt Auguſtini locus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. l. 2. c. 18. quo æquiſſimâ diſtributione malam voluntatem nobis tribuit, bonam Deo. At quâ ratione hujus voluntatis autorem facit Deum? an quia ad illam hominem prædeterminat? minimè; ſed quia illum ad eam excitat; ſed quia adjuvat. Audiamus loquentem. *Quocirca quod à Deo nos*

avertimus

avertimus, noſtrum eſt; & hæc eſt voluntas mala. Quod verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus; & hæc eſt voluntas bona. Quot loca ſuperiùs è noſtris protuli, quibus manifeſtum feci voluntatis determinationẽ ab illis Deo tribui, tum quòd ſtimulo gratiæ prævenientis, quam Auguſtinus aptè vocationem appellat, liberum arbitrium ad illam excitet: tum quia in illa elicienda auxilio concomitantis voluntatem adjuvat. En Auguſtinus Doctorum maximus propter hoc geminum utriuſque gratiæ beneficium bonam hominis voluntatem, atque adeò ipſam ad bonum determinationem, quæ utique bona quædam volitio eſt, Deo pariter adſcribit. Eſt igitur quod hâc in re glorientur ſe tanti Magiſtri fideles diſcipulos.

172. Sed quid tot Auguſtini libros evolvo, ut plura ejus teſtimonia pro morali gratiæ prævenientis motione conquiram? tam apertè totiéſque illam adſtruit præfato ad Simplic. lib. 1. q. 2. ut nullum relinquat locum hâc de re dubitandi: cùm ſemper vocationis efficaciam in quadam illius congruitate, vel aptitudine ad voluntatem movendam conſtituat? *Non volentis*, inquit, *ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* Et infrà. *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Et rursùs. *Illi electi, qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati.* Et infrà. *Etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur,*

quos

quos ità vocat, quomodo eis vocari aptum eſt ut ſequantur. Et rursùs. *Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

173. Quid vocationis aptitudo, quid congruentia ad movendum? an vis aliqua phyſicè prædeterminativa? quis affirmet? quis contendat idem eſſe congruere, ac phyſicè prædeterminare? idem eſſe vocationem aptam eſſe ad movendum, & vim illi ineſſe ad phyſicè prædeterminandum? enimverò id quod congruit, quod convenit, quod delectat, movet alliciendo, movet invitando, non phyſicè voluntatem prædeterminando: atque adeò aptum eſt ut moveat, quia congruit, quia convenit, quia delectat.

174. Auguſtinus tract. 26. in caput 6. Joannis explicans hæc Chriſti verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Tractionem hanc moralem eſſe, non phyſicam prædeterminationem hâc ſimilitudine demonſtrat: *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur, & quod currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur: Si ergo iſta quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt; quoniam verum eſt: trahit ſua quemque voluptas: non trahit Chriſtus revelatus à Patre? quid enim fortius deſiderat anima, quàm veritatem?* Et ſuprà. *Trahit ſua quemque voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio, quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitiâ, delectatur*

ſempiternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt. Annon hæc apertè demonſtrant tractionem illam, quâ toties Banniſtæ abutuntur ut gratiam ſuam adſtruant prædeterminantem, non fieri phyſicâ voluntatis determinatione; ſed ejus excitatione, ſed invitatione, ſed delectatione; ut ovem trahit ramus viridis, ut puerum nux demonſtrata.

175. Itaque cùm autores ſcientiæ mediæ Auguſtini hac in re veſtigiis firmiter inſiſtentes, unanimi conſenſu, conſtantiſſimè doceant divinam vocationem, ſeu gratiam prævenientem influere in quamlibet liberi arbitrii ad bonum determinationem invitando, alliciendo, delectando illuſtrationibus, inſpirationibus, complacentiâ, deſideriis divinitùs immiſſis: illud autem ſit indubitatum Divi Auguſtini, ut ſuprà demonſtravi, effatum, Deum congruis vocationibus, invitamentis, excitationibus, oblectamentis operari in nobis bonam voluntatem, atque adeò & determinationem, quæ ut toties dixi, ſemper eſt quædam volitio: quanta cum falſitate noſtris imponit *Pſeudophilalethes*, juxta eorum placita, ut ipſimet agnoſcunt & fatentur, voluntatem non accipere effectivè ab auxilio gratiæ, quod ſe ad bonum determinet? Profectò neceſſe eſt, vel ut contradicat Auguſtino velle bonum in divinam vocationem refundenti; vel agnoſcat eandem illos vocationis gratiam admittentes, pariter volitionem bonam, & determinationem in Deum propter illam jure optimo refundere.

Paulò longius excurrit hæc noſtra *Pſeudophilalethis* refu-

refutatio reſpectu gratiæ prævenientis. Nunc expendamus eandem ejus ratiocinationem ſuprà allatam num. 158. reſpectu gratiæ adjuvantis : atque etiam hoc reſpectu omninò inanem eſſe oſtendamus.

§. 5.

Declaratur inanitas ejuſdem ratiocinii reſpectivè ad gratiam adjuvantem.

176. AVtores omnes ſcientiæ mediæ uno calamo ſcripsêre voluntatem quantumlibet à gratia excitante præventam, ac præmotam, nihilominus non poſſe ullum actum determinationis ad bonum elicere, niſi in eundem totalem actum determinationis efficienter influat gratia adjuvans; ita ut nihil prorsùs reale in eo ſit, quod gratia hæc unà cum voluntate non efficiat; nihil ſit ad quod voluntatẽ non adjuvet, Quomodo ergò cum hac doctrina ſtare poteſt, quod imponit *Pſeudophilalethes*, eſſe aliquid à libero arbitrio (videlicet ejus determinationem) quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ ? At , inquiet, auxilium gratiæ adjuvantis juxta illos non determinat voluntatem ? ergò juxta eoſdem determiminatio voluntatis non eſt ab auxilio hujus gratiæ.

177. Jam anteà dixi num. 154. inde tantùm conſequi determinationem voluntatis non eſſe à gratia

adjuvante, ut principio determinante: non verò non eſſe ab ea ut principio efficiente. Hæc inter ſe differunt, determinare, & efficere determinationem. Id ſolùm dicitur determinare, quod eſt in agendo liberum. Quoniam igitur auxilium gratiæ non eſt agens liberum, non poteſt hæc denominatio illi competere. Quia verò totam determinationis entitatem vnà cum voluntate efficit, non poteſt niſi falſiſſimè aſſeri illam non eſſe effectivè ab auxilio gratiæ.

In idem redit, ſi dicam, actum, quo ſe voluntas determinat, non habere rationem determinationis reſpectu gratiæ adjuvantis, quià non procedit ab ea ut agente libero: habere tamen rationem effectûs, quia tota ſecundùm entitatem ab ea producitur. Ita actus vitalis, quo v. g. Deum amo ſuper omnia, non habet rationem actus vitalis reſpectu ejuſdem gratiæ: nihil tamen eſt in illo actu vitali, quod non fiat ab ea.

178. Videtur *Pſeudophilalethes* fingere determinationem voluntatis præcedere actum volitionis, & liberum arbitrium abſque auxilio gratiæ ſeipſum determinare: tum gratiam adjuvantem cum voluntate jam determinata concurrere ad actum volitionis.

Id merum figmentum eſt, quod nunquam docuêre defenſores ſcientiæ mediæ. Ex eorum doctrina ipſa determinatio ad volendum, volitio eſt. Voluntas determinat ſe ad volitionem volendo, ad amorem amando, ad conſenſum conſentiendo. Priuſquam Deum amet divinis quidem illuſtrationibus, inſpirationibuſque gratiæ prævenientis excitatur, præmovetúrque

Digitized by Google

turque ad amorem: ſed necdum eſt ad eum determinata. Antequam divinæ vocationi, inſpirationique conſentiat, ad conſenſum quidem ab utraque ſtimulatur, ſed necdum indifferentiam omnem exuit ad conſentiendum aut diſſentiendum. Ad amorem determinatur liberè amando; ad conſenſum liberè conſentiendo.

179. Quod ſi amorem aut conſenſum præcedat hujuſmodi actus, volo amare, volo conſentire: tunc quidem voluntatis determinatio præcedet & amorem, & conſenſum; ſed non erit actus alius ab ipſa amoris, aut conſenſus volitione. Sed hæc utriuſque volitio, ſed hæc utriuſque determinatio ſecundùm ſe totam efficienter procedet ab auxilio gratiæ adjuvantis.

Vides ergò *Pſeudophilalethes*, quàm & vana ſit, & nulla reſpectu gratiæ adjuvantis argumentatio tua, quâ probare niteris, juxta ſcientiam mediam aliquid eſſe à libero arbitrio in ejus determinatione, quod non ſit effectivè ab auxilio gratiæ.

180. Sed hoc ſemper animo inhæret tuo, tuumque in nos ſtimulum acuit, videlicet hoc conſtanter, quidquid dixerim, inconcuſſum manere: Iuxta placita noſtra non Deum, non gratiam, ſed voluntatem ſeipſam determinare. Clamaſque fieri divinæ injuriam gratiæ, niſi ipſa etiam liberum determinet arbitrium. Non ſufficere excitantem, non adjuvantem, non utramque, ſed inſuper neceſſariam eſſe prædeterminantem.

Sed nihil efficies, licet id clames uſque ad raucedinem:

dinem: malo Conciliis, malo Auguſtino, malo Aquinati, malo antiquioribus Thomiſtis, quàm tibi, quàm Banniſtis credere.

§. 6.

Demonſtratur gratia phyſicè prædeterminans repuguare Tridentino & Auguſtino.

181. EVolve Tridentinum, & rimare omnia: nuſquam vel leve veſtigium reperies gratiæ phyſicè prędeterminantis. Perlege caput 5. ſeſſ. 6. Vbi hanc rem ex profeſſo diſcutit, nihil illìc, quod gratiam prędeterminantem adſtruat, reperies: quod deſtruat, invenies. Sic habet; *Declarat prætereà ipſius juſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum IESVM præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam* (non addit prædetermi antem) *ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & coöperando diſponantur.*

182. Ne autem ſub gratia excitante exiſtimes occultè latitare gratiam prędeterminantem: addit excitationem hanc fieri per illuminationem, inſpirationémque

tionémque Spiritus Sancti, quarum vis eſt invitare, allicere, inclinare, non phyſicè voluntatem prædeterminare. Imò hæc verba, *quippe qui illam & abjicere poteſt*, vim omnem prædeterminativam omninò proſcribunt. Quomodo enim abjici poſſet, ſi voluntatem phyſicè prædeterminaret? Si actum illius irreſiſtibiliter inferret? ſi eſſentialem haberet cum eo connexionem?

183. Nec putem dicturum te gratiam prædeterminantem jam datam poſſe abjici: id enim apertè repugnat virtuti ejus prædeterminativæ neceſſariò in actum prodeunti. Sed fortè contendes id eſſe intelligendum non de gratia data, ſed oblata, quam cenſendus ſit abjicere, qui peccando impedit ne detur.

184. At Concilium apertè loquitur de gratia jam data: agit enim de gratia, quæ cor hominis tangit & excitat, quod gratiæ oblatæ nequit convenire: tangit enim cor hominis illuminando, tangit inſpirando: neutrum autem pręſtare poteſt, niſi ſit data.

185. Nec oblata rectè dicitur poſſe à nobis abjici; cùm & nos lateat an ſit oblata, nec pendeat à nobis ut detur; ſed ab uno Deo gratias ſuas, prout ipſi libuerit, donatione omninò gratuitâ diſtribuente.

186. Sed hęc verba, & alia in decreto de juſtificatione, ex mente Patrum hujus Concilii excludere à gratia vim omnem prædeterminativam, videtur omninò indubitatum ex teſtimonio Bellarmini, viri & ſanctitate, & ſcientiâ, & dignitate illuſtriſſimi. Is enim in manuſcripto quod Romæ diligenter aſſervatur in archivio domûs profeſſæ Societatis JESU, quod

 propriâ

Digitized by Google

propriâ manu totum exaravit, juſſus à Clemente VIII. ſententiam dicere de cenſura quadam eidem Clementi à Patribus Dominicanis oblata adversùs doctrinam Molinæ de auxiliis gratiæ: is, inquam, vir tantus, in hoc manuſcripto diſertè narrat, cùm ante decretum de Iuſtificatione, Religioſi duo ſententiam expoſuiſſent de liberi arbitrii prædeterminatione, id fuiſſe à Patribus malè acceptum, quod videretur minus Catholicum: ideóque decretum de Iuſtificatione juxta communem aliorum ſententiam hanc prædeterminationem rejicientium fuiſſe ab eis conditum.

187. Hujus manuſcripti fidele extractum nuperrimè vulgavit Germanus Philalethes, ut adverſariorum impoſturam de Bellarmino à noſtris circa gratiæ efficaciam, & ea, quæ prædeterminationi apud eum adverſantur, adulterato, luce meridianâ clarius demonſtraret. Hoc autem extractum verè eſſe ex autographo Bellarmini, in eóque ad verbum contineri, ſubſcriptione ſuâ, & officii ſui ſigillo fidem facit indubitatam Hieronymus Cattaneus Præpoſiti Generalis Secretarius.

188. Hæc ſunt in eo, quæ ad rem noſtram faciunt, Bellarmini verba. *Quod etiam ſenſerunt Patres Concilii Tridentini: Nam in actis Concilii, quæ habentur in arce S. Angeli, refertur, quod cum in diſputatione Theologorum, quæ habebatur ante ſeſſionem ſextam, duo Religioſi protuliſſent ſententiam iſtam de prædeterminatione liberi arbitrii, fuit malè acceptum, eò quòd non videretur valdè Catholicum: & propterea decretum forma-*

Digitized by Google

tum eſt, juxta communem aliorum ſententiam. Qui utique hanc prædeterminationem negabant: illos enim prioribus opponit.

189. Iam diù anteà Concilium Arauſicanum ſecundum, agens de gratiæ neceſſitate, gratiam vocaverat, ut Tridentinum, illuminationem, inſpirationem, adjutorium, nullâ prorsùs eam inſigniens nomenclaturâ, quæ vim aliquam prędeterminativam ſignificet. Canone 7. ſic loquitur. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere, &c. poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.* Canone 9. addit divinam coöperationem: nuſquam prædeterminationem.

190. Quàm pariter alienus ſit Auguſtinus ab hac gratia phyſicè voluntatem prædeterminante, ſatis ſupérque exploratum eſt ex iis, quæ ſuprà à numero 164. uſque ad num. 175. fideliter ex eo retulimus. Nunquam enim his locis, aut aliis, gratiam facit prædeterminantem, ſed invitantem, ſed allicientem, ſed adjuvantem.

191. Quamquam autem prædictis numeris allata abundè probent, quod dixi; non poſſum tamen inſignem alterum ejus locum prætermittere, deſumptum ex Serm. 13. de verbis Apoſt. poſt medium: ubi profectò meminiſſe debuiſſet virtutis iſtius prædeterminativæ; ſi talem eſſe motionis divinæ efficaciam crediſſet. Illic enim ponderat hunc Apoſtoli locum ad Rom. 8. *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur,*

hi ſunt filii Dei, qui maximè divinæ motionis virtutem indicat. Illìc autem nihil habet quod vim illius prædeterminativam, vel minimum innuat. Cùm enim induxiſſet objicientem: *Ergò agimur, & non agimus* Reſpondet, *imò & agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, agnoſce quid confitearis, quando dicis: adjutor meus eſto; ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.*

192. Quinies nomen adjutoris tribuit Deo; ne ſemel quidem prædeterminantis. Tumque explicans motionem illam Spiritûs Dei, ſubdit: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei; non literâ, ſed ſpiritu; non lege præcipiente, minante, promittente; ſed ſpiritu exhortante, illuminante, adjuvante.* Quàm velles addidiſſet *prædeterminante*! Sed volve, & revolve Auguſtini libros, nullibi reperies bonum fieri Spiritu Dei, aut gratia ejus voluntatem prædeterminante. Spiritus Dei quidem movet ad bonum, & permovet efficaciſſimè, ſed exhortando, ſed illuminando, ſed delectando, , ſed adjuvando: quæ omnia phyſicam prædeterminationem minimè redolent.

Tot ſunt Angelici Doctoris teſtimonia quibus evincitur voluntatem à Deo non determinari, vt *Pſeudophilalethem* quantumvis reluctantem videantur poſſe in ſententiam noſtram pertrahere.

§. 6.

Digitized by Google

§. VI.

Probatur eadem gratia prædeterminans adverſari Doctori Angelico & Antiquis Thomiſtis.

193. ID primò probant loca, quibus docet cauſæ liberæ eſſe ſeipſam determinare: id tradit in 2. Diſt. 25. q. 1. Art. 1. in O. his verbis. *Iudicium de actione propria eſt ſolùm in habentibus intellectum, quaſi in poteſtate eorum conſtitutum ſit eligere hanc actionem vel illam: vnde & dominium ſui actus habere dicuntur; & propter hoc in ſolis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur; non verò in illis quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis cauſis prioribus.* Audiſne liberum arbitrium non inveniri in illis quorum actiones ab aliis cauſis prioribus determinantur? idem confirmat ibid. Diſt. 28. q. 1. art. 1. in O: *non enim eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret.* Efficaciora adhuc ſunt quæ habet 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. *Dicendum,* inquit, *quod Deus movet voluntatem ſicut vniverſalis motor ad vniverſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud.*

illud. Pondera particulam adverſativam *ſed*: maniſeſtè indicat determinationem hanc ad volendum hoc vel illud in particulari non ſpectare ad Deum vt determinantem, ſed ad ipſam voluntatem.

194. Idem probant quæ docet de voluntatis in actus ſuos dominio 1. parte. q. 82. art. 1. ad 3. ſic loquitur: *dicendum quod ſumus Domini noſtrorum actuum ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere*: hæcne quadrant voluntati prædeterminatæ ad hoc potius quam illud? queſtione 3. de Potentia art. 7. ad 12. ſic habet: *voluntati hominis dedit* (Deus) *Dominium ſui actus, vt non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis*: at per prædeterminationem vni ejus parti ineluctabiliter adſtringitur. Idem aſſerit lib. 1. contra gentes cap. 68. *Dominium*, ait *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle vel non velle, excludit determinationem voluntatis ad vnum.* Nunquid voluntas per phyſicam prędeterminationem ad vnum determinata eſt? profecto neceſſe eſt id fatearis, niſi loquaris pugnantia, affirmeſque prędeterminationem eſſe ad vtrumque & velle & non velle.

195. Vim adhuc majorem habent loca illa, in quibus diſertis verbis negat voluntatem determinari ab alio. Tria proferam efficaciſſima: in 2. Diſt. 25. q. 1. art. 2. in O. Sic ſcribit, *in omnibus quæ ſub electione cadunt voluntas libera manet, in hoc ſolo determinationem habens quod felicitatem naturaliter appetat: & non determinatè in hoc vel illo.* Staretne veritas hujus aſſertionis: *in hoc ſolo determinationem habens*

quod

quod felicitatem,ſive bonum in genere, *naturaliter appetat*, ſi ad quodlibet etiam bonum particulare prædeterminaretur ? nunquid etiam talis prędeterminatio deſtrueret veritatem harum particularum, *& non determinatè in hoc vel in illo*? quis neget ? niſi ſibi ipſi contradicens velit voluntatem prędeterminatam non eſſe determinatam.

196. Ibid. Diſt. 39. quęſt. 1. art. 1. in O. Tam clarè tradit aſſertionem noſtram, vt nihil ampliùs ad claritatem poſſit deſiderari : hæc ſunt ejus verba. *Ipſa autem potentia voluntatis quantum in ſe eſt indifferens eſt ad plura; ſed quod determinatè exeat in hunc vel illum actum, non eſt ab alio determinante ſed ab ipſa voluntate*, vel vt habet alia verſio eodem ſenſu, *non eſt ab alio determinatè*. Sed non vereor ne ad hanc lectionem confugiat *Pſeudophilalethes* vt tentet evadere ; cum ipſemet eundem locum referens num. 77. Lectionem noſtram vt veram ſecutus ſcripſerit *non eſt ab alio determinante*, eamque vt germanam reſtituerit P. Ioannes Nicolai Dominicanus. Nunquid illud ipſum eſt quod aſſerimus, voluntatem non determinari niſi à ſeipſa? ſed & id in terminis tradit Ibid. art. 2. in O. *Ratio enim culpæ in actu deformi eſt ex hoc quod procedat ab eo, qui habet dominium ſui actus : hoc autem eſt in homine ſecundum illam potentiam quæ ad plura ſe habet, nec ad aliquod eorum determinatur niſi ex ſeipſa..*

197. Videamus modo quam pręclarè Magiſtro ſuo Angelico conſentiant antiquiores Thomiſtæ. E multis tres illuſtriſſimos ſelegi Ferrarienſem, Capreolum, Cajetanum. 1us. libro 4. contra Gent. cap. 22. explicans

explicans verba illa S. Thomæ. „ conſiderandum „ eſt quod à Spiritu Sancto Filii Dei aguntur, non ſi„ cut ſervi ſed ſicut liberi: cùm enim liber ſit qui ſui „cauſâ eſt, illud liberè agimus quod ex nobis agimus, *ſic habet*: „ dicitur aliquid agi ad aliquid, quan„ do ad aliquid agendum ab altero movetur. Et ſi„ quidem actio illi determinetur ab altero omnino, „ ita quod ipſum non ſit indifferens ad agendum, „ ſed agat pręcisè ſecundum inclinationem ſibi ab „ altero ad vnum determinatam, ſic dicitur ſim„ pliciter agi. Sicut bruta dicuntur agi, in quantum „ ſunt eis operationes à natura determinatæ ad vnum. „ Si autem actio non determinetur ſibi ab altero, „ ſed ſic quidem moveatur ab altero ſive inclinetur „ ad agendum, quod tamen in poteſtate ſua ſit agere „ vel non agere, ſive agere hoc modo, vel illo: tale „ dicitur agi non ſimpliciter, ſed ſecundum quid: „ quia non determinatur ſibi actio ab extrinſeco ad „ vnum, ſed ipſum ſe determinat: ſed tamen aliqua„ liter inclinatur ad agendum ab extrinſeco. Quia er„ go Spiritus Sanctus ſic ad agendum nos inclinat, „ quod liberè tamen operamur, tanquam in noſtra „ poteſtate habentes ſequi Spiritus Sancti inclinatio„ nem & motionem, dicimur ab ipſo agi non ſim„ pliciter ſed ſecundum quid. *hæcne ſententiam prædeterminantium adſtruunt an noſtram? id ſibi oppoſuerat*; „ ſi à Spiritu Sancto agimur &c. ergo coacti bene o„ peramur: quia agi eſt eorum quæ ab alio moventur. Reſpondet ex mente S. Thomæ nos liberè nihilominus agere, quia ſic movemur à Spiritu

Sancto,

Sancto, ſi inclinamur ad agendum vt tamen in poteſtate permaneat agere vel non agere: agere hoc modo aut illo. Id autem in poteſtate permanere, quia motio divini Spiritus non eſt ad vnum determinativa, ſed aliqualiter dumtaxat inclinans. Quis non videt hęc gratiam prędeterminantem penitus deſtruere?

198. Clariſſimis etiam verbis ſtat à nobis Capreolus in 1. Diſt. 45. quęſt. vnica ad 4. contra 3. Concl. vbi ait: *voluntas, quantum ad exercitium actus ſcilicet, vt velit vel non velit determinatur à ſeipsa.* Ne autem cavillêris dicaſque vtrumque poſſe ſimul ſtare & voluntatem à Deo prædeterminari & ſeipſam determinare; pręterquam quod enim id videatur à veritate omnino alienum, cum determinatio eſſentialiter pręſupponat indifferentiam, quæ permanere non poteſt in voluntate prędeterminata, iuſuper occurrit tibi in 2. Diſt. 24. quęſt. vnica. art. 3. ad 6. argum. *voluntas*, inquit, *quantum eſt de ſua natura, eſt ad oppoſita: ipſa tamen ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id quod vult; & ita non indiget alio determinante*: nunquid hęc poſtrema verba evincunt ipſum non agnoſcere indigentiam phyſicæ prędeterminationis?

199. Fatalem ictum eidem prędeterminationi intulit Cajetanus 1. parte, quęſt. 19. art. 8. §. ad 1. rationem Scoti, quam ſic ſibi objicit: *cauſa movens in quantum mota, ſi neceſſariò movetur neceſſariò movet: ſed omnis cauſa ſecunda eſt movens in quantū mota à 1ma. ergo ſi neceſſario movetur neceſſariò movet*; ita reſpondet: *dupliciter contingit ſecundam cauſam moveri à prima,*

vno

vno modo motione prævia propriæ actioni, ſicut baculus movet lapidem motus à manu, alio modo motione cooperativa intrinſecè propriæ actioni. Et quidquid ſit de majore in primo ſenſu, in ſecundo tamen eſt falſa, in quo tantum verificatur minor. Ecce aſſerit Minorem quæ vuiverſalis eſt, de motione dumtaxat cooperativa verificari: non igitur agnoſcit neceſſariam eſſe prævia. Vnde ſubdit: *non enim oportet cum aliquis vult aliquid, ſeu cum ſol illuminat, cauſam primam præviâ motione cooperari, ſed ſufficit & exigitur eam intrinſecè cooperari tali electioni vel illuminationi.*

His adjungo Ioſephum de Vita Dominicanum qui nupèr tractatu integro clarè demonſtravit Prædeterminationem phyſicam eſſe alienã à mente S. Thomę.

Hunc tractatum approbarunt,& laudarunt ut doctrinæ S. Thomæ conformem Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, Provincialis Siculus eiuſdem Ordinis, & Regens Studii Generalis S. Dominici Panormi. recenter Duaci editus eſt.

§. VII.

Colliguntur hactenus dicta.

200. Tempus eſt vt hactenus dicta de hac prima *Pſeudophilalethis* impoſtura paucis colligam, vt ſub vno quaſi intuitu pateat quam juſta ſit noſtra de illo expoſtulatio.

Nullam aliam gratiæ pręvenientis pręmotionem agnoſcunt Patres Tridentini pręter illam quæ eſt

per

Digitized by Google

per illuſtrationes intellectus, inſpirationeſque voluntatis, penituſque deſtruunt vim omnem prędeterminativam, dum definiunt poſſe illi reſiſti, poſſe illam abjici, vt oſtenſum eſt num. 181. vſque ad 189. imò vt ex Bellarmino probatum eſt num. 140. & ſequent. Cum Religioſi duo ante decretum de juſtificatione ſententiam ſuam protuliſſent, de gratia liberum arbitrium prędeterminante, id fuit malè à Patribus acceptum, quod videretur parum catholicum; ideòque decretum de gratia conceptum fuit juxta communem aliorum ſententiam, qui vtique nullam vim prędeterminativam in gratia agnoſcebant.

201. Nuſquam Auguſtinus ſcripſit Deum efficere vt bonum velimus, voluntatem phyſicè ad id prędeterminando; ſed millies dixit id peragere ſuadendo, excitando, alliciendo, pertrahendo, internis viſis, internis illuſtrationibus, congruis cogitationibus intellectui immiſſis, cœleſti aliquâ ſuavitate, complacentia, & delectatione boni voluntati inſpirata, vt demonſtratum eſt à num. 164. vſque ad 175.

202. Angelicus Doctor locis ſupra relatis num. 193. & ſeq. Docet non inveniri liberum arbitrium niſi in agente ex propria determinatione. Non futurum hominem liberi arbitrii, niſi ad eum actionis propriæ determinatio ſpectaret. Voluntatem non eſſe obligatam ad alteram partem contradictionis. Dominium quod habet in actus ſuos, excludere determinationem ad vnum. In hoc ſolo determina-

tionem habere, quod felicitatem naturaliter appetat; indifferentem eſſe ad plura: & quod determinatè exeat in hunc vel illum actum, non eſſe ab alio determinante. Non determinari niſi ex ſeipsa, &c.

Idem docet Ferrarienſis num. 197. Idem Capreolus num. 198. Idem Cajetanus num. 199.

203. Cùm ergò Authores ſcientiæ mediæ cum Tridentino admittant illuſtrationes intellectus, inſpirationésque voluntatis divinitùs immiſſas influere in omnes actus bonos, atque adeò in ipſam ad bonum determinationem: ſine hâc excitatione nihil fieri, nihil eſſe quod ad ſalutem conducat, ne ipſum quidem fidei initium haberi: atque inſuper ad hæc omnia neceſſarium eſſe adjuvantis auxilium:

Cùm unanimes fateantur cum Auguſtino Deum operari ut bonum velimus, dum intellectu cogitationibus congruis illuſtrato bonum nobis perſuadet: dum voluntati inditâ conveniente boni complacentiâ, idoneâque delectatione, ut bonum velit illam permovet: dum denique ſic vocat, quemadmodum aptum eſt ut ſequatur, ut vocantem non reſpuat: Cùm inſuper cum eodem agnoſcant neceſſarium eſſe auxilium gratiæ concomitantis voluntatem adjuvans, & confortans in volitione & operatione boni, atque influxu principali cum ea concurrens, ut oſtenſum eſt à num. 129. uſque ad num. 153. verbis eorum fideliter relatis:

204. Quid eſt ergò *Pſeudophilalethes*, quod toties inconditè clamitas illos eſſe gratiæ inimicos, conſortes eorum qui Auguſtinum impugnabant, quippe admit-

admittere aliquid eſſe (ſubintellige ſpectans ad ſalutem) à libero arbitrio , quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ ? convinceris ex propriis eorum verbis, quæ prædictis numeris retulimus,illos conſtanti aſſertione docere utramque gratiam , & prævenientem congruè excitando , & concomitantem adjuvando & coagendo ſemper in actus bonos, atque adeò in ipſam voluntatis ad bonum determinationem influere.

Hæcne ſimul ſtare poſſunt , juxta illos voluntatis determinationem non eſſe effectivè ab auxilio gratiæ , & tamen gratiam prævenientem excitando, ſuadendo , alliciendo in illam totam morali efficientiâ influere ? & tamen gratiam adjuvantem unà cum voluntate illam totam realiter cöefficere ? vide igitur quàm juſta ſit illorum de te expoſtulatio.

205. At inquies, ſaltem affirmant determinationem ſpectare ad liberum arbitrium : libertatem excludere determinationem gratiæ ; voluntatem non determinari niſi ex ſeipſa.

At illud ipſum eſt quod docuit Magiſter Angelicus , quod docuere inſigniores Thomiſtæ , Ferrarienſis , Capreolus , & Cajetanus , ut declaratum eſt à num. 193. uſque ad num. 200. Non potes ergò hoc telo noſtros impetere, niſi illud prius in Doctorem Angelicum , in celebriores ejus diſcipulos contorqueas.

206. Sed ideòne verum erit determinationem voluntatis non eſſe efficienter à gratiâ? quaſi verò non poſſit voluntatis determinatio procedere ab auxilio

gratiæ, vt principio excitante, ut principio coefficiente, niſi etiam ſit ab eodem, ut principio phyſicè prædeterminante. Enimverò tota voluntatis determinatio ex eorum placitis procedit à Deo: tum quia morali efficientiâ tota eſt ab ejus gratia præveniente per congruam voluntatis ad eam excitationem: tum quia etiam tota eſt phyſicè & realiter ab adjuvante per phyſicam, & realem ejus cum voluntate coefficientiam. An autem eadem ſit realiter gratia præveniens & adjuvans, ut volunt Molina, Leſſius, Suarez, Vaſquez, &c. Aliis diſſentientibus, non magni refert ad propoſitum: hoc tantùm obſervo juxta ſententiam affirmantium, gratiam prævenientem non tantùm moraliter influere excitando, alliciendo, &c. ſed etiam phyſicè, adjuvando & concurrendo.

207. Manet igitur te inſigniter impoſuiſſe defenſoribus ſcientiæ mediæ, dum temerè & ſine fronte ſcripſiſti ex eorum doctrina eſſe aliquid à libero arbitrio, videlicet voluntatis determinationem, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ. Id illos non diffiteri, id ultrò concedere.

Atque hæc paulò fuſiùs de hac prima *Pſeudophilalethis* impoſtura ſcripta ſunt, quia ex ea pleræque aliæ ſcaturiunt, quas ſectionibus ſequentibus exponemus, & refutabimus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO. II.

Secunda Pſeudophilalethis Impoſtura juxta autores ſcientiæ mediæ, gratiam eſſe voluntatis pediſſequam.

§. 1.

Demonſtratur hujus impoſturæ falſitas.

208. Toties *Pſeudophilalethes*, tamque præſidenter affirmat, ſecundùm defenſores ſcientiæ mediæ determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ, gratiam eſſe voluntatis pediſſequam, peſſumdari à libero arbitrio, atque alia his æquivalentia; ut hâc præſidentiâ ſuâ, & verbis miſerabilibus quibus id deflet, fucum aliquem facere poſſit minus oculatis. Sed id eſſe falſiſſimum, & meram impoſturam, quæ ex præcedente profluxerit, demonſtrabo.

209. Mirum ſanè eſt *Pſeudophilalethem* nihil ex eorum ſcriptis producere, quibus tantam ab eis injuriam gratiæ factam demonſtret; id infert ex prima impoſtura abundè jam refutata. Et verò ſi determinatio voluntatis non eſſet effectivè ab auxilio gratiæ; ſed

Digitized by Google

gratiæ, vt principio excitante, ut principio coëfficiente, niſi etiam ſit ab eodem, ut principio phyſicè prædeterminante. Enimverò tota voluntatis determinatio ex eorum placitis procedit à Deo: tum quia morali efficientiâ tota eſt ab ejus gratia præveniente per congruam voluntatis ad eam excitationem: tum quia etiam tota eſt phyſicè & realiter ab adjuvante per phyſicam, & realem ejus cum voluntate coefficientiam. An autem eadem ſit realiter gratia præveniens & adjuvans, ut volunt Molina, Leſſius, Suarez, Vaſquez, &c. Aliis diſſentientibus, non magni refert ad propoſitum: hoc tantùm obſervo juxta ſententiam affirmantium, gratiam prævenientem non tantùm moraliter influere excitando, alliciendo, &c. ſed etiam phyſicè, adjuvando & concurrendo.

207. Manet igitur te inſigniter impoſuiſſe defenſoribus ſcientiæ mediæ, dum temerè & ſine fronte ſcripſiſti ex eorum doctrina eſſe aliquid à libero arbitrio, videlicet voluntatis determinationem, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ. Id illos non diffiteri, id ultrò concedere.

Atque hæc paulò fuſiùs de hac prima *Pſeudophilalethis* impoſtura ſcripta ſunt, quia ex ea pleræque aliæ ſcaturiunt, quas ſectionibus ſequentibus exponemus, & refutabimus.

SECTIO

SECTIO. II.

Secunda Pſeudophilalethis Impoſtura juxta autores ſcientiæ mediæ, gratiam eſſe voluntatis pediſſequam.

§. 1.

Demonſtratur hujus impoſturæ falſitas.

208. Toties *Pſeudophilalethes*, tamque præfidenter affirmat, ſecundùm defenſores ſcientiæ mediæ determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ, gratiam eſſe voluntatis pediſſequam, peſſumdari à libero arbitrio, atque alia his æquivalentia; ut hâc præfidentiâ ſuâ, & verbis miſerabilibus quibus id deflet, fucum aliquem facere poſſit minus oculatis. Sed id eſſe falſiſſimum, & meram impoſturam, quæ ex præcedente profluxerit, demonſtrabo.

209. Mirum ſanè eſt *Pſeudophilalethem* nihil ex eorum ſcriptis producere, quibus tantam ab eis injuriam gratiæ factam demonſtret; id infert ex prima impoſtura abundè jam refutata. Et verò ſi determinatio voluntatis non eſſet effectivè ab auxilio gratiæ; ſed

Prior illâ: & ab hac determinaretur Deus, ut gratiam largiretur: aut ab hoc, velut ab aliquo priore, dependeret influxus gratiæ in actus bonos; eſſet quod *Pſeudophilalethes* quereretur, quod lugeret gratiam fieri voluntatis pediſſequam, illique ut famulam ſubjici; non ut dominam præeſſe.

210. Verùm cùm iſta ſint ab eorum doctrina maximè aliena, nullusque eorum ſit, qui non doceat gratiam excitantem prævenire liberi arbitrii ad bonum determinationem, eamque adeò neceſſariam eſſe, ut nulla bona voluntatis determinatio, nulla ejus volitio bona, actio nulla ſalutaris poſſit ſine illâ omninò fieri; nullus qui non admittat Deum congruis vocationibus & invitamentis poſſe voluntatem humanam quocumque voluerit efficaciter æquè ac ſuaviter inflectere; nullus qui non ſcribat voluntatem præventam & excitatam adjutrice etiam gratiâ ut ſe determinet indigere, eamque ad ejus determinationem ut cauſam præcipuam concurrere, quâ fide, quâ veri ſpecie ſcripſit *Pſeudophilalethes*, juxta placita defenſorum ſcientiæ mediæ determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ? gratiam eſſe voluntatis pediſſequam, illique ut famulam ſubeſſe?

Quamquam ea quæ ex autoribus noſtris . 1. retuli, abundè ſufficiant ut illos ab hac calumnia liberent; lubet tamen alia quędam loca ex iis proferre, quibus expreſſis terminis id pernegant, & olim etiam ipſis impoſitum prorsùs diluunt.

211. Molina q. 14. a. 13. diſp. 41. Explicans duplicé influxum gratiæ in omnes actus bonos, ſic habet

Cæterum,

Cæterùm ex dictis patet, ſi ſit ſermo de influxu Dei cum libero arbitrio tam per concurſum generalem, quàm per influxum illum gratiæ, à quo gratia præveniens ſortitur rationem gratiæ cooperantis, Deum perinde concurrere ſimul cum libero arbitrio ad opera ſupernaturalia, ac cum eodem & cæteris cauſis ſecundis concurrit ſimul per concurſum generalem ad opera naturalia. En concurſum gratiæ ſimultaneum. Audi nunc antecedentem.

212. *At verò ſi ſit ſermo de influxu illo quo Deus in liberum arbitrium immittit gratiam prævenientem, per quam illud movet ac invitat ad actum ſupernaturalem* (atque adeò ad ipſam determinationem, quæ ab ipſo volitionis actu non diſtinguitur, ut declaratum eſt num. 178.) *talis influxus & motus Dei, qui gratiæ prævenientis, quâ gratia præveniens eſt, dicitur, naturâ, & interdum etiam tempore antecedit concurſum liberi arbitrii, idque adeò certum eſt, ut contrarium ſit error in fide, ut ex definitione Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 5. & Can. 4. eſt manifeſtum; quia enim influxus ille Dei influxum liberi arbitrii in actum ſupernaturalem antecedit, ideò gratia præveniens atque excitans liberum arbitrium ad eum actum appellari ſolet; ab illaque definit Concilium ſumendum eſſe exordium juſtificationis.* Idne eſt admittere influxum liberi arbitrii priorem eſſe influxu gratiæ? idne eſt facere gratiam pediſſequam?

213. Validiſſimè etiam impoſturæ tuæ contradicit Suarez Scriptorum Societatis celeberrimus: poſtquam enim parte 2. de auxiliis divinæ gratiæ lib. 5. c. 42. adduxit Canones duos celebres Concilii Arauſicani videlicet 6. quo damnantur illi qui *obe-*

dientiæ humanæ ſubjungunt gratiæ adjutorium : & 25. ubi generatim dicitur *hoc ſalubriter profitemur, & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus*; inducit Davilam, & Ledeſmam noſtris objicientem juxta principia noſtra humanæ obedientiæ ſubjungi gratiæ adjutorium, gratiam eſſe noſtræ voluntatis pediſſequam, quippe ab illa ſola eſſe initium conſenſus noſtri. Nunquid videris tibi, *Pſeudophilalethes*, in illis eſſe, in illis audiri? tibi ergò in illis etiam loquitur, & impoſturam tuam planiſſimè diluit ibidem num. 9. ubi ſic ſcribit: „ Unde ultimò colligo fruſtra nobis objici quod gratiam faciamus pediſſequam arbitrii, vel quod illam humanæ obedientiæ ſubjiciamus: quia in primis obedientia quæ per hanc determinationem liberam datur Deo vocanti non fit ſine adjutorio gratiæ, ut dixi; ergò illa non poteſt dici obedientia humana in ſenſu quo loquebantur Semipelagiani, quos damnat Concilium ſpecialiter illâ voce utens Can. 3. & 6. Sed dicenda eſt obedientia ſupernaturalis, & quodammodò divina; ſicut invocatio humana dicitur, quæ ſine ſpiritu fidei fit: quæ autem à divinâ inſpiratione procedit, jam non eſt humana. Deinde iſta obedientia ſupponit gratiam prævenientem, & eſt effectus ejus: ergò determinatio ex parte voluntatis eſt pediſſequa illius gratiæ; non è converſo: nam per illam gratiam inducitur voluntas, dirigitur, & gubernatur, & voluntas illi ſubjicitur: unde gratia non tantum præcedit in eſſendo, ut objiciebatur, ſed etiam in vocando, vel formaliter phyſicè affi-

ciendo

„ ciendo intellectum, & voluntatem, effectivè mora-
„ liter ſuadendo, & excitando, ac finaliter allicien-
„ do. Et quatenus eſt principium adjuvans actualiter
„ etiam præcedit ordine naturæ, Ipſe verò influ-
„ xus gratiæ adjuvantis eſt omninò ſimul, & ideò
„ nec reſpectu illius poteſt gratia adjuvans dici pe-
„ diſſequa, ſed ſolùm comitans, quod veriſſimum eſt.
Potuitne aliquid aut clarius, aut efficacius dicere ad demonſtrandam impoſturæ tuæ falſitatem? conſiderat determinationem voluntatis reſpectu utriuſque gratiæ & prævenientis, & adjuvantis. Hanc dicit ſpectatam in ratione principii naturâ ſaltem priorem eſſe determinatione: & jure quidem optimo, quia determinatio ſecundùm totum ſuum eſſe effectus illius eſt: omnis autem cauſa naturâ ſaltem prior eſt effectu ſuo: ejuſdem verò influxum omninò ſimul eſſe cum influxu voluntatis, quippe illi realiter prorsùs identificatum: repugnat autem vt inter identificata detur aliqua vera prioritas.

214. Gratiam verò prævenientem, & influxum ejus planè antecedere voluntatis determinationem: influit enim excitando, invitando, alliciendo, & quidem efficaciſſimè, quando pro Dei beneplacito ſic excitat, movétque voluntatem, quomodo ei congruit ut permoveatur; ſic allicit attrahitque, quomodo aptum eſt ut ſequatur ejus determinatio. Id quod excitat, id quod invitat, id quod allicit voluntatem ut ſe determinet, ſubſequiturne voluntatis determinationem? quis niſi perturbatæ mentis id affirmet? Fatere igitur, *Pſeudophilalethes*, juxta hanc doctrinam

voluntatem eſſe gratiæ pediſſequam, non gratiam voluntatis, & impoſturam tuam agnoſce.

215 Non minus à Leſſio de impoſtura redargueris. Agnoſciſne te in his verbis, quæ Leſſius lib. de Grat. c. 12. ex adverſario ſcientiæ mediæ exſcripſit? „Quamvis ipſi (*Defenſores ſcientiæ mediæ*) Dei gra-„tiam conſtituant, illam tamen ſubjiciunt volun-„tati, hanc enim præire, illam pediſſequam ſequi in „opere confitentur. *Audi igitur quid reſpondeat*: aper-„tè autem falſum imponitur, cum dicitur hanc enim „præire, illā pediſſequam ſequi in opere confitentur. „Quis id confitetur, & ubi? oſtenſum enim eſt ſu-„pra gratiam ſemper prævenire alliciendo & tra-„hendo voluntatem ad opus: in opere autem ipſo „producendo non prævenire, ut vult autor, non „etiam ſequi, ut ipſe imponit, ſed omninò ſimul „naturâ in opus influere, ut oſtenſum eſt c. 10.

216. Pergit ibidem in ſeptimo argumento hæc adverſarii verba referre. „ Dici illos ponere gratiam „ſufficientem quæ liberi arbitrii velle præcedat in „ratione entis, non in ratione cauſæ; eamque nihil „cauſare in voluntate quo præmoveat illam ut ope-„retur; ſed liberum arbitrium prius eſſe in cauſan-„do ipsâ gratiâ; ut enim gratia adjuvet, expectat li-„beri arbitrii determinationem. *Nonne illud ipſum eſt quod nobis imponis? audi igitur quàm id perneget.*

„ 217. Falſum igitur eſt noſtros ponere gratiam „ſufficientem quæ liberi arbitrii velle præcedat in „ratione entis tantum, non in ratione cauſæ: „quia antequam velle ſit, incitat, impellit, & vi-

„res tribuit libero arbitrio vt illud eliciat. Dum „autem liberum arbitrium illud elicit, ſimul coo„peratur vt cauſa partialis principalis. Vnde ipſum „velle procedit ab auxilio iſto & tanquam à cauſa „morali, nempe ratione tractus & ſuaſionis præce„dentis, & tanquam à cauſa phyſica principali ra„tione influxus realis in illud velle, à quo influxu „habet quod ſit actus ſupernaturalis. Vnde etiam „falſum eſt liberum arbitrium (noſtrâ ſententiâ) „prius eſſe, quam gratiam, in cauſando velle: quia „& ſi liberum arbitrium quodammodo determinet „gratiam, quatenus eâ vtitur vt hic & nunc influat in „opus (quod ſalvâ fide negari non poteſt) id ta„men non facit niſi jam corroboratum gratia (addo „& excitatum) & eâ ſimul cooperante.

Quid amplius ex Leſſio deſideras, vt gratia præveniat determinationem arbitrii, non ſubſequatur? *antequam*, inquit, *velle ſit*, ſeu determinatio, *incitat*, *impellit*, *& vires tribuit libero arbitrio vt illud eliciat*. Nonne incitatio illa & impulſio voluntatis prior eſt illius determinatione? ſi prior; quomodo verum eſt juxta aſſertores ſcientiæ mediæ determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ?

218. Fruſtra diutius immorarer congerendis Noſtrorum teſtimoniis adversùs hanc *Pſeudophilalethis* calumniam: cum enim nullus eorum ſit qui non doceat neceſſariam eſſe ad omnes actus bonos gratiam prævenientem, quæ voluntatem præmoveat excitando, alliciendo, inclinando: manifeſtum autem ſit id, quod prçvenit, non ſubſequi, id quod

quod excitat, id quod allicit, id quod inclinat ac præmovet voluntatem vt bonum velit, vt ſe ad illud determinet, volitionem ejus & determinationem ad bonum præcedere; clariſſimè liquet non potuiſſe *Pſeudophilalethem* dicere niſi falſiſſimè, Defenſores ſcientiæ mediæ gratiam ſubjicere libero arbitrio; primas partes dare voluntati, poſteriores gratiæ, ac denique gratiam facere voluntatis pediſſequam, non dominam.

§. IJ.

Diluitur Objectio Pſeudophilalethis.

219. VIdeor mihi audire *Pſeudophilalethem* id ſe non dixiſſe reſpectivè ad gratiam prævenientem, ſed cum reſpectu ad eam ſolam, quæ hominem, dum agit, adjuvat; reſpectu hujus gratiæ voluntatem bonum inchoare determinando ſe, gratiam ſubſequi adjuvando; atque adeò hanc poſteriores, illam priores habere partes: illam præviam vt dominam, hanc pediſſequam vt famulam.

220. Si ita eſt, cur abſolutè & ſimpliciter dixiſti ex ſententia noſtra determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ? primas partes tribui voluntati, voluntatem dominam, gratiam eſſe pediſſequam? non enim ignorabas nos admittere

gratiam

gratiam excitatione ſua prævenientem voluntatis determinationem; atque adeò ex ea ſaltem parte quæ præcipua eſt, nos primas tribuere gratiæ, poſteriores voluntati; agnoſcere gratiam eſſe præviam, voluntatem eſſe pediſſequam. Qua igitur fide contrarium ſimpliciter aſſeruiſti? nonne illud eſt velle decipere, id pretermittere quod ſciebas aſſertionis tuæ deſtruere veritatem?

221. At neque reſpectu adjuvantis vera eſt aſſertio tua, refelliturque abundè ex allatis num. 208. vſque ad 218. vbi Molina, vbi Suarez, vbi Leſſius docent concurſum illius eſſe omnino ſimultaneum non pediſſequum; ita vt non prius incipiat voluntas quam adjuvet gratia, nihilque penitus ſit in ipſo determinationis actu, quod ab illa vt principali efficiente non procedat.

222. Sed vt id perſuadeas, fingis determinationem voluntatis precedere influxum gratiæ adjuvãtis, & determinatione ſua ſaltem natura priore, illius auxilium ad opus bonum accerſere. Merum illud figmentum eſt. Ad ipſam liberi arbitrii determinationem concurrit auxiliatrix gratia, vnà cum voluntate actum bonum inchoat, vnà proſequitur, vnà perficit. Quantumcumque ad principium actus boni regrediaris, nihil vnquam ejus reperies à libero arbitrio juxta noſtra principia egredi, quod ab adjutrice gratia ſimul ac principaliter non procedat.

Vrges & vim eò ponis precipuam: vt docent ſcientiæ mediæ defenſores, non gratia auxiliatrix voluntatem determinat & applicat, facitque vt bonum

num agat potius quam non agat: ſed ipſa voluntas auxiliatricem gratiam determinat & applicat, efficitque vt coefficientiâ ſuâ in actum prodeat ſterilis alioquin permanſura, niſi à voluntate operi bono applicetur. Jam verò clarum eſſe id quod alterum determinat, quod illud operi applicat, quod efficit vt ſecum operetur: potiores in opere habere partes ſtare igitur inconcuſsè à Defenſoribus ſcientiæ mediæ primas tribui voluntati, poſteriores gratiæ auxiliatrici; hanc conſtitui ut pediſſequam, illam prę euntem vt dominam.

223. Hac ſpecioſa argumentatione ageres fortaſſe aliquid apud imperitos, ſi ex ſententia noſtra gratiæ adjuvantis cum voluntate coefficientiam non præcederet excitantis influxus; ſi hanc applicationem factam à voluntate, ſi determinationem iſtam nulla anteiret gratiæ præmotio per illuſtrationes, inſpirationésque pręvias. Sed cum demonſtratum ſit ſcientiæ mediæ propugnatores non admittere voluntatem determinare & applicare auxilium gratiæ concurrentis, niſi vt excitatam & præmotam à prævenientis influxu per congruam efficacémque invitationem: &, ſi ita velis, niſi vt moraliter priùs aliquo modo ab ea determinatam & applicatam, eo ſenſu quo alliciens, quo imperans, quo perſuadens dicitur alterum moraliter determinaſſe & operi applicaſſe. Eo modo quo ratio aliqua menti occurrens dicitur voluntatem determinare vt hoc eligat potius, quàm iſtud: & jure quidem adhuc potiore, cum gratia præveniens non tantum illuſtret intelle-

ctum,

Digitized by Google

ctum, hâcque illuſtratione tanquam validiſſima ratione voluntatem excitet ad amorem boni propoſiti, ſed inſuper ſuavi quadam objecti boni complacentia & delectatione voluntatem afficiat, quæ potenter illam alliciat pertrahátque ad volitionem atque exercitium boni inſpirati. Cum, inquam, hæc certiſſimè doceant; quis non videat in eorum ſententia iſtam etiam determinationem & applicationem gratiæ adjuvantis factam à voluntate ſic excitata & præmota per influxum prævenientis non tam eſſe voluntati tribuendam, quàm præviæ iſti excitationi & præmotioni gratiæ antecedentis, proindéque ſemper ab illis abſolutè primas deferri gratiæ, poſtremas voluntati.

224. Male igitur & captiosè conſideras influxum gratiæ concurrentis ſeorſim ab influxu gratiæ prævenientis, vt appareat voluntas velut ex propriis viribus determinans ſe, & applicans auxilium gratiæ ad concurrendum. Non eſt hæc ſeparatio facienda, cùm nunquam in juſtificatione impii ſeparentur, imò juxta Molinam, Leſſium, & plures alios una ſit & eadem realiter gratia quæ præveniat excitando, & adjuvet concurrendo.

226. Sed quando ita vis, expendamus etiam in ſtatera juſta voluntatis determinationem ex una parte, & gratiæ adjuvantis concurſum ex altera, & quam in partem, quo ad præcellentiam pondus inclinet, videamus. Certum eſt ex doctrina noſtra voluntatem niſi auxilio gratiæ cooperatricis corroboratam, quantumvis anteà à præveniente excitatam, nihilominus

nihilominus omnino invalidam eſſe non modò ad ipſam boni operis productionem, ſed etiam ad quamlibet, prout ad ſalutem expedit, vel tenuiſſimam illius volitionem aut determinationem: quemlibet ejus actum, aut quamlibet determinationem quæ ad ſalutem conducit, vim ad id habere ex gratiæ coefficientia: quidquid in ejus actu præſtantius eſt, quidquid ſupra naturam, quidquid provocans Dei miſericordiam ad juſtificationem impii, id totum ab eadem gratia provenire. A voluntate dumtaxat haberi quod exiſtat, quod ſit vitalis, quod liber: denique in eam tantùm eſſe refundendum quod ei in actibus naturalibus tribuitur.

Dic modò quis è duobus præcipuas habet in agendo partes? isne qui ſpeciali alterius auxilio, ut agat, indiget, an qui pro beneplacito ſuo auxilium illud largitur? iſne qui adjuvatur, an alter qui adjuvat? iſne in quem tantùm refundi debet quidquid in actione minoris eſt excellentiæ, an alter cui attribuendum eſt quidquid in ea nobilius, quidquid majori dignum æſtimatione? profectò nunquam ita aberrabis, ut pro indigenti & adjuto ſis pronuntiaturus.

226. Fatere igitur aut te fuiſſe deceptum, aut impoſuiſſe, dum ſcripſiſti autores ſcientiæ mediæ primas tribuere voluntati, poſtremas gratiæ: priorem eſſe voluntatis determinationem; poſteriorem gratiæ influxum: voluntatem conſtituere dominam, gratiam verò pediſſequam: quandoquidem, ut ſupra demonſtratum eſt à num. 208 uſque ad 218. unanimi ore

aſſerant

aſſerant, nihil poſſe voluntatem velle, nihil inchoare quod ſit ſalutiferum, niſi præcurrat influxus gratiæ, qui illam ad id ſuavi quadam invitatione præmoveat. Clariſſimum autem ſit id quod pręcurrit, non ſubſequi: id quod voluntatem ad determinationem præmovet non eſſe determinatione poſterius.

227. Sed cùm id ſatis videres, hanc gratiam ſubdolè ſiluiſti, cùm ſcriberes illos gratiam poſtponere liberi arbitrii determinationi, ut ſpecioſâ argumentatione, quia juxta illorum placita non gratia auxiliatrix voluntatem, ſed gratiam auxiliatricem voluntas determinat, applicatque operi, minus attentis perſuaderes illos determinationem, gratiæ præponere.

228. At inanem eſſe hanc tuam argumentationem affatim oſtenſum eſt ex iis, quæ Molina, quæ Suarez, quæ Leſſius ſcripſere ſuperius relata numero 211. uſque ad num. 218. docéntque reliqui ſcientiæ mediæ Defenſores, nempe voluntatis determinationem ad bonum, & gratiæ adjuvantis influxum omninò ſimul eſſe, atque in unam eandémque actionem indiviſibiliter coaleſcere. Gratiam ſic concurrere ad totum determinationis actum, vt quidquid in illo eſt pręſtantius, id totum ſit in eam refundendum: voluntatem verò nunquam ſe determinare, nec id poſſe, niſi ut priùs illuſtrationibus, inſpirationibuſque præviis ad id excitatam ac præmotam: adeòque hanc determinationem non tam voluntati tribuendam quàm gratiæ. Atque ita hujus impoſturæ ſecundæ falſitas manet demonſtrata.

SECTIO III.

Impoſtura tertia juxta autores ſcientiæ mediæ initium fidei & primam radicem diſcretionis eſſe ex nobis.

§. I.

Oſtenditur hujus impoſturæ falſitas.

229. VTramque impoſturam conjungo, quia utriuſque par ratio, utriuſque idem falſum fundamentum à *Pſeudophilalethe* confictum. Vt id à nobis aſſeri perſuadeat, pergit fingere Scriptores noſtros docere voluntatis determinationem ad fidem ſuſcipiendam non eſſe ab auxilio gratiæ: illud quidem influere in actum fidei quo fidelis ab infideli formaliter diſcernitur, at non in priorem liberi arbitrii determinationem ad credendum. Quare cùm ab ea deſumendum ſit & fidei & diſcretionis exordium, manifeſtum eſſe nos initium fidei & primam radicem diſcretionis non gratiæ, ſed voluntati adſcribere.

Juvat ipſa *Pſeudophilalethis* verba impoſturis plena in medium proferre, ut fiat evidentius quàm fraudulenter

dulenter ſcientiæ mediæ doctrinam impugnet.

230. C. 1. a. 1. §. 3. auctioris editionis ſic ſcribit,, Vt vis
„ noſtræ impugnationis cum ſua confirmatione cla-
„ riſſimè & radicitùs percipiatur, conſiderandum eſt
„ quod ipſe actus fidei eſt illud quo formaliter diſcer-
„ nitur credens à non credente, ſicut albedo diſcer-
„ nit formaliter album à non albo. Cùm ergo in om-
„ ni ſententia actus fidei cauſetur & à voluntate, &
„ ab auxilio gratiæ, ſequitur apertè quod in omni
„ ſententia diſcretio credentis à non credente cauſe-
„ tur à voluntate & ab auxilio gratiæ. Et hîc ſiſtunt
„ adverſarii (*apertâ impoſturâ ut liquebit ex dicendis.*) Sed
„ velint, nolint; debent tranſire ulteriùs ad primam
„ radicem diſcretionis. *Et infra.* Quis adeò cœcus non
„ videat Adverſarios è diametro opponi Apoſtolo
„ dicenti: quis enim te diſcernit? quid autem habes
„ quod non accepiſti? quibus verbis prima radix diſ-
„ cretionis ſtatuitur auxilium gratiæ, quam tamen
„ Moliniſtæ dicunt eſſe determinationem arbitrii.

Oportet illum aut eorum libros non evolviſſe; adeòque perquàm temerarium eſſe qui de aliena doctrina judicat quam non legerit: aut certè fraudulenter reticuiſſe quod in illis legerat, ut incautis, quod Noſtris imponebat, perſuaderet.

231. Initium fidei non in voluntatem credentis, non in ejus determinationem refundit Molina, ſed in gratiam prævenientem, per quam ex ſola Dei miſericordia ad fidem is qui credit vocatus eſt. Sic enim ſcribit quæſt. 14. art. 13. diſp. 9. „ Ex dictis Diſpu-
„ tatione præcedenti intelligitur facile initium actus

SECTIO III.

Impoſtura tertia juxta autores ſcientiæ mediæ initium fidei & primam radicem diſcretionis eſſe ex nobis.

§. 1.

Oſtenditur hujus impoſturæ falſitas.

229. VTramque impoſturam conjungo, quia utriuſque par ratio, utriuſque idem falſum fundamentum à *Pſeudophilalethe* confictum. Vt id à nobis aſſeri perſuadeat, pergit fingere Scriptores noſtros docere voluntatis determinationem ad fidem ſuſcipiendam non eſſe ab auxilio gratiæ: illud quidem influere in actum fidei quo fidelis ab infideli formaliter diſcernitur, at non in priorem liberi arbitrii determinationem ad credendum. Quare cùm ab ea deſumendum ſit & fidei & diſcretionis exordium, manifeſtum eſſe nos initium fidei & primam radicem diſcretionis non gratiæ, ſed voluntati adſcribere.

Juvat ipſa *Pſeudophilalethis* verba impoſturis plena in medium proferre, ut fiat evidentius quàm fraudulenter

dulenter ſcientiæ mediæ doctrinam impugnet.

230. C. 1. a. 1. §. 3. auctioris editionis ſic ſcribit,, Vt vis
,, noſtræ impugnationis cum ſua confirmatione cla-
,, riſſimè & radicitùs percipiatur, conſiderandum eſt
,, quod ipſe actus fidei eſt illud quo formaliter diſcer-
,, nitur credens à non credente, ſicut albedo diſcer-
,, nit formaliter album à non albo. Cùm ergo in om-
,, ni ſententia actus fidei cauſetur & à voluntate, &
,, ab auxîlio gratiæ, ſequitur apertè quod in omni
,, ſententia diſcretio credentis à non credente cauſe-
,, tur à voluntate & ab auxilio gratiæ. Et hîc ſiſtunt
,, adverſarii (*apertâ impoſturâ ut liquebit ex dicendis.*) Sed
,, velint, nolint; debent tranſire ulteriùs ad primam
,, radicem diſcretionis. *Et infra.* Quis adeò cœcus non
,, videat Adverſarios è diametro opponi Apoſtolo
,, dicenti: quis enim te diſcernit? quid autem habes
,, quod non accepiſti? quibus verbis prima radix diſ-
,, cretionis ſtatuitur auxilium gratiæ, quam tamen
,, Moliniſtæ dicunt eſſe determinationem arbitrii.

Oportet illum aut eorum libros non evolviſſe; adeòque perquàm temerarium eſſe qui de aliena doctrina judicat quam non legerit: aut certè fraudulenter reticuiſſe quod in illis legerat, ut incautis, quod Noſtris imponebat, perſuaderet.

231. Initium fidei non in voluntatem credentis, non in ejus determinationem refundit Molina, ſed in gratiam prævenientem, per quam ex ſola Dei miſericordia ad fidem is qui credit vocatus eſt. Sic enim ſcribit quæſt. 14. art. 13. diſp. 9. ,, Ex dictis Diſpu-
,, tatione præcedenti intelligitur facile initium actus

„ credendi, ut ad ſalutem oportet, eſſe à Deo ſolo
„ per gratiam prevenientem & excitantem (*adverte ad hæc verba* à Deo ſolo) etenim liberum noſtrum
„ arbitrium niſi à Deo, modo præcedente Diſputa-
„ tione explicato, auxilio ſuæ gratiæ preveniatur &
„ excitetur, non ſolùm producere nequit eum actum,
„ ſed etiam quidquid ex ſolis ſuis naturalibus homo
„ efficiat, ſive ut actu merè naturali revelatis aſſen-
„ tiatur: ſive ut poſtquàm edoctus fuerit ſupernatu-
„ ralem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, optet
„ ita credere, aut etiam conetur ex dono & auxi-
„ lio Dei ſupernaturali aſſentiri; ſive denique auxi-
„ lium illud ſibi donari petat, aut ad illud recipien-
„ dum ſatagat ſe diſponere; ſanè id totum nullius eſt
„ meriti aut vigoris ut ei gratia præveniens propter
„ ejuſmodi diſpoſitiones impendatur: ſed quoties
„ confertur, ex ſolis Chriſti meritis donoque Dei, ac
„ proinde miſericorditer omninò non ſolùm tan-
„ quam ſubjecto non digno, ſed etiam tanquam in-
„ digno propter peccatum, Originale Saltem, in quo
„ eſt, tribuitur & merè gratis ea quæ meritò gratia
„ dicitur, conferri ſolet, cuicumque datur.

Videſne *Pſeudophilalethes*, quàm ſollicitè Molina initium fidei ab omni voluntatis conatu removeat? quàm operosè vim omnem meriti aut debitæ diſpoſitionis cuilibet actui naturali deneget? quàm clarè & diſtinctè affirmet auxilium ad fidem neceſſarium ſemper indigno conferri ex ſola Dei miſericordia? idne eſt initium fidei libero arbitrio tribuere?

232. Non fuit hæc objectio tua de fidei initio

huic

huic viro ſolertiſſimo ignota, illam adducit ex adverſario tui ſimili q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro 6. & diſſolvit. Hæc ſunt adverſarii verba. „ Se-
„ cundò ſequeretur initium noſtræ ſalutis, ſaltem
„ quoad eum influxum à quo illa pendet, eſſe à nobis,
„ & non à Deo. *Ad id autem ſic reſpondet* : ad ſecun-
„ dam dicendum eſt, cùm arbitrii noſtri influxum,
„ de quo diſputamus, antecedant dona gratiæ prævenientis,
„ atque excitantis idem arbitrium ad con-
„ ſentiendum, & cum eis cooperandum ultimam
„ diſpoſitionem ad gratiam, manifeſtum eſſe non re-
„ ctè ex eo capite inferri initium noſtræ ſalutis (in
„ ſenſu in quo id ab Aug. & Conciliis negatur) eſſe
„ à nobis, quod influxus ille ſit à libero arbitrio coo-
„ perante cum auxiliis gratiæ, eaque efficacia red-
„ dente. *Nequis autem hæc ultima verba calumnietur, ſubdit.* Quando audis conſenſum noſtrum efficacia
„ reddere auxilia gratiæ, non ita intelligas, quaſi ar-
„ bitrium noſtrum vim aliquam aut efficaciam tri-
„ buat auxiliis ipſis. *Videtur prævidiſſe quæ prædicto* §. 3. *imponendo ſcripſiſti* : Si ergò auxilium influendo in
„ actum fidei diſcernat credentem à non credente,
„ & juxta adverſarios accipiat à voluntate ſuum in-
„ fluxum, oportet, &c. *Ecce enim falſitatis te arguit, dum aſſerit arbitrium noſtrum nullam vim aut efficacitatem auxiliis gratiæ tribuere* ; *ſed ut ſubjicit* „ auxilia vim &
„ propenſionem arbitrio tribuunt, ad conſenſum eli-
„ ciendum, arbitrium ipſum ad id invitando, allici-
„ endo, atque adjuvando.

Cùm igitur idem ſit initium & fidei, & ſalutis,

& diſcretionis unius ab altero ; Molina autem ut jam oſtenſum eſt num 221. & 222. initium credendi & ſalutis referat in gratias prævenientes, & excitantes, quas Deus pro beneplacito ſuo ex ſola miſericordia, nullis prorsùs præcedentibus meritis, prout vult diſtribuit ; clarum eſt ipſum quoque primam radicem diſcretionis in eaſdem gratias refundere.

233. Quoniam verò inducit etiam Adverſarium id ſibi præfato loco objicientem his verbis ; „ Sequeretur dari in juſtificatis aliquid ab ipſis, quo à „ non juſtificatis diſcernerentur, illosque excederent, contra illud 1ª ad Corinth c. 4. Quis enim „ te diſcernit ? quid habes quod non accepiſti ? ſi au„ tem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis ? *quid reſpondeat audiamus.*

„ 234. Ad tertiam ſicut ad primam diſtinguen„ dum eſt conſequens : ſi enim intelligatur ſequi da„ ri in juſtificatis aliquid, hoc eſt actionem aliquam, „ aut rem, vel rationem formalem ſupernaturalem, „ quæ ita ſit ab eis, ut ſimul & præcipuè non ſit à „ Deo, per quam diſcernantur à non juſtificatis, „ eosque ſuperent, neganda eſt conſecutio. Nihil „ enim tale ſequitur eſſe in eis ; fatemurque quid„ quid ejuſmodi in eis cernitur, totum eſſe ſuperna„ turale Dei donum, ſive cooperantibus ipſis ad il„ lud per ſuum arbitrium, ſive non, eâque ratione „ meritò ait Paulus quis te diſcernit, &c.

235. Clarius adhuc mentem ſuam explicat, & quaſlibet remotas ad juſtificationem diſpoſitiones

in

in Deum refert quæſt. 14. art. 13. diſp. 12. his verbis. „ Illud poſtremò in hac diſputatione addiderim,
„ noſtram ſententiam eſſe (& ex iis quæ hactenus
„ dicta ſunt intelligetur facilè, & ex ſequentibus in
„ hoc opere erit magis manifeſtum) nullum omninò
„ dari, non ſolùm actum, ſed neque rationem for-
„ malem actus noſtri liberi arbitrii ex iis, qui ad cre-
„ dendum, ſperandum, diligendum, ac pœnitendum,
„ ut ad ſalutem oportet, & denique ex iis (*actibus*)
„ qui ad juſtificationem tanquam diſpoſitiones com-
„ menſuratæ proximæ, vel remotæ, ſunt neceſſarii,
„ qui à ſolo libero arbitrio eliciantur, elicive poſſint;
„ ſed ad omnem talem actum, ad omnémque ra-
„ tionem formalem illius concurrere principaliter
„ Deum, influeréque & cooperari per auxilia gra-
„ tiæ, ex ejuſmodique influxu tam eos quàm ratio-
„ nes formales eorum habere quod ſupernaturales
„ ſint, & quod in ſuo ordine & gradu proximè vel
„ remotè diſponant commenſuratè ad juſtificatio-
„ nem. Atque hinc eſt quod juxta doctrinam Pauli
„ nullum ejuſmodi actum, nullamve illius rationem
„ formalem habeat is qui juſtificatur, ipſum ab eo
„ qui non juſtificatur diſcernentem, quam non ac-
„ ceperit ſupernaturaliter à Deo, atque adeò de qua
„ gloriari poſſit quaſi eam non acceperit: *Eſtne hic aliquid libero arbitrio reliquum circa exordium juſtificationis, de quo gloriari poſſit, quaſi illud à Deo non acceperit?*

236. Legiſtine aliquando opuſcula doctiſſimi Suaris? nolim id credere, quia, ſi legiſſes, nunquam tam inverecundè id Noſtris impoſuiſſes

Audi igitur quam clarè quod objicis diluat opuſculorum lib. 3. c. 22. *Sed vrgent*, inquit, *ergo initium juſtificationis aliquo modo tribuendum eſt libero arbitrio. Hæc verò illatio jam ſæpè negata eſt, quia initium juſtificationis non ſumitur à libero conſenſu ſeu determinatione voluntatis, ſed à prima vocatione ſeu auxilio Dei.* Et tamen non puduit te ſcribere prædicto §. 3. *quibus verbis prima radix diſcretionis ſtatuitur auxilium gratiæ, quam tamen Moliniſtæ dicunt eſſe determinationem arbitrii.* Nonne hæc poſtrema Suaris verba, *quia initium juſtificationis* (proindeque & diſcretionis) *non ſumitur à libero conſenſu, ſeu determinatione voluntatis, ſed à prima vocatione ſeu auxilio Dei*, demonſtrant impoſturam tuam?

237. Nequis autem cavillari poſſit id quidem verum eſſe de initio remoto, non proximo: Ibidem inducit adverſarium id ipſum contra ſe ſic vrgentem: „ſed inſtant, quia hoc eſt verum de initio remoto, „proximum autem eſt determinatio voluntatis: „ergo hoc ſaltem initium tribuitur voluntati. *Subjungit*. „ Reſpondeo hunc ſolum eſſe abuſum verbo-„rum ad rem confundendam : nam Patres nun-„quam loquuntur hoc ſenſu de initio ſalutis (*quia ſcilicet illud refundunt in primam Dei vocationem omnino gratuitam*) „ dico ergo initium proximum nihil aliud „ ſignificare poſſe niſi cauſam proximam, & ſic cer-„tiſſimũ eſt hominẽ per liberum arbitrium eſſe cau-„ſam proximam ſuæ ſalutis (*minus tamen principalem, vt ſtatim explicabit*) „ nam qui creavit te ſine te, „ non ſalvabit te ſine te, vt Auguſtinus dixit. in idem-

que

„ que redit, quod Concilium Tridentinum ſeſſ. 6.
„ Can. 4. definit; hominem cooperari Deo volen-
„ ti, & adjuvanti, vt ſe ad juſtitiam diſponat ac
„ pręparet: vtique vt proxima cauſa ſecundaria
„ & minus principalis. Igitur veriſſimè dicitur vo-
„ luntas determinare ſe, non tamen ſine Deo; &
„ Deus determinare voluntatem non tamen ſine ip-
„ ſa, quamvis principalius concurrendo quam ipſa.

2 8. Iuvat iterum illum audire in iiſdem opuſ-
culis in brevi reſolutione controverſiæ de auxilio ef-
ficaci num. 52. Vbi impoſturam tuam calumniam
vocat. „ non eſt, inquit, quod circa libertatem im-
„ moremur; quia potius nobis objicitur quod plus
„ nimio illi tribuamus; quam calumniam facilè ex-
„ cludemus alterum membrum ad gratiam pertinens
„ declarando, & comprobando. igitur juxta do-
„ ctrinam datam exactiſſimè ac propriiſſimè intel-
„ liguntur ac vera inveniuntur omnia quæ de neceſ-
„ ſitate & operatione divinæ gratiæ Scriptura ſacra
„ & Eccleſia docent; nam juxta ſententiam à no-
„ bis expoſitam divinæ gratiæ tribuit initium fidei
„ & ſalutis: hæc enim à vocatione incipiunt, vt
„ Concilium Tridentinum dixit, vocatio autem eſt
„ opus ſolius Dei, quod vltra omne naturæ debi-
„ tum, & abſque vllo merito hominibus confert.
„ Deinde vltrà vocationem hanc requirimus adju-
„ vantem ſeu cooperantem gratiam, ratione cujus
„ ipſa converſio ſeu conſenſus liber hominis prin-
„ cipaliter etiam eſt à gratia non ſolum vt operan-
„ te, ſed etiam vt cooperante. *Idne eſt ſiſtere in volun-*

tatis determinatione, & ab ea initium fidei & primam radicem diſcretionis petere?

239. Suari Leſſium adjungo qui cap. 17. expendens celebrem illum Apoſtoli locum 1ª ad Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit &c.* Primam quoque radicem diſcretionis in Deum congruè vocantem refundit. *dicitur*, inquit, *Deus illum diſcernere*, (qui ſcilicet credit, ſperat & diligit) *tum quia illum ad hæc vocatione congrua excitavit, vel ut Auguſtinus loquitur, quia voluntas præparatur à Domino* (per congruam vocationem) *tum quia vires & auxilium ſuppeditavit, quo hoc præſtitit. hinc tamen non ſequitur, quin etiam homo divinitus excitatus ſeipſum diſcernat ..... quia ipſe eos actus facit per quos formaliter diſcernitur, cum poſſit non facere: alius non facit, cum poſſit facere. Itaque homo etiam ſeipſum diſcernit ab alio* (conſenſu videlicet ſuo) *tanquam cauſa effectiva diſcretionis: quod ſaluâ fide negari non poteſt. Verum quia ſeipſum ad hoc primitus non excitavit, neque ſuis viribus id præſtat; ideo non poteſt in ſeipſo gloriari, quaſi hoc à ſe, id eſt ſuis viribus habeat; ſed in Domino, qui immeritum vocavit, & vires dedit, & cooperatus eſt.*

240. Agedum, ſiſtitne, ut ſcribis, in actu à ſe & gratiâ elicito, quo formaliter diſcernitur ab altero? Nunquid ulterius pergit ad radicem diſcretionis? hancne ſtatuit eſſe, ut imponis, determinationem arbitrii, an congruam Dei vocationem nullo præcedenti merito arbitrium prævenientem? quid aliud ſignificant hæc verba; *Verùm quia ſeipſum ad hoc primitus non excitavit &c.* quid illa: *Sed in Domino qui immeritum*

tum vocavit, &c.? Nonne primam diſcretionis radicem ſtatuunt eſſe gratuitam Dei vocationem, quâ arbitrium ad actus illos, quibus formaliter diſcernitur, congruè Deus excitavit? quomodo ergo non puduit te ſcribere §. 3. jam ſæpiùs memorato; *pulſo hic conſcientiam adverſariorum, ut omiſſis verborum cavillis rem ipſam diligenter attendant. Quid magis initium credendi, quàm determinatio arbitrii?* Iam enim ex Molina, jam ex Suare, jam ex Leſſio audiſti initium illud non eſſe determinationem arbitrii, ſed gratuitam Dei vocationem, ſed gratiam prævenientem; ut definit Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. his verbis: *Declarat prætereà ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.*

241. Pergis inani ſtrepitu pulſare: *Quid*, ais, *magis initium credendi, quàm determinatio arbitrii? voluntas tribuens ſibi initium credendi pugnat cum Apoſtolico teſtimonio, & ſpeciali revelatione factâ S. Auguſtino.* Equidem ita eſt; quid inde? *Ergo*, inquis, *cum iiſdem ſimiliter pugnabit voluntas tribuens ſibi determinationem arbitrii, & non auxilio gratiæ.*

At primò falſum eſt quod aſſumis; initium fidei, & juſtificationis non eſt arbitrii determinatio; ſed gratuita Dei vocatio, ut jam ex Tridentino demonſtratum eſt.

Deinde inſigniter imponis quod determinationem arbitrii non tribuamus auxilio gratiæ; illam enim totam tribuimus & gratiæ prævenienti, & adjuvanti.

Iam

Iam ego pulſo conſcientiam tuam. Legerasne, quæ modò ex noſtris protuli de fidei exordio? ſi legeras; quâ fide ſcripſiſti loco citato; *quam tamen* (primam radicem diſcretionis) *Moliniſtæ dicunt eſſe determinationem arbitrii*. Si non legeras: quâ temeritate?

SECTIO IV.

Impoſtura quarta defenſores ſcientiæ mediæ non excludere dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævîſis, ſed ſolùm ab operibus præſentibus, aut ſaltem abſolutè futuris.

§. I.

Aperitur impoſturæ falſitas.

NIſi oculis meis fidem haberem, & illis ipſis legiſſem quæ ſcripſit *Pſeudophilalethes* cap. 1. art. 1. §. 2. nunquam in animum meum induxiſſem auſurum illum fuiſſe tam apertam impoſturam Lectori obtrudere.

242. *Firmiter*, inquit, *ſtabilitâ veritate noſtri antecedentis*,

cedentis (veriùs dixiſſet ſuppoſitâ falſiſſima impoſturâ noſtri antecedentis) quod nempe *ſcientia media affirmet aliquid eſſe à libero arbitrio, quod non eſt effectivè ab auxilio gratiæ.* Id enim meram eſſe impoſturam à doctrina noſtra alieniſſimam toto §. 1. demonſtravi. Quid expectandum ut ex hac impoſtura profluat niſi falſitas, niſi deceptio, niſi calumnia? ita ſanè accidit: hinc enim infert juxta ſcientiam mediam gratiam dari ex operibus reclamante Apoſtolo ad Romanos 11. *Si autem gratia jam non ex operibus: alioqui enim gratia jam non eſt gratia.* Id autem ſic probat: *gratiam dari ex operibus, eſt gratiam dari dependenter ab aliquo opere præſuppoſito ad gratiam; ſed hoc ipsò quod Petrus non habeat ex auxilio gratiæ ſe determinare ad amandum, gratia datur dependenter à determinatione liberi arbitrii, quæ præſupponitur ad gratiam: ergo, &c.*

243. Quid ad hunc Syllogiſmum aliud reſponderem niſi minorem continere apertam impoſturam: cùm ſit certum noſtros omnes uno ore docere determinationem Petri ad amandum, ut expedit ad ſalutem, eſſe ab influxu gratiæ & prævenientis, & adjuvantis? Non poſſe Petrum determinare ſe ad ſic amandum, niſi gratia intellectum ejus priùs illuſtret, niſi voluntatem ſuavi quâdam boni complacentiâ, ac delectatione ad determinationem alliciat, nec poſſe quidem illum ſic excitatum, & præmotum determinare ſe, & gratiæ prævenientis motioni conſentire, niſi ad illud ipſum à gratia unà ſecum concurrente adjuvetur. Quænam ex utraque hac gratia, juxta hanc doctrinam, poſterior eſt determinatione vo-

Digitized by Google

luntatis, ut detur propter illam? an præveniens? ſed vel ſola hujus vocis ſignificatio calumniam tuam deſtruit: ſi enim prævenit, non ſubſequitur. An adjuvans? at cum hæc, ex ſententia noſtra, concurſu ſuo in ipſam voluntatis determinationem influat, non adeò inſanimus, ut principium determinationis coeffectivum dicamus eſſe illa poſterius, & dari propter illam: cùm manifeſtum ſit omne principium eſſe ſaltem naturâ prius effectu ſuo.

244. At tu impoſturam impoſturæ conſuens ſic inducis num. 11. Noſtros reſpondentes. *Reſpondent primò Molinæ diſcipuli, Apoſtolum non excludere dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævisis: ſed ſolùm ab operibus preſentibus aut ſaltem abſolutè futuris.*

245. Tunc verò vbi hanc falſitatem commentus es, ſtrenuè pergis contra eos dimicare, quaſi indubitatum eſſet, quamvis falſiſſimum, hanc eſſe eorum reſponſionem. Vrges enim: *gratia non datur ex operibus: ergo ſecundum Apoſtolum non datur etiam ex operibus ſub conditione prevíſis. Hoc argumentum eſt efficax apud S. Auguſtinum: gratia non datur ex operibus: ergo non datur ex operibus futuris. Iſtud ergo argumentum erit etiam efficax: gratia non datur ex operibus: ergo non datur ex operibus ſub conditione prævíſis &c.*

246. Verberas aerem, & hoſtem qui non eſt, impetis. Quis noſtrum id reſpondet? appella illorum nomina, recenſe verba, aut ſaltem loca annota, in quibus hæc reſponſio habeatur. Ego interim loca proferam, quibus te impoſuiſſe demonſtrabo.

§. 2.

§. II.

Falſitatis convincitur ex Molina, & Suare.

247. MOre meo demonſtrationem meam à Molina inchoabo. ſic ſcribit quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1ª. memb. 6. poſt medium. *ſanè, ut ex hactenus dictis conſtat, & ex iis quæ in hujus materiæ progreſſu ſubjungemus, erit manifeſtum, eam ſententiam amplectimur, quatenus affirmat prædeſtinationis, quoad actum voluntatis divinæ, per quem in eſſe prædeſtinationis completur, nempe quo ſtatuit his adultis, & non aliis conferre ea media, per quæ prævidebat eos pro ſua libertate perventuros in vitam æternam, nullam dari cauſam vel rationem; imò neque conditionem ſine qua non, ex parte uſus liberi arbitrii ipſorum prævíſi.*

Nunquid his verbis excludit dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævíſis? quid enim eſt collatio mediorum, quibus in vitam æternam pervenitur, niſi collatio gratiarum? quid pręviſio uſus liberi arbitrii, niſi pręviſio operum ſub conditione futurorum?

248. Eadem repetit ibidem pag. ſeq. *Auguſtinus re diligentius examinatâ (occaſione hæreſis Pelagianæ) merito aſſeruit non fuiſſe ſecundùm eam preſcientiam, quaſi*

Deus

Deus dona gratiæ, & prædeſtinationis pro qualitate vſus liberi arbitrii præviſa ſtatuerit conferre, ſed fuiſſe pro ſola ſua libera voluntate. Id quod D. Thomas, & communior Scholaſticorum ſententia, atque nos cum aliis amplexati ſumus. Vide igitur quam immeritò, quàm conviciosè hanc Auguſtini contrà Pelagianos ſententiam, quam jam ſubjungo, Molinę ſectatoribus accommodes §. 2. citato: *propter quod profectò deſipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti non ex operibus; quaſi non poſſet dicere non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait, non ex operibus, vt gratiam commendaret.* Subdis: *vos ergo ſimiliter qui dicitis ex operibus ſub conditione pręviſis dari gratiam, contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus: quaſi non poſset dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris conditionatè, ſed ait, non ex operibus, vt gratiam commendaret.* Non poſſum hic calamum cohibere, quin te inverecundè impoſuiſſe ſcribam, qui auſus es rem adeo falſam illis imponere.

249. Iterum Molinam audi id pernegantem prædictâ quæſt. & diſp. memb. 11.: *nulla datur cauſa, ratio, aut conditio, etiam ſine qua non ex parte vſus liberi arbitrii ipſorum, aut aliorum præviſi, ob quam illos prædeſtinaverit, volueritve illis ea media, per quæ prævidebat perventuros illos in vitam æternam, aut cur potius hæc ipſa voluerit eis quàm aliis; ſed id totum in ſolam liberam ac miſericordem voluntatem Dei eſt referendum*

dum, qui pro ſuo ſolo beneplacito id ita voluit. Quàm clarè hæc verba alteram tuam calumniam deſtruunt, quam ibidem num. 12. priori ſubjungis. *Reſpondent 2. Molinæ diſcipuli, Apoſtolum excludere ſolùm illa opera quæ habent rationem meriti: opera autem ſub conditione præviſa non habent rationem meriti. Non enim videtur eſſe contra Apoſtolum aſſerere determinationem liberi arbitrii præcedere influxum gratiæ, dummodò non præcedat per modum meriti. Hâc fucatâ ſolutione cogitant Molinæ diſcipuli ſe longè recedere ab iis, qui impugnant Auguſtinum, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Verè evanuiſti in figmentis tuis; quid enim figmento vanius? hanc falſiſſimam reſponſionem in cerebro tuo cudiſti. Reſpondetne Apoſtolum excludere ſolùm illa opera, quæ habent rationem meriti, qui dicit, *nulla datur cauſa, ratio, aut conditio, etiam ſine qua non ex parte uſus liberi arbitrii ipſorum, aut aliorum præviſi*, &c. Potuitne efficacioribus verbis quamlibet gratiæ ab operibus præviſis dependentiam excludere? erubeſce igitur figmentorum tuorum vanitatem.

250. Non minus validè impoſturæ tuæ contradicit Suarez parte 2ª de divina gratia lib. 5. cap. 36. num. 10. ubi ſic loquitur: „ Ad primam verò inſtantiam, quia ſi poſt vocationem noſtra determinatio expectatur ut trahamur, potiùs nos trahimus Deum. Reſpondetur negando ſequelam: primò quia ut Deus det nobis vocationem congruam, nullo modo trahimus Deum: nam ejus vocatio omnia noſtra opera antecedit. Nec refert quod libera noſtra determinatio ſub conditione præcog-

„cognoſcatur : quia illa præſcientia talis prædeter-
„minationis ſub conditione futuræ non allicit
„Deum , nec movet , ut det nobis cognitionem;
„ſed potiùs dat nobis Deus vocationem, ut illam
„determinationem habeamus:quod facit ex ſola mi-
„ſericordia quam aliis non præſtat ; licet ſimilem
„præſcientiam conditionatam de illis habeat, ut in
„Tiriis & Sidoniis manifeſtum eſt.“ Ecce aſſerit determinationem voluntatis præcognitam ſub conditione futuram , nec Deum allicere, nec movere ad dandam gratiam vocantem Quomodo ergò verum eſt ſcientiæ mediæ defenſores admittere dependentiam hujus gratiæ à determinatione ſub conditione prævifa?

Poſſem plurima aliorum teſtimonia in hujus etiam imposturæ manifeſtationem congerere , niſi crederem illam ex jam allatis eſſe apertiſſimam. Quia tamen vereor ne *Pſeudophilalethes* quodam Annati dicto ad perſuadendum quod dixit, abutatur, lubet etiam tanti viri mentem circa hoc paucis exponere.

§. 3.

Explicatur Annatus.

251. Diſp. 4. de ſcientia media cap. 3. §. 3. num. 74. ſic habet: *Sed ex iis quæ diximus*

mus anteà de doctrina Semipelagianorum, conſtat imaginaria eſſe hæc inconvenientia. Nam quod dicit (Ioannes à S. Thoma) *per ſcientiam mediam offerri divino conſpectui aliquid* (videlicet opus aliquod bonum conditionatè futurum) *quod eum movere poſſit ad dandam gratiam: verum eſt offerri quod movere poſſit ad modum cauſæ finalis.* Vereor, inquam, ne *Pſeudophilalethes* his poſtremis verbis ad imposturæ ſuæ confirmationem abutatur. Quid igitur ſit aliquid conditionatè præviſum poſſe movere Deum, & de facto movere per modum cauſæ finalis breviter aperiamus; ut appareat quàm longè diſtet Annatus ab eo quod imponit *Pſeudophilalethes.*

252. Certum eſt Deum conferre gratiam propter opus bonum, quod per eam intendit: proindéque illud opus eſſe cauſam finalem illius gratiæ. Movetur igitur Deus ad collationem gratiæ ab opere bono per eam intento, tanquam à cauſa finali, non quidem ultimâ, ſed proximâ. Priùs autem quàm gratiam conferat, opus bonum pręvidet futurum ſub conditione collationis talis gratiæ. Illud igitur opus ſic conditionatè præviſum movere Deum ad collationem gratiæ per modum cauſæ finalis, nihil aliud eſt quàm illud habere bonitatem aliquam, propter quam habendam decernat Deus collationem talis gratiæ; ita ut id non eſſet decreturus, ſi opus ſub conditione præviſum nullam haberet bonitatem. Idem dic de uſu gratiæ præſcito, cùm hic uſus conſiſtat in exercitio actus, aut operis propter quod datur.

253. Nihil autem in hac motione eſſe reprehendendum; imò illam ab omnibus eſſe admittendam ex eo fit manifeſtum quod fieri non poſſit, ut Deus aut prædefiniat actum bonum, aut decernat gratiam, ut habeatur, niſi ex parte iſtius actus prçluceat bonitas aliqua, propter quam id decernat, cùm Deus ſemper intendat bonum, ſive interim dicatur bonitas illa præcognita per ſcientiam mediam, ſive per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

„ 254. Si hoc (*inquit Annatus ibidem*) nimium favet „ Semipelagianis, Thomas reus eſt, qui diſertè do- „ cet 1. parte quçſt. 23. art. 5. ad 1um: uſum gra- „ tiæ præſcitum, eſſe rationem collationis gratiæ ſe- „ cundùm rationem cauſæ finalis: reus erit, & qui- „ cumque in Deo admittit ſcientiam ſimplicis intel- „ ligentiæ: nam quod facit ſcientia media dum re- „ præſentat bonum uſum gratiæ hypotheticè futu- „ rum; hoc ipſum etiam facit ſcientia ſimplicis intel- „ ligentiæ, dum eundem uſum reprçſentat ut poſſi- „ bilem, atque etiam ut futurum ex hypotheſi præ- „ definitionis. *Et infrà.* Nobis ergò atque adverſariis „ incumbit communis neceſſitas confitendi tum „ prædeſtinationi, tum prædefinitionibus bonorum „ actuum, tum cuicumque decreto dandi gratiam „ prælucere ſcientiam in Deo, quæ bonum aliquod „ ex parte hominum reprçſentet, propter quod „ poſſit Deus decernere quod decernit. Hoc autem „ eſt repræſentari bonum, quod Deum moveat ad „ modum finis. Et cùm in eo Semipelagiani cenſen- „ di non ſint erraviſſe, in quo ipſi verum ſentimus,

reſtat

Digitized by Google

„ reſtat ut proprius eorum error fuerit, quod eam „ admiſerint præſcientiam quâ Deo repræſentare- „ tur humanum aliquod bonum, naturæ viribus, & „ ſecluſo ſpeciali auxilio comparatum, quo ille ad „ dandam gratiam moveri poſſet ad modum cauſæ „ efficientis moralis, meritoriæ ſcilicet aliquâ ratio- „ ne, vel impetratoriæ.

255. Atque illa eſt efficientia moralis, illa vis meritoria, aut impetratoria gratiæ, quam Apoſtolus excludit ab operibus ad Rom. 11. dum dicit, *Si autem gratia jam non ex operibus; alioqui jam gratia non eſſet gratia*: hæc enim particula cauſalis *ex* non denotat cauſam finalem, ſed efficientem moralem per modum meriti, aut impetrationis: & hanc excludunt omnes ſcientiæ mediæ defenſores ab omnibus operibus non ſolùm pręſentibus, aut abſolutè futuris, ſed etiam ſub conditione prævisis, atque adeò impoſuiſſe te aſſerunt, qui ſcripſiſti illos *reſpondere Apoſtolum non excludere dependentiam gratiæ ab operibus ſub conditione prævisis; ſed ſolùm ab operibus præſentibus, aut ſaltem abſolutè futuris:*

Hujus calumniæ demonſtrationem ſequentibus Annati verbis concludo, ut appareat quàm & is ſollicitè removeat ab omni homine conſiderato etiam in ſtatu conditionato meritum omne, quo ſe unus ab altero diſcernat, aut moveat Deum ad eligendum hunc rerum ordinem, in quo prævidetur benè uſurus gratia potius quàm alter. Sed hanc omnem diſcretionem, ſed hanc electionem ex ſolo Dei beneplacito pendere, adeoque nihil in ea eſſe, de quo gloriari poſſit ullus homo.

256. Sic igitur ſcribit diſp. 3. de ſcientia media cap. 2. num. 15. „ Hoc igitur conſtituto, Apoſto-„lum ſcilicet agere cum iis qui gloriantur de eo quod „habent, aut agunt de facto; dico ſecluſis prædefi-„nitionibus conditionatis, eſſe cur aſſeramus Deum „illos diſcernere etiam antecedenter ad abſolutam „illam exiſtentiam boni de quo gloriantur, ratione „ſpecialis beneficii, quod uni præ altero confer-„tur, nempe ſuppoſitâ ſcientiâ conditionatâ, quâ „ſcit in hac hypotheſi benè uſurum illum gratiâ ſuâ, „illum non benè uſurum; in alia è contrario, quod „ſtatuat pro ſua mera libertate ponere illam, quâ „ſcitur unus benè uſurus, potius quàm illam, quâ be-„nè uteretur & alius; & eſt aliquid antecedens abſo-„lutam poſitionem illius boni uſus: & eſt aliquid „melius moraliter, atque optabilius. Si quis igitur „ideò glorietur, poterit illâ Pauli quæſtione verbe-„rari: quis te diſcernit? hoc eſt, cùm tibi occurrere „poſſent vel hæ circumſtantiæ in quibus tu benè „operaris, ille non item; vel aliæ, in quibus ille „benè operaretur, tu verò minimè: quis te illi præ-„tulit ſtatuendo quod tibi melius, atque utilius eſſe „ſciebatur? & quid habes quod beneficio illius præ-„lationis non acceperis? ſi autem accepiſti, quid „gloriaris?

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO. V.

Impoſturæ quinta, Defenſores ſcientiæ mediæ in eo ſe à Semipelagianis diſcernere, quod hi aſſererent fidem dari illis quos Deus prævidet credituros ex naturæ viribus: illi verò ex viribus gratiæ.

§. I.

Demonſtratur impoſuiſſe.

257 LArvam impoſuit *Pſeudophilalethes* ſcientiæ mediæ, ut deformis appareat, terreatque puerilia ingenia. Larvati homines ſępè ſunt pueris terriculamento: ſed qui ſunt ætate firmiores, rident ad hæc larvata ſpectacula, intrepidi propius accedunt, larvam excutiunt, nudamque hominis, quæ placeat, ſpeciem exhibent. larvam igitur & nos excutiamus, quam ſcientiæ mediæ impoſuit *Pſeudophilalethes*, ut germana ejus ſpecies appareat.

258. De hac larva ſic *Pſeudophilalethes*, cap. 1. art. 1. §. 6. poſterioris editionis. „ Neceſſarium omnino eſt

,, eſt larvam inſignem (*prout ſcilicet ipſe fingit*) quâ
,, ſcientiæ mediæ cooperitur deformitas, hic revela-
,, re. Pigmenta, de quibus cap. ſequenti, ſumuntur ab
,, extrinſeco, videlicet à pluribus inconvenientibus,
,, quæ ſeclusâ ſcientiâ mediâ oportet, inquiunt, de-
,, glutire. Larva de qua intendimus hìc agere, ſu-
,, mitur ab intimis ſcientiæ mediæ, & eſt quaſi color
,, quidam intrinſecus, quo ſe acutè (*ut calumniatur*)
,, diſcernunt Moliniſtæ ab impugnatoribus S. Augu-
,, ſtini. Fatentur impugnatores S. Auguſtini admiſiſſe
,, ſcientiam mediam, ſed eâ fuiſſe abuſos. Qui abu-
,, ſus in hoc conſiſtit, quod aſſererent fidem dari il-
,, lis, quos prævidit Deus credituros ex viribus naturæ.
,, Hunc abuſum adverſarii tollere ſe putant dicentes,
,, fidem dari illis, quos prævidit Deus credituros ex
,, viribus gratiæ. Et certè quis primâ facie non ag-
,, noſceret in iſtis verbis magnum inter utroſque diſ-
,, crimen? ſed cordate Lector credito mihi (*imponen-
,, ti*) larva eſt, ſub qua eorum defenditur aſſertio.
Ex quo autem hęc verba *fidem dari illis, &c.* quæ ſpe-
ciali charactere diſtinguit, exſcripſerit, ſilet, fortaſſis,
vel quia hęc nullibi apud Noſtros legerit; ſed finxe-
rit: vel quod eorum ſenſum quibuſdam truncatis
corruperit.

259. Ut ut ſit, nec illi in eo doctrinæ ſuæ à Semi-
pelagiana diſcrimen ſtatuunt; nec aſſerunt fidem da-
ri illis quos prævidit Deus credituros ex operibus
gratiæ, quaſi iſta fides conditionatè ex auxilio præ-
vio moverit Deum, ut illis potius quàm aliis donum
fidei concederet. Cùm enim nullus ſit, qui non præ-

videa-

Digitized by Google

videatur cum certis auxiliis, certiſque circumſtantiis conditionatè crediturus: nullusque qui cum aliis quibuſdam auxiliis, aliiſque circumſtantiis non præſciatur non crediturus: Ratio quæ moveat Deum ut det illis auxilia illa, quibuſcum prævidentur credituri, aliis autem deneget, non poteſt eſſe bonus illorum uſus ſub conditione prævifus; aliorum autem malus; cùm in omnibus, & bonus uſus quorundam auxiliorum & malus prævideatur. Id totum refundendum eſt in unam Dei voluntatem, gratias ſuas prout vult, & quibus vult diſtribuentis: huic gratiam pro beneplacito ſuo largientis quam prævidit effectum habituram; illi verò quam præſcivit effectu carituram. Hic cum Apoſtolo exclamandum: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!*

260. Clariſſimis verbis id aſſeruit Molina quæſt. 23. art. 4. & 5. membro 11. circa medium. „ itaque dicimus præſcientiam vſus liberi arbitrii prædeſtinatorum, futurævе talis liberæ cooperationis eorum cum donis & auxiliis Dei, vt ad vitam æternam in hoc ordine rerum, quem Deus creare ſtatuit, pervenirent, non fuiſſe cauſam, rationem, aut conditionem quare vel prędeſtinatione in genere hi eſſent prędeſtinati, aut hi potius quam alii, vel quare eâ ipsâ numero prædeſtinatione quâ reipſa prędeſtinati ſunt, fuerint prędeſtinati, quaſi Deus voluerit ex ſua parte illis conferre ea ipſa media, quæ donare illis ſtatuit, per eaque eos prædeſtinare, quia prævidit illos ita

„ pro ſua libertate cooperaturos, vt eâ viâ ad vitam „ æternam pervenirent, aut quaſi fuerit id condi- „ tio quâ exiſtente, aut quâ prævisâ id Deus erat „ facturus, & ſine qua id non erat voliturus; ſed „ tantùm pro libera ſua voluntate ea media illis „ conferre voluiſſe, per quæ eos prædeſtinavit. Li- „ cet enim Deus nulli adultorum deneget auxilia ad „ ſalutem neceſſaria; non tamen pro ratione vſus „ liberi arbitrii prævisi; ſed pro ſua tantùm libera „ voluntate diſtribuit ſua dona quibus vult, quando „ vult, quantùm vult, atque eo modo quo vult, pro „ eademque liberâ ſuâ voluntate ex ſua æterni- „ tate eo pacto diſtribuere ſtatuit, quo in tem- „ pore ea diſtribuit. " Potuit ne Molina ſelectiori- bus verbis exprimere omnimodam donorum gratiæ independentiam à bono eorum vſu præviſo? quid enim efficacius & expreſſius his verbis: *non tamen pro ratione vſus liberi arbitrii præviſi, ſed pro ſua tantùm liberâ voluntate diſtribuit ſua dona quibus vult, quando vult, quantùm vult, atque eo modo quo vult.*

§. II.

Exponitur in quo ſe ſcientiæ mediæ defenſores diſcernant à Semipelagianis.

261. Hic eſt genuinus character, quo ſe Molina à Semipelagianis, cæterique ſcientiæ mediæ Sectatores diſtinguunt, quod hi aſſererent Deum decreviſſe illis donum fidei concedere, quorum Scientiâ viſionis, non mediâ, prævidiſſet futura ad id merita ſolis naturæ viribus comparanda. Reipſa hoc donum illis concedi qui ſe eo dignos præviâ aliquâ naturali diſpoſitione per deſideria, per preces, per morum integritatem pro innata libertate conſtituunt. Illos incipere motum ad fidem naturali quodam voluntatis ad eam progreſſu, tum fidei donum ſubſequi. Illos inchoare juſtificationem concepto aliquo naturali vitæ novæ deſiderio, præmiſſo naturali peccatorum gemitu; tum gratiam adjuvantem illis ſubvenire ad peragendos dignos pœnitentiæ fructus, quibus vſque ad juſtificationem feliciter perducantur. Illos perſeverantiam exordiri pio aliquo naturali ad eam conatu, cujus intuitu tantum illud, quantum eſt perſeverantiæ donum,

Deus

Deus illis largiatur. Atque ita & fidei, & juſtificationis, & perſeverantiæ exordium naturæ libertati, non gratiæ tribuebant; cumque ſemper gratiæ liberum aliquem naturæ conatum præmitterent tanquam aliquod ad eam meritum, aut debitam diſpoſitionem, priores partes dabant voluntati, poſteriores gratiæ; illam præviam, hanc faciebant pediſſequam, liberoque ſubjectam arbitrio. Primam radicem diſcretionis ab illo prævio naturali conatu petebant, habebantque in negotio ſalutis, de quo gloriarentur, quaſi illud ex gratiæ auxilio non accepiſſent: denique ſtatuentes contra Apoſtolum gratiam dari ex præviis operibus, ſive ex prævio aliquo naturalium virium conatu, naturam gratiæ deſtruebant: juxta illud ad Rom. 11. *ſi autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.*

262. Cum autem adverſus hæc prævia liberi arbitrii merita, in quæ & fidei, & juſtificationis, & ſalutis exordia tanquam in primam radicem diſcretionis vnius ab altero referebant, vehementer vrgerent Auguſtinus, & Proſper parvulorum ante vlla merita morientium diſcretionem, quâ vnus, altero rejecto, ad Baptiſmum admitteretur, illoque ſuſcepto vitam æternam altero pereunte conſequeretur. Cum, inquam, hanc diſcretionem adverſus illos vehementer vrgerent, nullaque in parvulis illis reperirent opera, in quæ hanc diſcretionem refunderent; eò amentiæ devenere, vt reſponderent ſic fuiſſe diſcretos ob præviſa diſparia eorum

merita,

merita, quæ nunquam quidem extiterunt, aut exiſtent, ſed erant extitura, ſi ad majorem ætatem perveniſſent

263. Audiamus Proſperum in Epiſtola ad Auguſtinum hanc eorum reſponſionem magnopere exagitantem: „ cumque inter hæc innumerabilium „ illis multitudo objicitur paruulorum .... qui „ nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias „actiones,non ſine Dei judicio ſecernuntur......:tales „ aiunt perdi, taleſque ſalvari; quales futuros illos „ in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit: *& mox*: ſed in „ tantùm commentitiis meritis electionem Dei ſubjiciunt; vt quia præterita non extant, futura, quæ „ non ſunt futura, confingant, novoque apud illos „ abſurditatis genere, & non agenda preſcita ſint, „ & preſcita non acta ſint" Cum verò Auguſtiuus hanc adeo abſurdam illorum reſponſionem ex Hilarii, & Proſperi litteris didiciſſet, reſpondet lib. de prædeſt. SS. cap. 12. vix ſe capere poſſe quomodò id eis adeo abſurdum in mentem venerit: „ ſed „ vnde hoc talibus viris in mentem venerit neſcio, „ vt futura, quæ non ſunt futura, puniantur, aut „ honorentur merita paruulorum .... judicari autem quemquam non ſolùm ſecundùm merita, quæ „ habuit, quamdiu fuit in corpore; ſed ſecundùm „ merita, quæ fuerat habiturus, ſi diutius fuiſſet in „ corpore, vnde opinari potuerunt homines, quorum ingenia non eſſe contemptibilia veſtræ indicant litteræ, mirans, & ſtupens reperire non poſſum:

Digitized by Google

„ ſum : nec credere auderem, niſi vobis non cre-
„ dere non auderem.

264. Et verò quid magis abſurdum, quid magis à juſtitia Dei alienum? quàm vt propter diverſitatem meritorum, quæ nunquam extiterunt, nec futura ſunt; ſed ſolùm eſſent ex hypotheſi quæ nunquam erit, parvulorum alii baptiſmo, & per eum vitâ æternâ donentur: vtroque priventur alii. Si enim naturalia liberi arbitrii merita abſolutè futura, aut etiam exiſtentia prorsùs nulla ſint in conſpectu divino, nullamque omnino vim habeant, vt à Deo vel fidei, vel juſtificationis, vel alterius cujuſlibet gratiæ donum impetrent: quanto magis hoc merito, hac virtute deſtituta ſunt opera, quæ nunquam futura ſunt, ſed dumtaxat exiſterent ex hypotheſi nunquam futurâ.

265. Sed quis defenſorum ſcientiæ mediæ vnquam aſſeruit in adultis vel fidei, vel juſtificationis, vel perſeverantiæ, vel ſalutis primordia voluntati humanæ eſſe adſcribenda: illam propriis viribus fidem, & juſtificationem, & perſeverantiam inchoare: tum hujus intuitu gratiam concedi, quæ id quod benè cœptum eſt promoveat, perficiatque. Quis eorum ſcripſit præviam aliquam naturalem adultorum ad gratiam diſpoſitionem ab æterno præſcitam, vel etiam ipſum bonum gratiæ vſum ab æterno præviſum moviſſe Deum, vt his potius quā illis gratiarum ſuarum dona largiri ab æterno decerneret? quis eò inſaniæ devenit, vt diceret conditionata paruulorum merita, quæ nunquam erant futura,

tura, per ſcientiam mediam à Deo cognita, alios ab aliis ſecreviſſe, his baptiſmum, qui aliis ex eorum defectu prævíſo denegatus ſit, impetraſſe ?

266. Nonne omnes concordi calamo ſcripsêre nullos liberi arbitrii actus naturales, nulla opera ex ſolis naturæ viribus prodeuntia poſſe gratiam ullam, aut impetrare, aut promereri? nonne unanimes dixere & fidei, & juſtificationis, & perſeverantiæ exordium refundendum eſſe in gratias congruas humanum omne meritum prævenientes ? nonne primam unius ab altero diſcretionis radicem aſſeruere gratuitam Dei voluntatem gratiarum ſuarum dona prout vult, & quibus vult, & quomodo vult diſtribuentis ? tam clarè hęc ſuperius ex eorum verbis probata ſunt, ut nullum putem poſſe id inficiari, qui oculo defœcato illa legerit, & maturâ conſideratione expenderit.

267. Hęc igitur ſunt *Pſeudophilalethes*, quibus Doctores ſcientiæ mediæ ſeſe ab Auguſtini impugnatoribus, hoc eſt à Semipelagianis clariſſimo charactere diſtinguunt: non verò, ut illi imponis: quod hi aſſererent *fidem dari illis, quos prævidit Deus credituros ex viribus naturæ*: illi autem aſſerant *fidem dari illis, quos prævidit Deus credituros ex viribus gratiæ*

268. Quamquam enim veriſſimum ſit juxta illos, cæterosque orthodoxos neminem à Deo prævideri crediturum niſi ex viribus gratiæ; illa tamen fides ex viribus gratiæ prævisa non eſt vel ratio, vel cauſa, vel conditio, cur Deus huic potius quàm illi fidei donum decreverit. Nullus eſt, ut dixi num. 259. quem

quem Deus per ſcientiam mediam non prævideat ex hypotheſi certarum circumſtantiarum, atque gratiarum certò crediturum: nullus pariter, quem non præſciat ſub certis circumſtantiis & gratiis culpâ ſuâ non crediturum. Hæc circumſtantiarum & gratiarum diſcretio, ex qua oritur & fides, & juſtificatio, & perſeverantia, ac denique ſalus ipſa, ab una Dei dependet voluntate, in quam unam proinde refundenda eſt inſcrutabilis unius ab altero diſcretionis primæva origo.

269. Equidem illud etiam diſcrimen verum eſt, quod Deus ex Semipelagianorum placitis prævideat initium fidei à gratia independens; noſtrâ verò ſententiâ, omniumque rectè ſentientium omnino dependens. Sed hoc diſcrimen minimè ſufficit, nec ab errore immune eſt, ſi id ita aſſeratur; ut bonus uſus gratiæ per ſcientiam mediam prævisus ab hoc potius quàm altero faciendus, dicatur per modum alicujus meriti, aut conditionis Deum moviſſe, ut huic potius quam alteri gratiam decerneret: inepta enim ſunt merita quęlibet conditionata, omnique virtute deſtituta ad pręmium aliquod obtinendum: ſicut & conditionata demerita, ut reum aliquem conſtituant; alioqui enim ſinguli & præmio, & pœnâ digni eſſent, cùm ſinguli cum hujuſmodi meritis, & demeritis conditionatè futuris per ſcientiam mediam prævideantur: quia nullus eſt, qui ſi in aliis, atque aliis circumſtantiis, cum aliis, atque aliis gratiis poneretur, qui quarundam gratiarum rectum uſum non faceret: aliarum verò ſiniſtrum; proindéque

qui

qui recto iſtarum uſu conditionato non mereretur præmium aliquod: aliarum autem uſu ſiniſtro non dignus pœnâ aliquâ conſtitueretur.

270. Recurrimus igitur ad ſcientiam mediam non ut ex operibus noſtris ſub conditione pręviſis petamus vel cauſam, vel motivum, vel conditionem diſcretionis unius ab altero in gratiarum diſtributione: hunc enim affirmamus pendere ab una Dei voluntate: ſed ut Deus quod pro beneplacito ſuo, inſcrutabili judicio circa unumquemque quoad fidem, quoad juſtificationem, & perſeverantiam decrevit, efficaciſſimè illæsâ libertate ad exitum perducat.

SECTIO VI.

Impoſtura ſexta; Patrem Annatum objectionem errantium ſumpſiſſe pro ſolutione Auguſtini,

§. I.

Oſtenditur ex quo Pſeudophilalethes hanc calumniam ſumpſerit

271. NEſcio quâ impudentiâ auſus fuerit *Pſeudophilalethes* cap. 1. art. 1. §. 4. num. 14. & ſeq.

Digitized by Google

& ſeq. rem adeò falſam Annato affingere : cùm nullum extet in loco quem citat Annatus , hujus rei vel tenue veſtigium : habeantur autem & in *Pſeudophilalethe* certiſſima ſtudioſæ fraudis indicia , ut jam demonſtrabo : niſi fortè paulò mitius de eo ſentiens dixero *Pſeudophilalethem* deceptum fuiſſe à Pſeudò-Auguſtino Doctore ſuo familiari , qui libro 2. de Gratia Chriſti. c. 31. col. 224. impudentiſſimè idem imponit Doctoribus Societatis , Bellarmino, Suari, Leſſio ; & ex quo hanc calumniam, ut multa alia, in librum ſuum tanquam inſigne aliquod triumphi ſui ornamentum tranſtulerit. Annatus diſp 1. de ſcientia media agens contra Tuiſſium Calviniſtam, *Pſeudophilalethis* in impugnanda hac ſcientia vel commilitonem , vel anteſignanum cap. 4. num. 57. doctrinæ ſuæ obmurmuratorem ſic alloquitur : *Et ſi quis obmurmuret quod in conſtituenda divinæ gratiæ congruitate illa partes eſſe aliquas dicamus creatæ libertatis; Auguſtinum appellem, cujus eſt illa vox ad Simplicianum : ut velimus & ſuum eſſe voluit , & noſtrum ; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

272. Diſplicuit id *Pſeudophilalethi* , uti & Tuiſſio illi Calviniſtæ : Doctorem igitur ſuum ſuper hac re conſuluit Auguſtinum Leerdamenſem ; & ex eo hanc commentitiam reſponſionem didicit. *Reſpondeo quod iſte locus ab Auguſtino diſputando profertur ſecundùm ſuum errorem , quo ante Epiſcopatum tenebatur ; ſed poſteà in eodem loco refutatur.* Hæc ſunt verò Pſeudo-Auguſtini verba loco ſupra citato. *Reſpondeo & iſtum locum ab Auguſtino pro ſuo errore , quo ante Epiſcopatum tenebatur.*

tur, diſputando proferri, & poſteà in eodem loco refutari.

Quis non videat ex utriuſque reſponſionis ſimilitudine, ac propemodum verborum omnium identitate reſponſum *Pſeudophilalethis* ex reſponſo Pſeudo-Auguſtini profluxiſſe ? iiſdem probationibus uterque utitur, iiſdem dolis, ut id perſuadeat, quos modò retegam.

273. Poſt prædicta verba ſubdit *Pſeudophilalethes*:
„Sciendum eſt enim Auguſtinum aliquando cre-
„didiſſe, quod Deo vocante ad benè vivendum,
„voluntas non ex inſpiratione divina, ſed ex pro-
„pria libertate vellet benè vivere: quâ voluntate po-
„ſitâ Deus dat artem, ſive poteſtatem benè viven-
„di.........: Hic error fuit Semipelagianorum, qui
„dicebant neceſſariam quidem eſſe Dei vocatio-
„nem; non tamen ex inſpiratione divina hominem
„habere voluntatem credendi; ſed ex propria liber-
„tate illam habere; ſicut & voluntatem benè viven-
„di, cui poſteà Deus præſtaret bonam vitam, ar-
„tem, & induſtriam benè vivendi conferendo. Iuxta
„quem errorem dixit loco citato Auguſtinus: aliter
„præſtat Deus ut velimus; aliter præſtat quod vo-
„luerimus: ut velimus enim & ſuum eſſe voluit, &
„noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod
„autem voluerimus ſolus præſtat, id eſt, poſſe benè
„agere, & ſemper beatè vivere, &c.

274. Vix poſſum mihi perſuadere alibi *Pſeudophilalethem* hæc verba Auguſtini legiſſe, quàm in Pſeudo-Auguſtino: nunquam enim hæc verba dixiſſet ab Auguſtino prolata ſecundùm errorem ſuum, quo ante

Digitized by Google

Epiſcopatum tenebatur ; ſi illa in vero Auguſtino ponderaſſet : Nunquam ſcripſiſſet Annatum in illis objectionem errantium accepiſſe pro ſolutione Auguſtini, ſi illorum ſenſum ex Auguſtino indagaſſet.

§. 2.

Probatur ex Auguſtino imposturæ falſitas.

275. AUguſtinum igitur loco citato conſulamus, & aliquot ejus verba, quæ præcedunt, & quæ ſubſequuntur præfatam ſententiam, quam contendit *Pſeudophilalethes* aut eſſe objectionem errantium, aut ab Auguſtino ſecundùm priſtinum errorem ſuum pronuntiatam.

276. Hæc ſunt ejus verba aurea : *Nemo itaque credit non vocatus ; ſed non omnis credit vocatus. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi : utique ii qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt : volentes autem ſine dubio crediderunt : quid eſt ergo quod ſequitur : igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei ? An quia nec velle poſſumus niſi vocati, & nihil valet velle noſtrum, niſi ut perficiamus adjuvet Deus ? opus eſt ergò velle & currere : non enim fruſtra diceretur : & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & ſic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut quod*

quod volumus adipiſcamur, & quo volumus perveniamus. Noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret. Eſtne hîc verbum aliquod, quod non ſit Auguſtini ut orthodoxè ſapientis? quomodo ergo ſequentia quæ continuo tenore ſubjicit: *aliter enim præſtat Deus ut velimus, aliter quod voluerimus: ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus ſolus præſtat, id eſt, poſſe benè agere, & ſemper beatè vivere.* Quomodo hæc, inquam, non ſunt ejuſdem ut catholicam ſententiam proferentis? quodnam vel leve indicium hæc Auguſtinum dicere ſecundùm priorem ſuum errorem, aut objectionem continere errantium, pro ſolutione Auguſtini? an fortè ſequentia aliquid ejuſmodi innuunt? minimè. Priori enim difficultate explicatâ tranſit ad alteram. *Verumtamen*, inquit, *Eſau nondum natus nihil horum poſſet velle ſeu nolle; cur ergò in utero poſitus improbatus eſt? reditur enim ad illas difficultates non ſolùm ſuâ obſcuritate; ſed etiam noſtrâ tam multâ repetitione moleſtiores, &c.*

277. Non tantùm pręcedentia non indicant prædictam ſententiam non eſſe Auguſtini orthodoxè loquentis; ſed planè contrarium demonſtrant: hæc enim verba immediatè pręmittit, *niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Quibus apertè ſignificat in poteſtate vocati eſſe vocationem ſequi, aut contemnere, cujus hanc rationem veriſſimam reddit verbis ſequentibus. *Aliter enim Deus præſtat ut velimus, aliter*

Digitized by Google

etiam velle & currere vocando præſtaret; niſi vocatione contemptâ reprobus fieret. Poſterior etiam certa eſt, & evidens: cùm enim Deum vocantem ſequamur vocationi ejus conſentiendo: implicet autem contradictionem, ut noſter conſenſus non ſit noſter; repugnat pariter ut noſtrum non ſit quod ſequamur; quamvis & idem ſit, ac quidem præcipuè, auxilii divini.

279. Hæc Auguſtini ſententia adeò ſimilis eſt pluribus aliis Auguſtini pronuntiatis; ut ex ea liceat Auguſtinum agnoſcere. Quid enim illud ſignificat quod ſcripſit lib. de bono perſeverantiæ: *utrumque noſtrum eſt credere, ac benè operari, propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis. Atque iterum utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* Et rursùs lib. de ſpiritu & littera cap. 34. *Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Cùm igitùr hæc non ſint ab Auguſtino pronuntiata ſecundùm errorem quo ante Epiſcopatum tenebatur, neque iſtud: *ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo*, quod aliis perſimile eſt, dici poteſt niſi inſanè, aut fraudulenter ex priore illo errore ab eodem pronuntiatum.

Digitized by Google

§. 3.

In aperto ponitur fraus Pſeudophilalethis.

280. TVam modò appello fidem *Pſeudophilalethes*, quâ ſinceritate ſcripſiſti: *Reſpondeo quod iſte locus ab Auguſtino diſputando profertur ſecundùm ſuum errorem, quo ante Epiſcopatum tenebatur.* Cùm nulla ſit in eo erroris umbra? quâ veritate ſubjunxiſti, *ſed poſteà in eodèm loco refutatur*, cùm nulla ſubſequatur illius refutatio? Quis non crederet ſtatim eodem loco ſubjunctam eſſe iſtius loci refutationem? At ne veſtigium quidem tenue hujus refutationis apparet. Sed *Pſeudophilalethes* inſigni fraude, ut incauto Lectori fucum faceret, cùm ſiniſtram interpretationem horum verborum attuliſſet: *aliter præſtat Deus, ut velimus: aliter præſtat quod voluerimus. Vt velimus enim & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo:* ſtatim ſubjecit num. 16. *Hunc errorem retractavit S. Auguſtinus. Cùm enim dixiſſet: quod ergò credimus (vocanti Deo) noſtrum eſt; quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus in ſe dat Spiritum Sanctum (per quem facultas benè operandi confertur) ſtatim corrigendo ſubjungit: hoc profectò non dicerem, ſi jam ſcirem fidem inter Dei munera reperiri quæ dantur in eodem Spiritu.*

Quis

281. Quis hæc legens in *Pſeudophilalethe* non crederet, hæc etiam verba, vt priora exſcripta eſſe ex 1. ad Simpl. quæſt. 2. hunc errorem illic contineri; & continuò per hæc verba *hoc profectò non dicerem*, ibidem retractatum? cum hęc duo loca ſeſe immediatè in *Pſeudophilalethe* conſequantur, & poſtremus non habeat aliam à primo citationem: ſed initio citetur quæſt. 2. lib. 1. ad Simpl. quaſi vterque ex eodem libro, & ex eadem quæſtione eſſet deſumptus. Quis non putaret poſteriorem continere iſtam prioris refutationem, de qua dixerat in ſua ad Annatum reſponſione *ſed poſtea in eodem loco refutatur*.

282. Verùm longè hæc abſunt à veritate; & aliunde prior locus, aliunde poſterior deſumptus eſt; imò & hic poſterior non integer ex eodem tractatu deſcriptus eſt, vt jam declarabimus. Hęc omnia reticuit *Pſeudophilalethes*, & citationem omiſit; vt ſcilicet lector minus in Auguſtino verſatus exiſtimaret hæc omnia in eadem quæſtione ad Simpl. citata contineri: atque ita ejus in Annatum calumnia fieret veriſimilior.

283. Sed quod ipſe omiſit, quacumque tandem ex cauſa, vel intentione, nobis hic præſtandum eſt. Prædictus error ab Auguſtino traditus eſt tom. 4. libro expoſitionis quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Rom. Vbi explicans verba illa capitis 9. „ Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni „ egiſſent, aut mali; vt ſecundum electionem Dei „ propoſitum maneret. *Ita loquitur*: Non ergo ele-

Digitized by Google

„ git Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ip-
„ ſe daturus eſt; ſed fidem elegit in præſcientia; vt
„ quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elege-
„ rit, cui Spiritum Sanctum daret, vt bona ope-
„ rando etiam vitam æternam conſequeretur. Dicit
„ enim idem Apoſtolus, idem Deus qui operatur
„ omnia, & in omnibus: nuſquam autem dictum
„ eſt, Deus credit omnia in omnibus. Quod ergo cre-
„ dimus noſtrum eſt: quod autem bonum operamur,
„ illius eſt, qui credentibus in ſe dat Spiritum Sanctũ
& rurſum infra: non ergo elegit Deus benè operan-
„ tes, ſed credentes potius, vt ipſe faciat illos benè
„ operari. Noſtrum enim eſt credere & velle; illius
„ autem, dare credentibus & volentibus facultatem
„ benè operandi &c." Hæc Auguſtinus; vbi inter credere & velle ex vna parte, & benè operari ex altera ſtatuit hoc diſcrimen, quod credere & velle non ſint ex Deo, ſed ex libero arbitrio: benè autem operari ſit ex Deo, ſive ex ejus gratia. Cujus doctrinæ pars prima continet errorem Semipelagianorum.

284. Hunc errorem retractavit Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 23. vbi hanc opinionem ſuam erroneam ad limam revocans, expreſſe ita illam corrigit. *Proinde quod continuo dixi: dicit enim idem Apoſtolus: idem Deus qui operatur omnia in omnibus: nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde ſubjunxi: quod ergo credimus noſtrum eſt .... profecto non dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.*

Digitized by Google

285. Sed quid affine habet cum hoc errore quod ex Auguſtino lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. retulit Annatus, *vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* In eo error præcedentis loci conſiſtit, quod illic ſolum operari tribuat Dei gratiæ; non autem ipſum credere, & velle: cum ergo in loco, quem refert Annatus ipſum etiam velle in Dei gratiam referat, manifeſtè error præcedens excluditur. Non poteſt ergo hic locus in altero comprehendi, vt prioris retractatio ad hunc etiam extendatur.

286. Et verò non illic recognoſcit quæ ſcripſerat ad Simplicianum;ſed id pręſtat lib. 2.retract.c.1. vbi ex iis quæ dixerat prædictâ quæſt. 2. nihil prorſus revocat; imò doctrinam eo lib. traditam commendat, vti & lib. de prędeſt. SS. cap. 4. & de bono perſeverantiæ cap. 20.

287. Sed parum eſt ſententiam illam Auguſtini non eſſe ab eo retractatam, aut correctam. Addo eam expreſsè confirmatam illo ipſo capite 23. lib. 1. retract. ex quo hęc verba retractatoria *hoc profecto non dicerem* deſumpſit *Pſeudophilalethes* citatione fraudulenter, vt oſtendi, prętermiſsâ. Nam poſtquam illic revocavit quod ſcripſerat: *Quod ergo credimus noſtrum eſt &c.* ſubdit: *vtrumque ergo* (nempe credere, & bene operari) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei & Charitatis.*

Quid enim ſonant verba illa: *vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum*

tum eſt &c. niſi illud ipſum quod ex Auguſtino retulerat Annatus: *vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

288. Ne autem cum *Pſeudophilalethe* vocationem ab inſpiratione contra mentem Auguſtini dividas, vt ſpeciem aliquam erroris in prędicta ſententia confingas, vtrumque nomine vocationis comprehendit Auguſtinus. Non tantum per eam intelligit externam vocationem quæ fit per Evangelii prædicationem, aut per ſigna aliqua prodigioſa in fidei confirmationem exhibita: Neque etiã ſolas illuſtrationes internas ad intellectum ſpectantes; ſed etiam internas inſpirationes, motionesque voluntatis; ac denique ea omnia quibus homo ad credendum ac benè volendum excitatur, allicitur, pertrahiturque, nomine vocationis comprehendit. Vnde & vocationi ſimpliciter tribuit quod credamus, quod velimus, quod operemur benè.

289. Hujus veritatis plurima ſunt teſtimonia allata à n. 162. vſque ad n. 181. Duo tantum addo ex eadem ad Simpl. quæſt. deſcripta. *An quia nemo poteſt credere niſi velit, nemo velle niſi vocetur; nemo autem poteſt ſibi præſtare vt vocetur; vocando Deus præſtat & fidem.* Et infra: *noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret.* Perversè igitur exponit *Pſeudophilalethes* prædictum locum in hunc modum num. 15. *Vt velimus benè vivere, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo: benè autem vivere, quod jam voluimus, ſolus*

præſtat

præſtat, artem & induſtriam benè agendi conferendo; in quo elucet error ſupradictus Semipelagianorum; ſiquidem volitionem benè vivendi tribuit tantum Deo ratione vocationis, non ratione bonæ inſpirationis.

290. Quid ais *Pſeudophilalethes*? in eone elucet error Semipelagianorum, quod dixerit Auguſtinus Deum vocando facere, vt velle noſtrum ſit ſuum? quandonam Semipelagiani dixere Deum vocando efficere vt velimus credere? & quando hac de re tanquam de errore reprehenſi ſunt ab Hilario, aut à Proſpero, aut ab Auguſtino? ſi hoc erroneum eſt: Ergo & iſtud: *vocando Deus præſtat & fidem.* ergo & illud, qui ei *etiam velle & currere vocando præſtaret*. Ergo & omnia illa loca, quæ pœnè innumera ſunt, errorem continent, in quibus ſolius vocationis meminit, eique tribuit quod credamus, quod velimus, quod bonum operemur. Quis ſapiens id aſſerat? ergo nec locus ille errorem continet, in quo dixit: vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quamvis enim nec inſpiratio, quod falſum eſſe oſtendi, phraſi Auguſtinianâ ſub vocatione contineretur; nihilominus erroris damnari non poſſet, niſi ſtultè, & temerè hæc propoſitio: vocando facit vt velle noſtrum ſit ſuum. qui enim affirmat velle noſtrum, vocando ſuum efficere, non negat idem præſtare inſpirando.

291. Deniquè ſi hæc aliáque quam plurima, quæ in dicta quæſtione in eundem ſenſum paſſim repetit, atque inculcat, errorem continent; quomodo Auguſtinus adeo diligens in caſtigandis omnibus à

ſe

ſe olim ſcriptis, quæ vel ſpeciem aliquam erroris, vel quidpiam minus bene ſonans continere videbantur, in librorum ſuorum retractatione ea diſſimulavit? quomodo non indicavit, ſaltem verbo vno in his aut illis latere errorem aut erroris ſuſpicionem? quomodo doctrinam in ea quæſtione contentam abſolutè & ſimpliciter commendat? quomodo dixit in hoc libro viciſſe Dei gratiam? vicitne gratia per errorem, gratiam ipſam deſtruentem?

292. Sed quid tamdiu immoror huic veritati demonſtrandæ? conferatur tantùm locus de quo eſt controverſia cum duobus aliis Auguſtini locis inter ſe oppoſitis, quorum primus ſententiam contineat Semipelagianam; ſecundus orthodoxam: & hâc comparatione res confecta erit. Prima propoſitio Auguſtini cum Semipelagianis errantis loco ſupra citato eſt hæc: *quod credimus noſtrum eſt; quod autem bonum operamur, illius eſt.* Vbi ſola prima pars eſt erronea, idque intellecta ad ſenſum Pelagianorum de actu credendi, gratiam antecedente. 2ª propoſitio Auguſtini ſeipſum corrigentis lib. 1. retract. cap. 23. & orthodoxè ſentientis eſt iſta: *vtrumque ergo* (nempe credere, & benè operari) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis; & vtrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei, & Charitatis*: vel illa ibidem: *vtrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem: & vtrumque noſtrum eſt, quia non fit niſi volentibus nobis.*

293. Tertia propoſitio quam Pater Annatus ex Auguſtino proponit vt Catholicam; *Pſeudophilalethes* autem rejicit tanquam Semipelagianam, & ab Auguſtino

Auguſtino retractatam eſt hæc: *vt velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

294. Quæro nunc, cum qua prædictarum duarum propoſitionum poſterior hæc magis conſentiat? cum primâ hæreticâ? an cum ſecundâ Catholicâ? poſterior gratiam præmittit fidei, & bonæ volitioni: eandem etiam præmittit 2ª Catholicâ. Prima verò hæretica vtrique poſtponit. *Vtrumque ipſius eſt* (inquit Auguſtinus catholicè loquens) quia ipſe pręparat voluntatem, nimirum per gratiam excitantem, & prævenientem, quæ eſt vocatio interna; *& vtrumque noſtrum eſt, quia non fit niſi volentibus nobis*, id eſt, conſentientibus, & internam vocationem ſequentibus. Cui propoſitioni planè concordat iſta: *vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando* per gratiam pręvenientem; *noſtrum ſequendo*, id eſt, vocationi conſentiendo. Videat lector eruditus, & judicet vter è duobus ſit allucinatus; Annatus? an *Pſeudophilalethes*, & ejus informator, ac præcentor Ianſenius? & ex multiplici dolo, quem in hac impoſtura interveniſſe oſtendi, diſcat quam in aliis fidem *Pſeudophilalethes* mereatur.

SECTIO.

SECTIO VII.

Impoſtura ſeptima, Annatum doloſè truncaſſe hunc Auguſtini locum, *anima non deſerta eſt ut deſereret, ſed ut deſereretur deſeruit.*

§. I.

Annatus à calumnia vindicatur.

295. HUjus loci doloſam mutilationem ab Annato factam ex eo probat *Pſeudophilalethes* num. 240. quod Annatus aliquot verba præcedentia omiſerit, quæ prædictum Auguſtini locum in alienum ſenſum ab eo detorqueri, ut ipſe imponit, demonſtrabant. „ Meritò, inquit, illum dixi „ truncaſſe hoc teſtimonium? non quod truncare, ſit „ aliqua quæ ad intentum nihil faciunt, omittere: „ ſed quia truncare teſtimonium propriè quis dicitur, „ quando ea quæ ſunt conjuncta illi teſtimonio, „ doloſè omittit, quæ tamen ſi conjuncta proferrentur, contrarium illius quod probare intenditur

„ tur, manifeſtarent. Hoc Patrem Annatum feciſſe „ verba immediatè antecedentia oſtendunt. Sic enim „ habet S. Auguſtinus: *in quocumque die comederis ex* „ *eo, morte morieris:* & quæ ibi mors intelligatur expo- „ nens: *Si eam*, inquit, *ſolam intelligamus, quæ fit cum* „ *anima deſeritur ſuâ vitâ*, *quod illi Deus eſt; non enim* „ *deſerta eſt, ut deſereret; ſed ut deſereretur, deſeruit.*

296. Ubi ſic legiſti? fortè erubeſces dicere. Dicam ego: non in Auguſtino Hipponenſi, ſed Iprenſi damnato: ex quo etiam deſcripſiſti perverſam tuam Concilii Tridentini interpretationem circa hoc ejus pronuntiatum: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*, ut palam faciam §. ſequenti. Nunc probandum eſt te per calumniam dixiſſe, Annatum doloſè truncaſſe hunc Auguſtini locum: *anima non deſerta eſt ut deſereret; ſed ut deſereretur, deſeruit.*

297. Sic habet Auguſtinus lib. 13. de Civitate Dei cap. 15. *Quamobrem etiam in eo quod dictum eſt: morte moriemini; quoniam non eſt dictum mortibus; ſi eam ſolam intelligamus, quæ fit cum anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt: non enim deſerta eſt ut deſereret; ſed ut deſereretur, deſeruit. Ad malum quippe ejus prior eſt voluntas ejus; ad bonum verò ejus prior eſt voluntas Creatoris ejus; ſive ut eam faceret quę nulla erat; ſive ut reficiat quæ lapſa perierat &c.*

298. Pro illis verbis *morte moriemini; quoniam non eſt dictum mortibus*, ſubſtituit *Pſeudophilalethes*, *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Nec mirum; quia iſta verba reperit in ſuo Pſeudo-Auguſtino, &

verba eſſe Hipponenſis exiſtimavit. Ad id adverto; non quod hęc mutatio ſit gravis momenti ad ſcopum Auguſtini ;ſed ut oſtendam *Pſeudophilalethem* ſolitum legere Auguſtinum , non in Auguſtino ; ſed in Janſenio Auguſtini corruptore. Nunc Annatum à calumnia vindicemus.

299. Do *Pſeudophilalethi*, Auguſtinum illîc agere de animæ deſertione à Deo per ablationem gratiæ ſanctificantis; & juxta eundem, ut veriſſimum eſt , neminem ſic à Deo deſeri , niſi prius peccando Deum deſerat. Sed quid inde ? ideòne Annatus Auguſtinum dolosè truncavit , quia verba illa, *ſi eam ſolam* (nempè mortem) *intelligamus , quæ fit cum anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt*, immediatè antecedentia præcidit ? Ita eſſe contendis , quia manifeſtant hoc ſubſequens Auguſtini effatum, ***non enim deſerta eſt, ut deſereret , ſed ut deſereretur, deſeruit***; accipiendum eſſe non de animæ deſertione per negationem gratiæ prædeterminantis, ad benè agendum ſecundùm te neceſſariæ ; ſed de illius deſertione per ablationem gratiæ ſanctificantis.

300. Iam tibi ad intentum tuum ſubſumendum eſt : atqui Annatus, ut celaret Auguſtinum illic agere de iſta animæ deſertione, quæ fit cùm Deus animam gratiâ ſuâ ſpoliat ob peccatum commiſſum , prædicta verba *ſi eam ſolam &c.* prætermiſit : ergò dolosè Auguſtinum truncavit.

Sed quâ ratione hoc ſubſumptum probabis? utique probatio tua petenda erit ex ſcopo Annati, & oſtendendum, illi obfuiſſe Auguſtinum, intellectum de

de animæ deſertione à Deo per ſubtractionem gratiæ ſanctificantis. Si enim Auguſtinus ſic intellectus nihil officiat fini, quem intendit; cur, amabo, præfata verba abſcidiſſet, ne Auguſtinus in hoc ſenſu acciperetur? videamus ergo quid loco citato intendat Annatus: & num prædictus ſenſus verborum Auguſtini, ejus intentioni repugnet.

301. Diſputationis primæ num. 33. à *Pſeudophilalethe* citato id probandũ aſſumit, videlicet non omnia à Deo prædefiniri quæ ab eo prę̨ſciuntur futura. Ita Auguſtinum ſenſiſſe efficaciſſimis teſtimoniis ex eo adductis conatur evincere. Inter cætera hoc profert ut quæſtionis deciſivum: *anima non deſerta eſt ut deſereret; ſed ut deſereretur, deſeruit. Ad malum quippe ejus, prior eſt voluntas ejus: ad bonum verò ejus, prior voluntas Creatoris ejus; ſive ut eam faceret, quæ nulla erat; ſive ut reficeret quæ lapſa perierat.* Tum ſic ratiocinatur: *Si fuit prędefinitio actus mali, cujus fuit præſcientia, evidentiſſimum eſt, & deſertam fuiſſe voluntatem, priuſquam ipſa deſereret: & ipſam non eſſe ad malum priorem, cùm ſupponat prædefinitionem, quæ voluntas quædam Dei eſt.*

302. Vis hujus ratiocinationis talis eſt: actus mali non poſſunt à Deo prędefiniri; alioqui enim contra Auguſtinum prius voluntas à Deo foret deſerta, quàm Deum deſereret; nec ipſa eſſet ad malum prior; ſed Deus ſuâ prædefinitione: Atqui actus mali prę̨ſciuntur à Deo: ergò non omnia præſcita ſunt prædefinita. Age, in quo vim hujus argumenti infringebant ea Auguſtini verba: *ſi eam ſolam intelligamus, quæ fit cùm anima deſeritur ſuâ vitâ, &c.* quæ tu Annatũ dolo-

ſè truncaſſe calumniaris ? efficientne ut poſſint actus mali juxta Auguſt. à Deo prædefiniri ? dignus eſſes riſu, ſi id aſſereres, cùm verba omiſſa nullam habeant cum hac re connexionem. Atqui ut Annatus obtineat, quod intendit, ſufficit quod actus mali non poſſint à Deo prædefiniri, cùm tamen præſciantur. Nam ex his duobus clariſſimâ conſecutione deducitur non omnia prȩſcita, eſſe prȩdefinita: quod unum illic intendit Annatus. Quomodo ergo censeri poteſt dolosè truncaſſe, quod additum aut omiſſum ad ejus ſcopum nihil faciebat ?

303. At objicis : verba relicta oſtendunt Auguſtinum agere de animæ deſertione à Deo per privationem gratiæ juſtificantis. Quid tum? nonne ſi Deus prȩdefiniret actum malum, prius iſto ſenſu deſereret animam, quàm ipſa Deum ? actus malus peccatum eſt : peccatum privatio gratiæ : ſi ergo Deus prȩdefiniret actum malum, prius decreto ſuo id prædefiniente animam deſereret ſenſu jam explicato, quàm ab ea per peccatum aliquod gravius deſereretur: quia nempe efficaciſſimè decerneret id fieri, quod gratiam expellit.

304. Nonne iſtâ Dei deſertione, ſenſu à te poſtulato, intellectâ; ſi Deus prædefiniret actum malum, adhuc veriſſimum eſſet voluntatem humanam futuram poſteriorem ad malum, divinâ voluntate illud prȩdefiniente ? atqui Annato illud ſatis eſt, ut ex Auguſtino probet non poſſe actum malum à Deo prædefiniri. Cur ergo præcedentia verba truncaſſet, ut celaret, quemadmodum imponis, illic Auguſtinum

num agere de illa deſertione Dei, quæ fit cum anima propter peccatum exuitur gratiâ juſtificante? quandoquidem deſertione iſto ſenſu acceptâ maneat prædictæ rationi vis integra.

305. Itaque cum verbis illis additis, quæ Annatus præteriit ut ad rem nihil facientia, ſtet inconcuſſum, quod Deus prædefiniens actum malum, hoc decreto ſuo prius animam desereret ſenſu à te aſſerto, quàm ipſa Deum peccato ſuo: ſitque evidentiſſimum per hujuſmodi prędefinitionem actus mali, divinam voluntatem futuram humanâ priorem ad malum: nihilque aliud ex hoc Auguſtini loco eo prorsùs ſenſu intellecto, quem aſſeris verba omiſſa exigere, Annatus intendat, quàm Deum non poſſe prædefinire actum malum: proindéque cùm certò hunc actum pręſciat, manifeſtum eſſe non omnia, quæ pręſciuntur, prędefiniri: quo jure clamas Annatum prędicta verba dolosè truncaſſe? quis non videat falſiſſimam eſſe hanc tuam in eum calumniam?

306. Iniqua etiam eſt prędicto numero 239. tua de Annato expoſtulatio, quaſi Thomiſtis imponat, quod aſſerant Deum prędefinire actus malos. Satis ſciębat id eos non aſſerere; ideòque illud nuſquam dixit: noverat tamen ex eorum doctrina id ſequi; ideòque hanc ſequelam invictè probat cap. 5. §. 3. Sed longè diverſum eſt oſtendere illud ſequi ex his quæ docent, & affirmare illos id docere. Poſtremum falſum eſt & gravis calumnia; cùm hanc ſequelam conſtanter pernegent. Primum putamus verum, &

validiſſimis argumentis probamus non poſſe Deum prędeterminare ad materiale peccati iis circumſtantiis ponendum, quibus non poteſt non eſſe peccatum, niſi ad ipſum etiam peccatum prædeterminet. Sed de hac re inferius cap. 4. ubi ridiculam tuam explodam comparationem concurſus ſimultanei ad materiale peccati, cum pręvio prædeterminante. Nunc te ſimilium Auguſtini verborum (quæ Annatum mutilaſſe falsò aſſeris, ut jam oſtenſum eſt) perverſam omninò, & Tridentino repugnantem expoſitionem pudendo plagio ex Pſeudo-Auguſtino ad verbum deſcripſiſſe manifeſtum faciam.

§. IJ.

Locus Auguſtini à Tridentino allatus ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*, falsâ interpretatione ex Janſenio ad verbum deſcriptâ à Pſeudophilalethe corruptus.

307. INiquè Annatum à *Pſeudophilalethe* inſimulatum doloſæ mutilationis circa hunc Auguſtini

guſtini locum *non enim deſerta eſt ut deſereret*, puto ſufficienter demonſtratum. Nunc contendo, ſimilem alterum Auguſtini locum à Tridentino adductum Seſſ. 6. cap. 11. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*, contra mentem hujus Concilii, & ipſius Auguſtini perversè à *Pſeudophilalethe* expoſitum.

Locum hunc Auguſtini n.241. in hunc modum exponit cum Magiſtro ſuo Pſeudo-Auguſtino, cujus verba ex lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 19. in prædictum numerum 241. Opuſculi ſui tranſtulit.

308. Hæc ſunt utriuſque verba: „Quemadmodum autem perſpicuum eſt S. Auguſtinum modo quo diximus, prædicta verba intelligere; ita etiam clarum „eſt Concilium Tridentinum de deſertione per ablationem gratiæ ſanctificantis loqui in illis verbis „quæ profert ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*. Brevius ſic Ianſenius: *ſicut ergo perſpicuum eſt Auguſtinum ita ſuam ſententiam* (quâ dixit neminem à Deo deſeri niſi prius Deum deſeruerit) *intelligere: ita etiam Concilium Tridentinum*. Tum iiſdem verbis pergunt. „Agit enim (Ianſenius *agebat*) de juſtificatis, quos „tradit propterea non deſinere eſſe juſtos, quia „ſubindè venialiter peccant; ſed è contrario hoc ipſo „magis eſſe obligatos ad ambulandum in via juſti„tiæ, quo liberati à peccato ſobriè, juſtè, & piè „viventes proficere poſſint per Ieſum-Chriſtum, *per* „*quem acceſſum*, inquit, *habuerunt in gratiam iſtam*; „videlicet liberationis à peccato, & juſtificationis;

,, & ſtatim adjicit : *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtifi-*
,, *catos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Per hoc pro-
,, bans id quod præceſſerat, *eos propterea non deſinere*
,, *eſſe juſtos* quod quotidiè peccata committant venia-
,, lia, quia Deus non abſcedit ab anima per gratiam
,, ſuam juſtificatâ, niſi eum mortaliter peccando an-
,, te deſeruerit (Ianſenius poſt *niſi* repetit vocem *ani-*
,, *ma*) Hunc eſſe germanum Concilii ſenſum (Ianſe-
,, nius *hunc ergo verum ſenſum eſſe Concilii*) maximèque
,, S. Auguſtini , ex quo phraſis iſta , & verba deriva-
,, ta ſunt , facilè iudicabit quiſquis conſideraverit,
,, eum hoc loquendi modo ſignificare voluiſſe diffe-
,, rentiam, quæ eſt inter Deum ,bonum animæ no-
,, ſtræ, & inter alia bona creata , quæ ab hominibus
,, diligi ſolent. Nam iſta creata bona hujuſmodi
,, ſunt , ut quantumlibet ea vehementi amaveris vo-
,, luntate , & retinere volueris , invitiſſimos ſæpe de-
,, ſerant : Deus verò tale bonum eſt , ut invitum
,, nullo modo deſerturus ſit. Non enim deſerit ho-
,, minem , niſi ipſe ab homine prius propria volun-
,, tate deſeratur : *hoc eſt bonum* , inquit S. Auguſtinus
,, Serm. 12. de Verb. Dom. cap. 5. *Quod non potes*
,, *invitus amittere :potes enim aurum perdere , & nolens;*
,, *potes domum , potes honores , potes ipſam carnis ſalutem:*
,, *bonum verò quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec in-*
,, *vitus amittis.* Et in libro 4. Confeſſ. cap. 9. (Ian-
,, ſenius *in libris Confeſſionum ſuarum*) cùm latè deſ-
,, cripſiſſet dolorem ſuum quo cruciabatur , quando
,, morte amicum rapiente , ab eo deſertus fuerat,
,, Deum alloquens , *te* , inquit , *nemo amittit , niſi qui*

dimittis

„ *dimittit*: hoc eſt, tu non deſeris quemquam, niſi te
„ voluntate ſuâ deſeruerit. " Hactenus Ianſenius, & *Pſeudophilalethes* iiſdem prorsùs verbis, exceptis pauculis illis, quæ parentheſi incluſi.

309. Vtrumque autem contendo perversè explicaſſe Auguſtinum & Tridentinum, exponendo locum illum Auguſtini à Tridentino citatum de animæ deſertione per privationem gratiæ ſanctificantis; cùm accipiendus ſit de illius deſertione per denegationem auxilii ſufficientis ad implenda præcepta. Sed hujus auxilii purè ſufficientis, & culpâ noſtrâ effectu ſuo carentis oſor eſt Ianſenius, uti & *Pſeudophilalethes*, quemadmodum patebit ex dicendis infra c. 5. Sect. 3. §. 2.

310. Locus Auguſtini deſumptus eſt à Tridentino ex capite 26. libri de natura & gratia, ut liquet ex nota marginali hunc locum deſignante: non autem ex capite 15. libri 13. de Civit. Verùm *Pſeudophilalethes*, ut eſt calamo pręcipiti, ad notam illam non animadvertit; neque, ut reor, ad ſcopum Tridentini: namque ex illo ſat clarè vidiſſet ab eo aberrare explicationem ſuam. Sed imprudens exiſtimavit Tridentinum adduxiſſe prædictum locum de Civitate Dei, quem calumniatus eſt Annatum fraudulenter mutilaſſe; deceptus à Magiſtro ſuo Pſeudo-Auguſtino, cujus, ut vidimus, interpretationem ad verbum deſcripſit.

311. Vt clarè appareat mens Auguſtini, tantùm repræſentanda eſt integra ejus ſententia, & quid in Pelagio reprehenderet, declarandum.

Affirmabat Pelagius ut refert ibidem Auguſtinus, *non eſſe neceſſariam miſericordiam Dei, ut non peccemus; ſed quia peccavimus.* quod Auguſtinus ſic refellit: *ſicut ergo vulnere v.g. claudicans ideo curatur, ut ſanato malo præterito, futurus dirigatur ingreſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus medicus ſanat, ut illa jam non ſint; ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus; quod quidem etiam ſani non niſi illo adjuvante poterimus.*

312. Quamnam Dei miſericordiam negabat Pelagius neceſſariam ut non peccemus? nonne auxilium gratiæ actualis? id notius eſt & certius, quàm ut egeat probatione. Hoc igitur auxilium eſt, quod contra Pelagium aſſerit hic Auguſtinus neceſſarium *ut rectè ambulare poſſimus.* De hoc auxilio accipienda hæc verba. *quod quidem etiam ſani non niſi illo adjuvante poterimus.* De eodem quoque intelligendum quod ſequitur: *Et cùm ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur.*

313. Pondera verba illa *ut piè ſemper juſtèque vivatur.* Quænam gratia eſt ad id neceſſaria? nonne actualis præveniens & adjuvans? cùm ergo Auguſtinus illud pronuntiat: *non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vivatur;* intelligendus eſt de illa deſertione, quæ fit per ſubductionem gratiarum actualium; illæ enim ſunt, quibus homo indiget, ut piè ſemper & juſtè vivat.

314. Sic eſſe intelligendum Auguſtinum evincunt etiam verba hæc immediatè ſequentia: *ſicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis ad-*

jutus

jutus, non poteſt cernere : ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Ecquod enim illud adjutorium lucis juſtitiæ, niſi gratia actualis illuſtrans intellectum, & oſtendens juſtitiæ viam, hominémque adjuvans, ut per eam incedat? Apertiſſimum igitur eſt præfatum Auguſtini locum: Deus *non deſerit ſi non deſeratur*, accipiendum eſſe non de illa deſertione, quâ habitualis gratia; ſed de altera, quâ actualis ſubtrahitur.

315. Eodem ſenſu exponenda eſſe hæc Tridentini verba: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*; proindeque *Pſeudophilalethem* iiſdem Magiſtri ſui Janſenii verbis malè illa reſtrinxiſſe ad animæ deſertionem à Deo per ablationem gratiæ juſtificantis, demonſtratur 1° ex eo quod Tridentinum prædicta verba ſumpſerit ex ſupra memorato Auguſtini libro de natura & gratia cap. 26. cùm ergo jam dilucidè oſtenſum ſit Auguſtinum non illic agere de iſta deſertione, ſequitur nec de illa Tridentinum ſermonem habere; quia nullo modo veriſimile eſt ab Auguſtini ſenſu receſſiſſe illo ipſo loco quem ex eo adducit.

316. Idem evincitur ex ſcopo Tridentini: illic enim probat juſtis poſſibilem eſſe obſervationem mandatorum Dei, eo quod illis non deſit divinum auxilium, cujus beneficio illa impleant. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed juvando monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat ut poſſis.* Et infra; *qui autem diligunt eum, ut ipſemet*

teſtatur

teſtatur, ſervant ſermones ejus; quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.

317. Tum tacitam quamdam objectionem diluit petitam ex lapſu quotidiano juſtorum; ex quo videri poſſit non eſſe poſſibilem præceptorum obſervationem. Ait enim levia tantum eſſe & venialia hæc quotidiana juſtorum peccata; nec propterea illos deſinere eſſe juſtos: *licet enim*, ait, *in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti.* Quibus verbis hæc tacita probatio continetur: cùm Deus juſtos non deſtituat auxilio neceſſario ad præcepta implenda: leviter autem quotidiè peccantes non deſinant eſſe juſti: conſequens eſt vt beneficio auxilii divini poſſint ſemper præcepta obſervare.

318. Deinde ex eo quod juſtificati ſint, declarat illos arctiùs adſtringi ad ſervanda Dei mandata: *quo fit*, inquit, *vt juſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quo liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè & piè viventes proficere poſſint per Ieſum Chriſtum: per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit,* (ſubtrahendo ſcilicet auxilium ſuum, quo poſſint ambulare in via juſtitiæ, quo ſobriè, juſtè & piè valeant vivere: id enim antea dixerat & ſcopus eſt Concilii) *niſi ab eis prius deſeratur.* Auxilium autem illud non eſt gratia habitualis, ſed actualis, vt certum eſt: manet ergo Tridentinum de hac, non de illa eſſe intelli-

gendum

gendum; adeòque *Pſeudophilalethem* cum Ianſenio malè prædictum locum expoſuiſſe.

SECTIO VIII.

De Antitheſi Auguſtini & Moliniſtarum à Pſeudophilalethe confictâ.

319. HAnc Antitheſim concinnavit *Pſeudophilalethes* cap. 1. art. 2. §. 3. ex meris impoſturis. Videtur hic ingenium ſuum impoſturarum valdè fœcundum ingenti aliquo conatu exhauſiſſe, vt daret velut ſub vnum aſpectum, quid poſſet in hac arte præclarâ.

Hæc eſt Antitheſis ab eo conficta.

S. Auguſtinus docet.	Moliniſtæ docent.
1ª. *Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntates hominum.*	*Deum ſub conditione convertere voluntates hominum, ſi ſcilicet ipſi voluerint.*
2a. *Deum volentes ex nolentibus efficere.*	*Deum volentes ex praviſis volituris efficere.*
3ª. *Motionem divinam*	*Motionem divinam ſuppo-*

auferre duritiem cordis.	*nere mollitiem cordis.*
4ª. *Deum inclinare corda hominum quò & quando voluerit.*	*Deum inclinare corda hominum quò, & quando ipſis placiturum viderit.*
5ª. *Deum non prærequirere certas temporis occaſiones, nec expectare conſenſum voluntatis.*	*Deum alligari certis circumſtantiis & morum diſpoſitionibus, necnon expectare conſenſum voluntatis.*
6. *Deum movere voluntatem faciendo vt velit.*	*Deum movere voluntatem prævidendo ſi velit.*

Propoſitiones illæ, quas in hac commentitia antitheſi tribuit ſcientiæ mediæ defenſoribus vt ſententiis Auguſtini oppoſitas, adeo ſunt abſurdæ, aut falſæ, aut ſubdolæ; vt difficile mihi ſit ſtatuere, vincatne abſurditatem falſitas? an dolus, vtrumque? hæc inter ſe pro palma certare patebit ex dicendis.

§. I.

Refutatur prima Antitheſis.

320. HÆc prima eſt antitheſis à *Pſeudophilalethe* ſubdolè conficta: videlicet juxta Auguſtinum, Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntatem hominum: juxta Moliniſtas ſub conditione, ſi ſcilicet ipſi voluerint.

quæro

Quæro ex te, *Pſeudophilalethes*, apud quem è defenſoribus ſcientiæ mediæ, & quo loco legeris illam, quam Auguſtino tribuis propoſitionem ab ipſis negatam? illam, quam Moliniſtis adſcribis, prout jacet in conficta antitheſi tuâ, ab ipſis traditam? vel igitur oſtende ex quo acceperis; vbi legeris: vel imposturam tuam agnoſce.

321. Subdola eſt hęc propoſitio tua, quam Moliniſtis imponis; pluréſque ſenſus ambiguos involvit. Si per eam nihil aliud velis, quàm Deum, juxta illos, non convertere voluntatem impii independenter à libero ejus conſenſu; ſed hanc conditionem, ſi voluerit, ſeu conſenſerit, hoc eſt, conſenſum ipſius involui in actuali ejus ad Deum converſione, propoſitio omnino vera eſt & Catholica ab ipſo Concilio Tridentino tradita ſeſſ. 6. cap. 5. & hoc ſenſu explicata minimè alteri, quam tribuis Auguſtino contradicit.

322. Quod ſi eam ſic explices vt velis aſſertores ſcientiæ mediæ docere, Deum convertere voluntates hominum dependenter ab illorum conſenſu ſub conditione præviſo; ita vt iſta conditio ſit vel cauſa, vel ratio, vel motivum, propter quod Deus velit illos convertere, & gratias tales congruas in eum finem concedere, omnino falſa eſt, & ab eorum doctrinâ alieniſſima vt demonſtratum eſt num. 242. & ſequentibus

323. Vnum addo ex opuſculis Suaris diſp. 1. de libertate voluntatis divinę ſect. 2ª. vbi expendens illud Apoſtoli: *qui operatur omnia ſecundùm conſilium*

ſilium voluntatis ſuæ , dicit, *Deum omnia quæ ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ ſtatuit ac decernit, efficaciter, ac potenter operari. Et ſine dubio hic eſt ſenſus Pauli tum propter rationem inſinuatam .... tum etiam quia contextus, & intentio Pauli hoc requirit: cum illa verba interponat ad reddendam rationem, ob quam Deus pro ſua voluntate prædeſtinat quem vult, & pro ſua poteſtate efficaciter vocat, & auxiliatur in laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ.*

324. Quam vides hic conditionem appoſitam in decretis Dei, & eorum executione quoad omnia, adeòque & quoad impii converſionem? quam conditionem, vt vocet efficaciter? cum ergo per vocationem congruam, ſeu efficacem operetur voluntatis converſionem, & quemcumque vult pro ſua poteſtate ac voluntate non ſub conditione, ſed abſolutè vocet efficaciter; profectò manet indubitatum juxta Suarem, Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntates hominum; quod cum & cæteri è noſtris aſſerant, liquet te hanc propoſitionem *Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntates hominum* per calumniam doctrinæ noſtræ opponere.

§. II.

Digitized by Google

§. 2.

Refellitur ſecunda Antitheſis.

325. ANtitheſis ſecunda tantum habet inanitatis & falſitatis,vt illam expoſuiſſe ſit abundè eandem refutaſſe. Hęc eſt Auguſtini propoſitio, quam falſiſſimè ſupponis à noſtris non admitti videlicet *Deum volentes ex nolentibus efficere*. Hęc eſt autem altera, quam ridiculè priori opponis, cum nullam habeat oppoſitionis ſpeciem; quam pariter falſiſſimè Moliniſtis adſcribis, cum nullibi eam tradant, videlicet *Deum volentes ex prævıſis voliturıs efficere*.

326. Vtramque propoſitionem tantiſper diſcutiamus, vt hujus Antitheſis tuæ inanitas, falſitas, & abſurditas appareat. atque vt à primo exordiar: aisne *Pſeudophilalethes* hanc propoſitionem à noſtris negari, *Deus ex nolentibus volentes efficit.*? dic igitur quis noſtrorum id neget: authoris nomen appella, & locum; volve, & revolve eorum lucubrationes: Fortè aliquid reperies quod impoſturæ tuæ faveat: ſed ſuadeo vt labori parcas: adeò enim abſurdum eſſet, & falſum id negare; vt deſperem te aliquid reperturum, quod impoſturam tuam ſtabilire poſſit.

327. Dic quęſo: Numquid vnanimes docent in-

N fidelis,

fidelis, aut peccatoris converſionem eſſe à Deo? nonne infidelis in converſione ſua ex non volente fidem, fit illam volens? nonne pariter peccator ex non volente reſipiſcere fit volens reſipiſcentiam? quomodo ergo poſſunt aſſerere Deum eſſe vtriuſque converſionis auctorem, niſi pariter aſſerant vtrumque à Deo ex non volente fieri volentem?

328. Age porro quando Deus illuſtrationibus ſuis, atque inſpirationibus infidelem ad Chriſti fidem, peccatorem ad pœnitentiam excitat, movet, & allicit, numquid infidelis erat non credens? peccator non pœnitens? cum ergo hic ad pœnitentiam, ille ad fidem congruâ excitatione pertrahitur, fitque hic pœnitens, ille credens; numquid hic divinâ gratiâ ex non pœnitente pœnitens, ille ex non credente credens juxta nos efficitur? quid ergo doctrinæ noſtræ hoc Auguſtini dogma opponis, *Deum volentes ex nolentibus efficere*, ſive ex non credentibus credentes, pœnitentes ex non pœnitentibus; cum & illud ipſum doceamus, repugnétque in converſione infidelis & peccatoris id non fieri. Quam igitur inverecundè imponis nobis, id nos non admittere fieri, quod apertè repugnat non fieri.

329. Alteram, nunc propoſitionem quam priori opponis, ac noſtris tribuis, expendamus. Docent, ais, *Deum volentes ex prævisis volituris efficere.* Tum ridiculè interrogas. *Quo ſenſu poteſt dici nolens, qui prævisus eſt velle*? interrogo ego te, quomodo poteſt non dici nolens, qui prævisus eſt nolle priuſquam vellet. Sicut enim infidelis prius eſt nolens aut

aut ſaltem non volens fidem, quàm illam volens, prius non credens, quàm fidelis; ita profectò neceſſe eſt, niſi Deum aliquid lateat, vt prævideat infidelem prius nolentem, quàm volentem, prius non credentem, quàm fidelem. Quàm igitur ridicula, & vana eſt hæc interrogatio tua, *quo ſenſu dici poteſt nolens, qui prævisus eſt velle*? hocvtique ſenſu obvio, quod prius nolit quàm velit.

330. Iterum interrogo te, an in ſententia tua Deus non prævideat ab æterno Petrum vi gratiæ voliturum, quod vi ejus reipſa vult in tempore? id equidem negare non potes niſi facias Deum ab æterno inſcium: ergo & juxta te Deus volentes ex prævifis volituris efficit.

331. Quamquam autem in omnium ſententia tam verum ſit Deum volentes efficere ex prævifis volituris, quàm verum eſt Deum ab æterno prævidiſſe id nos ex ejus gratia volituros, quod reipsà in tempore ex ea volumus: nihilominus à nemine prædicta propoſitio uſurpatur, quod in mutatione non attendatur tranſitus ille à ſtatu conditionato ad ſtatum abſolutum; ſed progreſſus à terminis oppoſitis; ideòque omnium eſt una vox in converſione infidelis, aut peccatoris, Deum ex infideli fidelem, aut ex injuſto juſtum, aut ex non pœnitente pœnitentem, aut ex nolente implere præcepta, id volentem gratiâ ſuâ efficere.

332. Ex his omnibus liquet hanc 2^{am} tuam antitheſim, & impoſturam continere apertiſſimam, & abſurditatem manifeſtam, & interrogationem ridicu-

 lam;

lam; impoſturam quidem, quia doctrinæ noſtræ opponis propoſitionem, quam omnes admittimus, & aliam adſcribis, quam nullus uſurpat, non tam, ut dixi, ob falſitatem, quàm quia inanis eſt, & à ſignificatione converſionis aliena. Abſurditatem verò, cùm inter utramque propoſitionem nulla ſit oppoſitio, & in omnium ſententia utraque ſit vera. Ac denique interrogationem ridiculam, nempe *quo ſenſu dici poteſt nolens, qui prævisus eſt velle* ? cùm prius prævideatur nolle quàm velle, ſicut reipsà præcedit nolitio volitionem.

§. III.

Impugnatur tertia Antitheſis.

333. TErtia Antitheſis tam longè diſtat à veritate, ut profectò neceſſe fuerit *Pſeudophilalethem* omnem verecundiam exuiſſe ad illam confingendam. Dogma Auguſtini, & catholicum quod proponit velut à noſtris repudiatum hujuſmodi eſt, *motionem divinam auferre duritiem cordis.* Inauditum autem & falſiſſimum, atque abſurdiſſimum doctrinæ pronuntiatum, quod nobis adſcribit, tale eſt: *Motionem divinam ſupponere mollitiem cordis.*

334. Nonne frons tua erubuit *Pſeudophilalethes*, cùm rem adeò falſam ſcribebas? ergone inficiamur motio-

motionem divinam auferre duritiem cordis? ergone eò dementiæ, & erroris devenimus, ut affirmemus motionem divinam ſupponere mollitiem cordis? abſit ut tantam injuriam inferamus divinæ gratiæ. Enimverò cor durum ex ſententia noſtra emollit divina gratia, dum cœleſti aliquâ intellectus illuſtratione illud excitat: dum ſuavi quadã voluntatis delectatione, bonique complacentiâ, quam vulgato nomine inſpirationem nominamus, illud ad bonum allicit, à quo inveteratis in malum affectibus magnoperè averſum erat. Illius autem duritiem aufert penitùs, dum ſic congruè movet, ut permoveat: tam aptè ſuadet, ut perſuadeat: tam ſuaviter allicit, ut pelliciat: vel ut phraſi utar Auguſtinianâ lib. 1. quæſt. 2. ad Simpl. Deus aufert cordis duritiem, quando ſic vocat, quomodo illis aptum eſt ut moveantur, & intelligant, & ſequantur: quando ſic vocat quomodo ſcit eis congruere, ut vocantem non reſpuant. Hæc ſunt quæ leges de gratiæ efficacia ad tollendam duritiem cordis in omnium libris qui ſcientiam mediam propugnant. Vnde vel ſupina eſt ignorantia tua, ſi id te latuit: vel certè impudens impoſtura, ſi rem adeò falſam ſcienter illis affinxiſti.

335. Equidem non eſt eadem in omnibus impiis cordis durities; diverſa eſt in diverſis illius intenſio, eâ ratione aut major, aut minor, quò magis aut minùs præceps eſt in malum proclivitas, quove vitium perverſâ conſuetudine peccandi firmiores, aut minus firmas egit radices. Sed nulla eſt tam lapidea cordis durities, quàm emollire, quàm vincere non poſſit divinæ gratiæ efficacia.

Digitized by Google

336. Non igitur cordis mollitiem ſupponit divina motio, ſed illam inducit juxta illud Ezechielis: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Sed vereor ne ſub nomine mollitiei lateat dolus aliquis *Pſeudophilalethis*, errorque deliteſcat. Tantiſper igitur illum interrogemus, & quid de illa ſentiat exploremus.

337. Quid intelligis *Pſeudophilalethes* per mollitiem cordis, quam als à motione divina ſupponi juxta Molinæ diſcipulos? liberamne poteſtatem bonum inchoandi abſque prævia excitatione gratiæ prævenientis, & ſimultaneo adjuvantis concurſu? hanc cordis mollitiem execramur, nec niſi pec ſummam calumniam ſcribes hanc eſſe doctrinam noſtram. Humanine arbitrii libertatem, atque in utramque partem voluntatis flexibilitatem, quâ poſſit divinæ motioni conſenſum dare aut diſſenſum? hanc cordis mollitiem cum Patribus, cum Tridentino, cum univerſa Eccleſia Catholica amplectimur, probamus, defendimus.

238. Hanc te intelligere, adeòque nec rectè ſentire de voluntatis libertate ſatis innuit interrogatio, quam ſubjicis prædictæ propoſitioni, nempe juxta nos *motionem divinam ſupponere mollitiem cordis.* Mox enim ſubjungis interrogando, *Quæ major mollities cordis, quàm ipſa liberi arbitrii determinatio?* negasne in peccatoris reſipiſcentia intervenire liberi arbitrii determinationem? utique hæc interrogatio negantis eſt, quia id interrogas, hanc determinationis mollitiem adverſariis tuis exprobrando. Id tamen negare

non

non potes; niſi erroneè: nullum enim eſt exercitium libertatis ſine determinatione. Nullum ergò in converſione impii intervenit libertatis exercitium, ſi nulla adſit voluntatis determinatio.

339. Præterea liber conſenſus voluntatis determinatio illius eſt. Determinat enim ſe voluntas conſentiendo. Priuſquam divinæ motioni conſenſum præberet, adhuc perſtabat indeterminata, poteratque diſſentiendo in alteram partem declinare: per conſenſum tollitur iſta indeterminatio: determinat igitur ſe liberè conſentiendo. Si igitur nulla habetur in juſtificatione adulti voluntatis determinatio, nec habetur liber conſenſus: proindéque Tridentino contradicis Seſſ. 6. cap. 5. definienti, adultum ad ſuam ſe juſtificationem diſponere gratiæ vocanti liberè aſſentiendo. Vide quo te adducit interrogatio tua?

§. IV.

Aperitur falſitas & ſenſus dubius quartæ Antitheſis.

340. Antitheſis quarta præter manifeſtam impoſturam continet etiam doloſam ſenſus ambiguitatem. Auguſtini propoſitio quam doctrinæ noſtræ opponis hæc eſt: *Deum inclinare corda homi-*

num, quò & quando voluerit. Id noſtros negare mera impoſtura eſt. Altera quam noſtris tribuis, ut priori oppoſitam, hujusmodi eſt; *Deum inclinare corda hominum quò & quando ipſis placiturum viderit.* Hæc impoſturã continet & dolum. Utrumque demonſtro.

341. Legiſtinè aliquando Interpretes noſtros in Proverbia exponentes illud cap. 21: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*? eſtne unus qui hanc in Deo poteſtatem non agnoſcat? perlege quæ illic habent, & impoſturam agnoſces. Sed quid remitto te ad Interpretes noſtros. Poteſtne fieri ut Deus vocet aliquem, quomodo ſcit congruere, ut vocationem non reſpuat, & is vocationi non conſentiat? numquid Deus juxta doctrinam ſcientiæ mediæ ſic poteſt unumquemque vocare, quandocumque ipſi libuerit? quomodo ergo falſiſſimum non eſt non poſſe Deum juxta ſcientiæ mediæ defenſores inclinare corda hominum quò & quando voluerit? apertam igitur calumniam continet hęc prima pars antitheſis tuæ.

342. Alteram nunc partem ponderemus, & dubium illius ſenſum evolvamus. Quid per hoc intelligis *Pſeudophilalethes*, dum dicis juxta Molinæ diſcipulos Deum inclinare corda hominum quò & quando ipſis placitum viderit? ſignificasne juxta illos Deum in gratiatum ſuarum diſtributione, quibus corda hominum inclinat, moveri à præviſo liberi arbitrii conſenſu, ut det gratiam, potius quàm illam deneget: ut huic congruam largiatur potius quàm alteri. At hæc calumnia abundè refutata eſt ſect. 5. §. 1.

Viſne

Viſne tantummodò Deum non inclinare corda hominum per gratias excitantes niſi prǫviderit ipſorum complacentiam, ſeu conſenſum in illud, ad quod ipſos inclinare decreverit, eo tempore futurum, quo ſtatuerit? at id in omnium ſententia veriſſimum eſt; cùm una ſit omnium doctrina Deum ab æterno omnia prævidere, quæ in tempore geruntur, & eo planè modo, iisque temporis, & loci circumſtantiis, quibus geruntur, in quocumque demum hæc præſcientia actuum liberorum fundetur. Non eſt igitur quod in eo ſenſu nobis objicias Deum ex doctrina noſtra inclinare corda hominum quò & quando ipſos volituros præviderit.

343. Sed captioſa eſt hæc propoſitio, & malè audiens: innuit enim inclinanda corda hominum non tam quò, & quando Deo placuerit, quàm quò, & quando id hominibus placitum fuerit, quod abſurdum, quod falſum, quod Deo injurioſum eſt; ideóque nuſquam apud noſtros hanc propoſitionem reperies.

§. V.

Exponitur prima pars quintæ Antitheſis, & confutatur.

344. GEminam oppoſitionem continet antitheſis 5ª. Prima illius pars eſt, juxta Auguſtinum

guſtinum *Deum non prærequirere certas temporis occaſiones, & morum diſpoſitiones*, quibus ſcilicet voluntatem ad conſenſum moveat. Secundùm autem ſcientiæ mediæ defenſores. *Deum alligari certis circumſtantiis, & morum diſpoſitionibus ad id perficiendum.* Altera pars oppoſitionis eſt juxta Auguſtinum Deum non expectare conſenſum voluntatis; quem juxta illos expectat. Vtramque partem evolvamus, ut utriuſque falſitas & dolus appareat.

345. Certas vocationes, ſeu gratias excitantes alligari certis circumſtantiis, certiſque & morum, & nativæ indolis diſpoſitionibus certiſſima eſt Auguſtini doctrina lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. his verbis: *Quamvis multi uno modo vocati ſunt: tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et infra. *Verum eſt ergo multi vocati, pauci electi; illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati.* Videſne vocationis congruentiam, & aptitudinem, ut efficaciter moveat reſpectivam eſſe ad temperamentum, & affectiones eorum qui vocantur? cur enim è multis eodem modo vocatis alii vocationem reſpuant, alii ſequantur, hanc reddit rationem: *quia non omnes uno modo affecti ſunt*, ſive quia non omnes *congruebant, & contemperabantur vocationi.*

346. Cùm igitur diverſis circumſtantiis temporum, locorum, & occaſionum, diverſæ ſint hominum affectiones, diverſa temperamenta, lubentes, volentéſque cum Auguſtino admittimus certas vocationes.

cationes, certis circumſtantiis, quibus diverſa eſt tum animi, tum corporis diſpoſitio, ut ſint efficaces, alligari.

347. Sed inde non niſi ineptè, & falſiſſimè inferes Deum iiſdem circumſtantiis adſtringi, ut voluntates hominum in melius immutet, nec poſſe illas quâlibet circumſtantiâ quocumque velit transferre. Enimverò cùm perfectiſſimè noverit quâ vocatione cujuſque voluntas, quâcumque circumſtantiâ poſſibili ſit permovenda, habeatque pleniſſimam poteſtatem ex ſolo beneplacito ſuo ſic unumquemque vocandi, ut novit permovendum, manifeſtum eſt nulli Deum circumſtantiæ in eum finem alligari.

348. Quamquam enim rationem habeat circumſtantiarum in gratiarum congruarum delectu, atque ut cum Auguſtino loquar: *cujus miſeretur, ſic eum vocat,* quomodo (in iſtis circumſtantiis) *ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Quia tamen nulla eſt circumſtantia poſſibilis, in qua non habeat in theſauris gratiarum ſuarum plurimas vocationes congruas, quibus voluntates humanas ad ſe pertrahat; & ex ſola ejus voluntate pendeat, ut det gratias illas, quas in iſtis circumſtantiis novit congruas, aut illas deneget, idque doceant ſcientiæ mediæ Sectatores, ut dictum eſt num. 247. & ſeq. mera calumnia eſt Deum ex eorum doctrina certis circumſtantiis, & morum diſpoſitionibus ad voluntatem permovendam aſtringi; quaſi ſcilicet his tantùm circumſtantiis, id poſſet, & non aliis.

§. VI.

Explicatur quo ſenſu ſecunda pars Antitheſis calumniam contineat.

349. ALtera pars Antitheſis calumniam continet ſępius ab adverſariis decantatam, ſæpius à noſtris refutatam, nimirum Deum ex ſcientiæ mediæ placitis conſenſum voluntatis expectare. Quia verò hæc propoſitio & bonum ſenſum, & malum patitur, quo ſenſu ab Auguſtino, & Concilio Arauſicano reprobetur, quo ſenſu admitti debeat paucis explicabo.

350. Aſſerebant Semipelagiani voluntatem humanam prævenire Dei vocationem, ſempérque illi præire pium aliquem liberi arbitrii conatum per modum diſpoſitionis, aut meriti, quem Deus ante vocationem expectaret, atque ita per ſummam gratiæ injuriam primas partes tribuebant libero arbitrio, poſteriores gratiæ.

351. Contra hunc errorem inſurrexit Auguſtinus, & locis plurimis docuit Deum non expectare voluntatem noſtram, ſed prævenire; nullum naturalem voluntatis conatum, nullum opus bonum ſolis naturæ viribus factum præcedere Dei vocationem per modum meriti, aut diſpoſitionis; ſed il-

lam ex liberalitate omnino gratuitâ, & ex ſola Dei miſericordia profluere.

352. Idem fidei dogma ſtabilivit Arauſicanum can. 4. his verbis *ſi quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, præparatur voluntas à Domino &c.* Et Trid. Seſſ. 5. c. 5. *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.*

353. De fide igitur eſt Deum quoad gratiam vocationis non expectare voluntatem noſtram pio aliquo naturali conatu ad hanc gratiam ſeſe præparantem, nulláque ratione exordium fidei aut juſtificationis in priorem aliquam voluntatis diſpoſitionem refundendum. Hanc eſſe doctrinam aſſertorum ſcientiæ mediæ liquet clariſſimè ex dictis Sect. 3. §. 1. vnde actum agerem, ſi id modo oſtenderem. Si igitur *Pſeudophilalethes* hoc ſenſu intelligat juxta nos Deum expectare voluntatem noſtram, certiſſimam nobis inurit calumniam.

354. Si verò hæc voluntatis expectatio referatur ad gratiam dumtaxat adjuvantem hoc ſenſu, quod poſtquam præivit divina vocatio omnino gratuita, adeſtque auxilium adjuvans pariter gratuitum expectet Deus vt voluntas jam vocata & præmota præbeat divinæ vocationi conſenſum non ſe ſolâ, ſed gratiâ auxiliatrice ſimul concurrente, omnino

admittimus

admittimus hujuſmodi expectationem voluntatis, & id tam eſſe de fide exiſtimamus, quam liberum eſſe vocationi conſenſum.

355. Hanc voluntatis expectationem plurima probant Scripturæ loca, è quibus duo dumtaxat, ſed clariſſima proferam. Quid aliud ſignificant hæc verba: *ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit, intrabo* Apoc. 3. pulſat Deus ad oſtium cordis, dum vocat: nos ingreſſum aperimus conſentiendo. Expectat igitur conſenſum noſtrum vt intret: niſi enim aperiamus, non intrabit; cum dicat, ſi quis apperuerit, intrabo.

356. Fruſtratum ſe expectatione ſuâ conqueritur apud Iſaiam cap. 5. *quid eſt*, inquit, *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* & infra. *Expectaui ut faceret judicium, & ecce iniquitas.* Juſtiſſima eſt hæc Dei de impiis expoſtulatio, quod cum ipſe ex parte ſuâ nihil omiſerit, illos vocaverit, illos gratiis inſtruxerit, vt fructum bonum proferrent; ſuâ tamen expectatione fruſtratus nihil ex illis collegerit præter labruscas iniquitatum. Profectò niſi voluntatis vocatæ ac præmotæ conſenſum expectaret, forétque in poteſtate liberi arbitrii conſenſum denegare, non eſſet locus huic expoſtulationi.

357. D. Ambroſius ſerm. 19. in pſal. 118. explicans illa verba: *prævenerunt oculi mei ad te diluculo*, Sic ſcribit: *audi quemadmodum expectet, & cupiat præveniri. Dicit Angelo Pergam. Eccleſiæ: ſcribe, pœnitentiam age &c. Et Angelo Laodiceæ: pœnitentiam age, ecce*

Digitized by Google

ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Ecce ex iiſdem Apocalypſis verbis, quæ paulò ante retuli, probat & ipſe Deum ſtantem, & pulſantem ad oſtium cordis, gratiis ſcilicet prævenientibus, expectare, vt peccatores pœnitentiam agant.

358. Hieronymus ſcribens in illud capitis 30. Iſaiæ: *propterea expectat Dominus, ut miſereatur noſtri,* admiratus Dei bonitatem exclamat: *grandis Clementia Dei, ut expectet noſtram pœnitentiam.* Et infra: *beati ſunt omnes qui expectant Dominum expectantem converſionem ſuam?* converſio noſtra non fit ſine conſenſu voluntatis; ſi ergo expectat converſionem noſtram, expectat & conſenſum voluntatis noſtræ.

Idem diſertè aſſerit Baſilius lib. de Spir. S. c. 16. *Nunc Spiritus S. videtur adeſſe ſemel conſignatis, expectans ut ad ſalutem convertantur.* Idem Cyrillus in Præfat. Catech. *liberalis namque Deus &c.: expectat tamen cujuſlibet propriam voluntatem.*

359. Hanc etiam Dei expectationem evincit libertas conſenſus noſtri: ſi enim liber eſt, pendet à voluntate: id autem quod ab altero dependet, ab altero expectandum eſt. Quamvis ergo Deus præveniat voluntatem, illamque ad conſenſum excitet, vireſque auxiliatrices ad conſentiendum præbeat liberalitate prorſus gratuitâ; quia tamen ipſum conſenſum relinquit in poteſtate voluntatis, optimo ſenſu dicitur ab ea conſenſum illum expectare.

Non eſt igitur quod hoc ſenſu hanc Dei expectationem carpat *Pſeudophilalethes*; niſi Scripturæ, niſi Patribus, niſi rationi velit contradicere.

360.

360. Fatemur equidem nihil Deum à noſtra voluntate expectare quod det initium aliquod vel fidei, vel juſtificationi, vel ſaluti, vt volebant Semipelagiani; ſed exordium illud eſſe à Dei vocatione merè gratuitâ: verum hoc non excludit quin poſt vocationem conſenſum expectet; non tamen hoc modo, quaſi voluntas conſenſum prius inchoet quam gratia; ſed ſic vt indiviſim ab vtroque profluat, ac principali quidem influxu à gratia.

Neque hanc voluntatis noſtræ expectationem excludit Arauſicanum ſupra citatum; ſed alteram tantum contra Semipelagianos reſpectu gratiæ prævenientis, divinęque vocationis. Si mihi hac in re nolit credere, credat Vegæ, credat Medinæ, credat Dominico Soto, è quibus duo poſtremi non ignobiles ſunt Thomiſtæ.

361. Vegam igitur audiamus interpretantem præfatum canonem Auraſicani Concilii lib. 6. in Trident. cap. 5. inter varias objectiones, quas adducit adverſus liberam cooperationem noſtram, adfert etiam hunc canonem quartum prædicti Concilii. Deus, *ut à peccato purgemur voluntatem noſtram non expectat*. Sic autem reſpondet *verùm hoc ad gratiam prævenientem referendum eſt* non ad juſtificantem; ideò enim dictum eſt Deum voluntatem noſtram non expectare; quia vt juſtificemur ipſe nos prævenit, vt velimus, & aſſentiamus, & cooperemur ſuæ vocationi.

362. Audiamus & Medinam lib. 2. quęſt. 109. dub. 2. declarantem quo ſenſu Deus expectet conſenſum

ſenſum noſtrum, quovè illum non expectet. *Deus*, inquit, *expectat noſtrum conſenſum (nam ut ait Auguſtinus) qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te; verum non expectat noſtram voluntatem, quaſi ipſa præveniat, & inde ſit initium boni; ſed ut ſequatur, & obediat divinæ motioni.*

363. Audiamus denique & Dominici Soto expoſitionem noſtræ perſimilem poſteris traditam lib. 2. de gratia cap. 1. poſt medium his verbis. *Illud Concilii Arauſicani can.* 4. *quod Deus, ut à peccato purgemur voluntatem noſtram non expectat, non ita audiendum eſt, quaſi non opperiatur aſſenſum noſtrum: ſed quod non ipſum nos, ſed ipſe nos prævenit.* & lib. 1. cap. 15. *niſi*, inquit, *aſſenſum, cooperationemque liberi arbitrii opperiretur Deus, quid ad oſtium cordis noſtri, ut in Apocalypſi eſt, pulſare perſeverat.*

364. Videsne, *Pſeudophilalethes*, expoſitum quo ſenſu Deus expectet voluntatem noſtram; quo ſenſu illam præveniat? nihil ab ea expectat, vt illam vocet, atque excitet; ſed expectat, vt vocata, atque excitata divinæ motioni conſentiat.

365. Dic ergo, quo ſenſu defenſoribus ſcientiæ mediæ hanc propoſitionem attribuis: *Deus expectat conſenſum noſtrum*? viſne ſentire nos Deum aliquid à voluntate noſtrâ expectare; quod divinæ vocationi præeat per modum alicujus meriti, aut diſpoſitionis præviæ, aut conditionis ſine quâ non? imponis manifeſtè, ſi hoc ſenſu hanc illis propoſitionem adſcribis. Quod ſi altero; ineptè illam opponis doctrinæ Auguſtini; cum illam priore dum-

taxat ſenſu repudiaverit, vt error Semipelagianorum exigebat.

§. 7.

Demonſtratur inanitas ſextæ Antitheſis.

366. Ridicula eſt, & abſurda poſtrema Antitheſis tua; cum propoſitiones contineat minimè oppoſitas. Hanc tribuis Auguſtino: *Deum movere voluntatem faciendo ut velit.* Iſtam Doctoribus Scientiæ mediæ: *Deum movere voluntatem prævidendo ſi velit.* Quaſi verò non poſſit Deus prævidere conditionatum illius velle, & ſic aptè, & congruè illam movere, vt faciat eam velle. Vtrumque facit ex doctrina noſtrâ: & prævidet per ſcientiam mediam conſenſuram voluntatem, non ſuis viribus, ſed auxilio gratiæ, ſi in his circumſtantiis vocatione congruâ illam ad conſenſum excitet; & pro beneplacito ſuo talem gratiam decernendo, largiendoque efficit, vt reipſa præſtet conſenſum eventu prorſus infallibili. Quomodo ergo hanc Auguſtini propoſitionem: *Deus movet voluntatem faciendo vt velit*, Opponis doctrinæ noſtræ; cum nemo vnus ſit è nobis, qui illam prout jacet, vltro non admittat? Quomodo eandem huic opponis: *Deus movet*

vet voluntatem prævidendo ſi velit ; cum minimè ſit oppoſita ? Dic enim in qua ſpecie oppoſitarum contineatur.

SECTIO IX.

Declarantur aliquot fraudulentæ mutilationes & corruptiones Auctorum noſtrorum in morali doctrina.

367. Quemadmodum *Pſeudophilalethes* in examine ſuo ſcientiæ mediæ, Theologorum noſtrorum placita de auxiliis gratiæ, multis imposturis deformavit, ut hactenus demonſtratum eſt : ita in tractatu ſuo de probabilitate, calumniandæ Societatis Ethicæ magna ex parte elaborato, inſigniorum quorundam è Societate noſtra Moralis doctrinæ Magiſtrorum ſententias fraudulentis mutilationibus & quorundam verborum mutationibus inſigniter corrupit. Ad priores fraudes manuductorem habuit Pſeudo-Auguſtinum ; ut luculenter oſtenſum eſt : ad poſteriores Anonymum illum Doctorem Sorbonicum, auctorem operis ad flammas damnati; ut patebit ex dicendis.

Digitized by Google

§. I.

Leſſius à Pſeudophilalethe corruptus.

368. SIc Leſſium refert *Pſeudophilalethes* num. 151. tractatus de probabilitate: *Fas etiam eſt viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem vel alapam conatur impingere ut ignominiam inferat; ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Leſſius de jure & juſtitia lib. 2. cap. 9. dub. 12. num.* 77. Hactenus fideliter: niſi quod autores graviſſimos prætermittat, Sotum, Navarram, Silveſtrum, &c. Quos pro hac opinione appellat Leſſius; ut ſcilicet in unum Leſſium derivet, ſi quid ſit in ea reprehendendum: quod ſolemne illi eſt in cæteris Autoribus noſtris ab eo nominatis. Vnde deinceps id omittam animadvertere.

269. Tota fraus & corruptio ſita eſt in verbis ſequentibus, quæ ſic retulit ex Leſſio: *Notandum eſt variis modis honorem alterius poſſe impeti & auferri, in quibus videtur conceſſa defenſio. n.* 78. (nempe ſequentia habet Leſſius) *Primò, ſi baculum vel alapam nitaris impingere; de quo jam dictum eſt. Secundò, ſi contumeliis afficiatur ſive per verba, ſive per ſigna; hic etiam eſt jus defenſionis. Tertiò, ſi illatâ alapâ ceſſes, vel etiam fugias. Ibid. num.* 79. *Quartò, ſi nomini meo falſis criminationibus apud Principem vel viros honoratos detrahere nitaris, nec aliâ*

ratione

Digitized by Google

ratione poſsim damnum illud famæ avertere, niſi te occultè interficiam. Num. 81. Tum ſubdit: *Hæc Leſsius de quocumque honore indiſcriminatim.*

370. Quis hæc legens in *Pſeudophilalethe* non credat Leſſium ſentire in illis quatuor circumſtantiis licitum eſſe viro honorato invaſorem, aut calumniatorem occidere? id tamen eſſe à veritate maximè alienum fiet clariſſimum prolatis Leſſii verbis, quæ *Pſeudophilalethes* fraudulenter prætermiſit.

371. Poſt prędictam notationem 2am. *Si contumeliis afficias ſive per verba, ſive per ſigna; hic etiam eſt jus defenſionis*, ſubjicit Leſſius ſententiam Petri Navar. his verbis: „ Nam ex ſententia omnium, licet contumelioſum occidere, quando aliter eâ injuriâ arceri nequit (quamquam ipſe armis non invadat) „ait Petrus Navar. lib. 2. cap. 3. n. 376. Etſi autem id „non inveniam apud autores expreſſum; tamen Videtur ex illis poſſe colligi (pręciſo ſcandalo, & aliis „ graviſſimis incommodis) quando contumeliæ ſunt „ atroces, & aliâ ratione vitari nequeunt. *Tum adductis pro ea opinione aliquot rationibus, ſic concludit.* „ Verùm hęc ſententia non eſt ſequenda. Satis enim „ eſſe debet in Republicâ ut injuriæ verbales verbis „ repelli, & legitimâ vindictâ comprimi & caſtigari poſſint. „ Quid clarius ad illum falſitatis arguendum?

372. Non minus in eum finem efficacia ſunt; quæ ad tertiam notationem, *ſi illatâ alapâ ceſſes &c.* poſt relatos autores graviſſimos, & varias rationes pro affirmativa, tandem ſubjungit: „ Ob has rationes hęc ſententia eſt ſpeculativè probabilis; tamen

 in praxi

„ in praxi non videtur facilè permittenda : primò
„ ob periculum odii , vindictæ & exceſſus: ſi enim
„ D. Auguſtinus ob has cauſas ægrè admittit, ut
„ quis pro vita tuenda alterum poſſit occidere; quantò minus in tali caſu ob honorem tuendum concederet? Secundò ob periculum pugnarum & cædium. Unde qui tali caſu occideret, puniretur in foro externo &c.

373. Denique ubi quartum modum retulit, videlicet *ſi nomini meo falſis criminationibus apud Principem &c.* adduxitque Navarram & Bannez affirmativæ faventes & aliquot rationes eam ſtabilientes; id ſe non probare clariſſimis verbis aſſerit : „ verùm, „ inquit, hæc quoque ſententia mihi in praxi non „ probatur; quia multis occultis cædibus cum magna „ Reipublicæ perturbatione præberet occaſionem. In „ jure enim defenſionis ſemper conſiderandum, ne „ ejus uſus in perniciem Reipublicæ vergat: tunc enim „ non eſt permittendus. Accedit quod etſi ſpeculativè „ vera eſſet, tamen vix in praxi poſſet habere locum. „ Nam infamia vel eſt illata, vel non eſt. Si eſt illata; „ non extinguetur per mortem infamantis. Si non eſt „ illata; plerumque non ſatis conſtat, aliter non poſſe „ eam impediri : ac proinde non poterimus eo modo „ defenſionis uti.

374. Hæcne in Leſſio legeras, *Pſeudophilalethes*, dum ſcripſiſti: *Hæc Leſſius* (quod nempe liceat viro honorato occidere aut percutere invaſorem & raptorem honoris) *de quocumque honore indiſcriminatim?* ſi legeras, ubi fides tua ? ſi non legeras, quanta temeritas!

meritas! ut ſim benignus interpres hujus fraudis, hoc dicam; decepit te Anonymus ille informator tuus Moralis noſtræ corruptor. Hæc apud eum legiſti pag. 407. §. 2. articuli 2. ad præceptum non occides, eodem prorsùs modo mutilata, quo tu illa expreſſiſti: credidiſti illi, & ab eo deceptus, Leſſio impoſuiſti.

§. 2.

Tamburinus locis duobus à Pſeudophilalethe fraudulenter truncatus.

375. EGregiè Tamburinum adulteravit *Pſeudophilalethes* num. 124. ſic illum loquentem inducit lib. 3. Decal cap. 12. §. 1. num. 4. „ Scio „ Valentiam 2.2. d. 6. q. 6. p. 1. cenſere: ſi promit„tas animo te obligandi; ſed cum voluntate rem „ promiſſam nullatenus exequendi, tunc nullam ex„ urgere obligationem: quia ſi nullam habes volun„ tatem rei faciendæ, nullum emittis votum.

376. Numquid Lector hæc legens in *Pſeudophilalethe* credis ita etiam Tamburinum ſentire, & pro hac opinione ſua Valentiam appellare? atqui loco citato diſertè docet oppoſitum, & Valentiam refutat: ita enim habet prædicto numero 4. „ Certum „ ſit ſecundò, in quarto caſu (*Is erat dum quis*

 promittit

Digitized by Google

promittit animo quidem ſe obligandi , ſed cum voluntate rem promiſſam nullatenus exequendi) „ verum eſſe „ votum , & inde validam enaſci obligationem. „Scio Valentiam 2.2. diſp. 6. q. 6. p. 1. cenſere „ tunc nullam exurgere obligationem: quia ſi nul- „ lam habes voluntatem rei faciendæ , quam ſupra „ diximus præerequiri ad voti eſſentiam , nullum „ emittis votum. Sed ratio noſtri dicti eſt, altera à „ poſteriori , à priori altera. A poſteriori , quia ſecus „ Sacerdos concubinam domi retinens , non emitte- „ ret validè votum caſtitatis (ſi ut evenire facilè po- „ teſt) animo illam retinendi ſacros Ordines ſuſci- „ piat. Pari modo eques Melitenſis v. g. ſi profeſſio- „ nem emittat eodem crimine & propoſito macula- „ tus , caſtitatem non voveret validè &c........ A prio- „ ri: quia hæc duo , obligatio ad aliquid exequen- „ dum, & ipſa rei executio , ſunt admodum diverſa, „ ut patet in contractu emptionis & venditionis , de „ quarum eſſentia eſt obligatio ad tradendum , non „ verò ipſa traditio , quæ ſatis eſt ut deinde ſuo tem- „ pore ponatur. Quando igitur dicimus requiri pro- „ poſitum & voluntatem exequendi in promiſſione, „ ſenſus eſt ; ne peccetur , requiri ut ſuo tempore „ executio ponatur : nam cæterum pro promiſſio- „ nis ſeu voti eſſentia ſatis eſt voluntas ſuſcipiendi „ in te obligationem exequendi.

377. Numquid miraris, Lector cordate, tam parum frontis habuiſſe *Pſeudophilalethem*, ut iis prætermiſſis , quæ mentem Tamburini clariſſimè manifeſtant, hoc unum ex eo referret: *Scio Valentiam cenſere, ſi pro-*

ſi promittas animo quidem te obligandi: ſed cum voluntate rem promiſſam nullatenus exequendi, tum nullam exurgere obligationem: quia ſi nullam habes voluntatem rei faciendæ, nullum emittis votum: cùm hęc, ita ſeorſim ab aliis ex Tamburino recitata, nata ſint Lectori perſuadere, hanc etiam eſſe Tamburini ſententiam; cùm tamen, ut jam vidimus, oppoſitum planè ſentiat.

378. Quidquod hæc verba, *Si promittas animo quidèm te obligandi, ſed cum voluntate rem promiſſam nullatenus exequendi* Tamburini textui interſeruerit? hæc autem, *quam ſupra diximus præequiri ad voti eſſentiam* ab eodem abſtulerit? Attamen danda eſt illi venia; quia id fecit deceptus ab informatore ſuo Sorbonico: ſic enim apud illum puncto 2. de promiſſorum infidelitate §. 1. pag. 62. legit prædictum locum ex una parte auctum, ex altera decurtatum; quod certo argumento eſt, fuiſſe ex eo decerptum. Cumque apud eum non reperiſſet verba illa, *Certum ſit ſecundò in quarto caſu verum eſſe votum, & inde validam enaſci obligationem* quæ in Tamburino immediatè præcedunt *Scio Valentiam* &c. Et hæc quæ ſubſequuntur; *ſed ratio noſtri dicti eſt altera à poſteriori, à priori altera &c.* Ipſe informatorem ſuum ſecutus, iiſdem prætermiſſis, eundem locum reddidit, ut ille, omnino corruptum.

379. Sequentis loci corruptio non cedit priori: ſic illum nobis exhibet truncatum numero 148. ut prius fecerat Anonymus ille pag. 235. cap. ultimo de peccati complice, *Si amicus meus velit, ut ego feram munuſcula, & ſimilia, turpis ſcilicet amoris incitamenta, quæ ipſe mittit ad ſuam concubinam; poſſum ſine peccato de-*

 ferre

ferre.......... ſi tibi magni ſit ejuſmodi amicitia, ac verè timeas amittere, quia tunc notabilis momenti juſtus metus accedit.

280. Quænam verba putas, Lector, ſub punctulis illis abſcondi? nihilne ad rem facientia, ut ſolet fieri compendii causâ? erras toto cœlo: ipſam continent quæſtionis deciſionem. Locum integrum tibi repræſento; prout jacet in Tamburino lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 4. num. 20. „Quæſitum ſemel fuit, „an ſi amicus meus velit ut ego feram munuſcula, & „ſimilia, turpis ſcilicet amoris incitamenra, quæ ipſe „mittit ad ſuam concubinam, poſſim ego ſine pecca„to deferre? Reſponſio fuit abſolutè negativa; quia „ex una parte hæc actio, licet aliàs indifferens, eſt „conjuncta cum peccato amici, ejusque concubinæ. „Et ex alia parte non adeſt cauſa excuſans ducta ex „famulatu, vel ex alio detrimento, ut ſupponimus; „nec enim, ſi adeſt quidam modicus rubor, videtur „eſſe regulariter tanti momenti, ut ſatis excuſet.

281. Hęc omnia verba, *Reſponſio fuit abſolutè negativa* & ſequentia uſque ad finem, ſub illis punctulis deliteſcunt. Potueruntne ſine fraude omitti, cùm contineant reſponſionem & rationem ejus? cur refert per modum aſſertionis, *ſi amicus meus velit, ut ego feram munuſcula &c. poſſum ſine peccato deferre*: cùm id Tamburinus proponat per modum quæſtionis: *Quaſitum ſemel fuit, an ſi amicus meus velit ut ego feram munuſcula &c. poſſim ego ſine peccato deferre*? cur abſolutam reſponſionem negativam punctulis involvit; niſi ut illam legentium oculis eripiat?

382. Hanc quidem generalem reſponſionem reſtringit Tamburinus verbis ſequentibus : *Fateor quidem, ſi tibi magni ſit ejuſmodi amicitia, ac verè timeres eam amittere, excuſari te poſſe; quia tunc notabilis nocumenti juſtus metus accedit.* Quàm juſta ſit hæc limitatio, jam non diſcutio: neque enim modò id ago, ut Tamburini vel cujuſpiam alterius ſententias aut defendam aut damnem; ſed ut fraudes *Pſeudophilalethis* retegam, illumque demonſtrem ex Anonymi libro ad flammas damnato deſumpſiſſe iniquas ſuas adversùs Moralem noſtram criminationes. In quem finem proderit hîc animadvertere *Pſeudophilalethem*, poſt Anonymum illum, loco Tamburini jam citato, pro *notabilis nocumenti* ſubſtituiſſe *notabilis momenti* : pro *timeret*, *timeas*: quod poſtremum licet admodum leve ſit, & primum non adeò grave; evincunt tamen *Pſeudophilalethem* legiſſe Tamburinum in damnato opere iſtius Anonymi, atque ex eo traxiſſe geminam illam verborum à prototypo diſcrepantiam : neque enim credibile eſt illam in utroque contigiſſe errore typographi. Cùm igitur non potuerit ex poſteriore Scriptore in priorem fluxiſſe, neceſſe eſt ut ex calumniatore illo Anonymo ad *Pſeudophilalethem* manaverit. dignus tali fonte talis rivulus.

Digitized by Google

§. 3.

Thomas Sanchez ab eodem adulteratus.

383. IN eandem iterum adulterationem inciderunt *Pſeudophilalethes* & prædictus Anonymus. Vterque, hic quidem pag. 75. ille verò n. 126. adducit Thomam Sanchez oper. mor. lib. 3. cap. 6. num. 15. his verbis: „poſſunt quoque abſ„que mendacio ea verba vſurpari, etiamſi ex ſua „ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſen„ſum (Sanchez addit *verum*) admittant ex ſe, nec „ex circumſtantiis ocurrentibus; ſed tantum eum „(Sanchez *verum*) ſenſum reddant ex aliquo addi„to mente proferentis retento, quodcumque illud „ſit: vt ſi quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive in„interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreatio„nis gratiâ, ſive quocumque alio fine juret ſe non „feciſſe aliquid quod reverâ fecit, intelligendo intra „ſe aliquid aliud quod non fecit, vel etiam diem „ab eo in quo fecit. (Sanchez *aliam diem ab ea in* „*qua fecit*) vel quodcumque aliud additamentum „(Sanchez *vel quodvis aliud additum verum*) reverà „non mentitur nec periurus eſt, ſed tantùm non „diceret vnam veritatem determinatam, quam au-

dientes

„dientes concipiunt, ac verba illa ſignificant: ſed „aliam veritatem diſparatam.

384. Quamquam tres primæ verborum mutationes levis ſint momenti, nec nomen adulterationis promereantur; non parum tamen faciunt ad alteram partem intenti noſtri, vt ſcilicet oſtendamus *Pſeudophilalethem* ſimium eſſe iſtius Anonymi Ethices noſtræ corruptoris, & ex eo in ſuam lucubrationem tranſcripſiſſe, quod prius ille adverſus moralem noſtram criminatus fuerat: quod ſanè non levi probro eſt *Pſeudophilalethi*? quid enim turpius quam loca corrupta ad impugnandam moralem noſtram ſurripere ex libro ad flammas damnato?

385. Certè non levis prædicti loci corruptio eſt, quod Anonymum ſecutus pro his vocibus *vel quodvis aliud additum verum* ſubſtituerit *vel quodcumque aliud additamentum*. Certum enim eſt non ſufficere ad vitandum mendacium quodcumque mente additum; ſed neceſſarium eſt, vt verum ſit, quod mente additur.

386. Præter iſtam adulterationem, doloſè etiam omittit cum præfato informatore ſuo hæc verba ſequentia: *hæc regula non eſt uſque adeò certa &c.* Et hanc limitationem: *eſt tamen intelligenda hæc ſententia (ut benè Suares eo libro 3. cap. 10. num. 4.) dummodò reſtrictio concepta mente ſit proportionata verbis, ita ut illis adjuncta verum ac congruum ſenſum efficiat, quo apta reſponſio reſultaret.* Vti & quartam regulam ibidem num. 16. deſcriptam: *nullo modo licet uti verbis ambiguis quibuſcumque, etiamſi ex ſua ſignificatione*

ambigua

Digitized by Google

ambigua ſint, id nullâ juſtâ causâ petenti, niſi in eo ſenſu vſurpentur quem communiter audientes percipiunt. Hæc enim omnia plurimum faciunt ad invidiam omnem à prędictis Sancii verbis amovendam.

387. Si Sancium legiſſet, numquam tam temerè ſcripſiſſet prædicto num 126. *Ea ſubtilis & recondita reſtrictionum mentalium doctrina non in ſanctis Scripturis fundata, nec cujuſquam Sancti Patris auctoritate munita, ſed proprio probabiliſtarum marte adinventa. &c.* Hæc enim in eo legiſſet.

388. Probatur primò: quia in ſacris litteris hic „ loquendi modus vſurpatur: nam Chriſtus Ioan. „ 7. dixit *non aſcendam ad diem feſtum*, & tamen ſta- „ tim aſcendit. Quæ tamen oratio vera fuit ex ad- „ dito mente Chriſti retento, ſcilicet, non aſcen- „ dam manifeſtè .... & Tobiæ S. Angelus dixit „ *Ex filiis Iſrael ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*; „ Quæ verba ſunt vera juxta eorum interpretatio- „ nem retentam in Angeli mente; falſa autem ſe- „ cundum propriam vocum ſignificationem. Et „ Gen. 27. Iacob dixit ſe eſſe Eſau & feciſſe quæ „ ei præceperat Iſaac; & tamen multi quos refert „ & ſequitur Pererius in eum locum tota diſp. 5. „ eum à mendacio vindicant propter ſenſum à Ia- „ cob intentum. Et Iudith multa dixit Holoferni, „ quæ ſecundùm verborum intellectum à menda- „ cio excuſari nequeunt; at excuſantur ſecundùm „ aliquem myſticum intellectum &c.

389. Quod ſi conſulat reliquos auctores noſtros, agnoſcet falsò ſe dixiſſe num. 92.

Digitized by Google

ſit ut omnia Probabiliſtarum argumenta à ratione petita (nulla enim habent ab auctoritate ſacræ Scripturæ, traditionis, SS. Patrum, necnon & antiquorum Theologorum) in ſua radice ſolvantur : nemo enim ex illis vnus eſt, qui moralem diſputando tradiderit, qui paſſim dogmata ſua non ſtabiliat vel Scripturæ, vel Patrum, vel antiquorum Theologorum auctoritate. Vt labori parcat, quem ſubiret evolvendis tot ſcriptorum libris; ſatis erit vt dicti ſui falſitatem agnoſcat, ſi hos duos adeat, videlicet Stephanum de Champs in quęſtione facti de opinione probabili, & Martinum de Eſparza in appendice ad quæſtionem de vſu licito opinionis probabilis.

§. 4.

Eſcobarius auctus & imminutus à Pſeudophilalethe.

390. SIc habet *Pſeudophilalethes* opuſc. 5. de prob. cap. 2. num. 40. *Eſt enim hæc eorum concluſio : infidelis cui proponitur noſtra fides ut magis credibilis; dum ejus ſecta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tenetur ad recipiendam noſtram fidem. Ita viginti quatuor Societatis Seniores apud Eſcobarium.* Loci autem, vbi hæc habeat, non meminit : nec mirum, quia nullibi id habet : certè quidem poſt diligentem inquiſitionem

ſitionem reperire non potui. Vnde donec *Pſeudophilalethes* locum deſignet, in quo Eſcobarius præfatam habeat propoſitionem, jure merito cenſendus eſt huic auctori impoſuiſſe.

391. Quid dico huic auctori? imò impoſuit etiam 24. illis Societatis Senioribus ſeu Doctoribus quos Eſcobarius ſibi propoſuit in tradenda ſua morali Magiſtros: aut certè maxima ex parte; (neque enim mihi tradendæ Scholaſticæ non parum occupatò licuit ſingulos examinare) Dixit enim *ita viginti quatuor Societatis Seniores apud Eſcobarium. Dico viginti quatuor Seniores; eo quod vnius ſententia probabilis, ſit omnium viginti quatuor propter communicationem probabilitatis benignæ partis.*

392. Quid ais? ignorasne Doctores illos viginti quatuor ab Eſcobario nominatos plerumque inter ſe diſſidere? quomodo ergo ſcribis, *eo quod vnius ſententia probabilis, ſit omnium viginti quatuor*? An ergo dum diſſident, conveniunt? rationem dicti tui adfers ſanè ridiculam; nam ita eſſe affirmas *propter cōmunicationem probabilitatis benignæ partis.* Quid eſt hæc communicatio? ſingulasne illorum ſententias eſſe probabiles? quid inde? an propterea idem ſentiunt? veſtra admittens prędeterminationem phyſicam probabilis eſt, & noſtra illam rejiciens item probabilis: an propterea idem ſentimus?

393. In eone hæc communicatio conſiſtit; quod ſententia vnius, communicet ſuam probabilitatem alterius ſententiæ quamvis oppoſitæ? ridiculum eſſet hoc aſſertum: cum clarum ſit oppoſitarum ſen-

Digitized by Google

tentiarum diverſas eſſe probabilitates, quippe quæ petantur ex rationibus diverſis, diverſiſque auctoritatibus.

394. Eſtne tandem vnum ex illis aſſerere probabiles eſſe reliquorum ſententias? prçterquam quod in nullo illorum id reperies: an idcirco vnius ſententia eſſet cæterorum? numquid qui inter ſe diſſentiunt, plerumque ſententiam diſſentientis judicant probabilem? non potuit igitur non eſſe ineptum, aſſerere *eo quod vnius ſententia probabilis, ſit omnium viginti quatuor propter communicationem probabilitatis benignæ partis.* Sed ad rem redeamus.

395. Vt ſcias non ſolùm te Eſcobario impoſuiſſe; ſed etiam viginti quatuor illis Senioribus, Societatis noſtræ præcipuis Doctoribus, quorum ſe diſcipulum profitetur; aut ſaltem pleriſque ex illis: adi Vaſquem in primam 2. diſputatione 120. capite 5. & dicet tibi, *propoſitis fidei myſteriis ſufficienter, non credere peccatum infidelitatis eſt.* Audi Suarem, Tractatu de fide diſputatione 16. ſect. 1. n. 3. & 4. Et diſces ex illo: *poſterior modus infidelitatis contingit, quando quis habens ſufficientem notitiam propoſitionis & revelationis fidei, ab ejuſmodi fidei veritate diſcedit.* Et infra. *Hic poſterior modus infidelitatis nunquam contingit ſine peccato.* Et diſp. ſeq. ſect. 1. num. 9. Docet propoſitionem fidei etiam inſufficientem, ut infidelem hic & nunc ad aſſenſum obliget; nihilominus illum adſtringere ut diligentiam adhibeat pro inſtructione perfectiori conſequenda. Conſule Ægidium

P Coninck

Coninck diſp. 14. de fide dub. 10. num. 105. & hanc regulam leges: *Is qui res fidei ignorat, ut ſunt Infideles, ſive Gentiles, ſive Hæretici, aut etiam Fideles, qui in rebus fidei non ſufficienter inſtructi, ſtatim atque iis articuli fidei ſufficienter proponuntur ut credibiles, juxta dicta diſp. 11. dub. 1. tenentur circa ea aſſenſum fidei elicere.* Interroga Reginaldum, & lib. 17. Sect. 1. de obligatione credendi, ſtatim in ipſo exordio ita te inſtruet: *tenentur credere ii etiam infideles, qui nondum ſuſceperunt Baptiſmum, cùm ſufficienter promulgatum fuerit illis Evangelium.* Vide Laiman lib. 3. tract. 1. cap. 10. Et illic te ſic erudiet num. 3. „Quodſi factâ diligenti in„quiſitione Religio noſtra ob notas ſuas.......... credi„bilior ſeu probabilior, quàm aliæ omnes ſectæ ipſis „(Infidelibus & Hæreticis) manifeſtò appareat, tunc „exiſtim: obligatos fore ad ſectam ſuam deſerendam, „noſtramque fidem amplectendam.

396. Atque hæc ſufficiunt; ut demonſtrent te falsò ſcripſiſſe: *eſt enim hæc eorum concluſio: Infidelis cui proponitur noſtra fides ut magis credibilis, dum ejus ſecta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tenetur ad recipiendam noſtram fidẽ. Ita viginti quatuor Societatis Seniores apud Eſcobarium.* Illi enim, quorũ jam verba retuli, ſunt ex illis viginti quatuor pręcipuis Senioribus.

397. Quod ibidem addis. *Et cùm de hęretico idem ſentiant, ſequitur quod nullus ferè propter hęreſim poterit damnari hęreticus; cùm vix ullus ſit, cui ejus ſecta non videatur probabilis; proinde poterit quilibet in ea Religione quam profitetur, ſalutem conſequi.* Cùm nullius autoris nomen proferas, in quo id legeris, nec, quod ſciam,

quiſpiam

quiſpiam è Noſtris id doceat, jure merito credam meram eſſe impoſturam, donec Noſtrorum nomina, qui id doceant, appellaveris, & loca ubi illud doceant, adnotaveris.

398. Auxiſſe te Eſcobarium confictâ propoſitione, ſatis declaratum eſt. Jam ſupereſt ut oſtendam te etiam illum mutilaſſe aliquot verbis, quæ doctrinam illius, quam reprehendis num. 132. (jurene, an injuriâ? jam non diſputo) non parum reſtringebant.

Sic illum adducis numero jam citato. „ Suppono „ cauſam eſſe æqualem: poteſtne judex aliquid ac-„ cipere? docet Fagundez aliquid accipi poſſe, „ non ſolùm ab Electoribus ad Majoratum, Cathe-„ dram, Capellam; ſed etiam à Iudice, quando, ut „ ſupponitur, ſententiam profert in cauſa æquali. „ Eſcobar. tr. 2. Exam. 2. c. 6. n. 111. rationem „ *ais*, reddit: quia pro ſuo arbitratu poteſt cuilibet „ parti dare victoriam: quare datur locus gratifica-„ tioni, quæ eſt pretio æſtimabilis.

399. Numquid in Eſcobario legiſti hanc reſtrictionem, *ſecluſâ lege poſitivâ in contrarium*, immediatè ſequentem hęc verba, *quando ſententiam profert in cauſa æquali*? Potuerunt ne iſta verba ſine fraude omitti? minimè: cùm multum ad rem faciant, & traditam doctrinam ut laxiorem ab aliis è Noſtris improbatam non parum reſtringant.

400. Hac in parte, meliori, quàm tu, fuit fide prędictus Anonymus informator tuus: nam eundem locum referens pag. 57. ſub finem prædicta verba,

ſeclusâ lege poſitivâ in contrarium, non, ut tu, præteriit. Suſpicor tamen te in Anonymo illo Eſcobarium legiſſe: quandoquidem poſt illum pro verbis illis, *ut ſupponis*, (ſic enim lego apud Eſcobarium loco citato) ſubſtitueris *ut ſupponitur*: quod, licet nullius ſit in ſe momenti; probat tamen quod præcedentia prorsùs evincunt, ad impugnandam Moralem noſtram, uſum te Anonymo illo Ethices noſtræ corruptiſſimo informatore; quod tibi non exiguo probro eſt, & dictis tuis fidem omnem abrogare debet; aut certè reddere admodum ſuſpectam.

401. Rogo te ut deinceps documenta noſtra moralia non legas in famoſo illo Anonymo Moralis noſtræ calumniatore, cujus exitioſa lucubratio dignas luit pœnas, juſſu Regio carnifici & igni tradita; ut conſtat ex Regis Chriſtianiſſimi Edicto ſupra num. 92. ad perpetuam rei memoriam deſcripto. Diſce Ethicam noſtram ex pręcipuis & nobiliſſimis Societatis noſtræ Scriptoribus; & ſi quid quandoque occurrat quod minus rectum videatur: ne ſtatim illud damnes: ſed diligenter prius expende, ne temerè pronuncies, & Thomiſtas plurimos, tuosque damnes plerumque idem ſentientes.

402. Memento te filium magnæ Matris Thereſiæ, quæ ſe Societatis noſtræ filiam appellabat: quæ tanti fecit Moralis noſtræ pręcepta, ut ſecundùm illa vitam ſuam componeret, & varios è Noſtris habuerit conſcientiæ ſuæ moderatores. Lege in libello, cui titulus *Gloria S. Ignatii*, quæ de Societate noſtra ſcripſit, & de iis quos ex ea habuit rerum ſpiritualium Magi-

Digitized by Google

Magiſtros; & ex Matre tua diſces, quid de Societate noſtrâ, & peritiâ ejus in moribus formandis ſentire debeas. Ut autem ea omnia quæ illic leges, legéntque alii, majorem fidem obtineant, exhibeo hîc Decretum Capituli Generalis Illuſtriſſimi ac Sanctiſſimi Ordinis veſtri conditum anno 1650. quo approbantur ut veriſſima, quæ in præfato libro ex S. Thereſia referuntur in Societatis commendationem.

Decretum Capituli Generalis Carmelitarum improbans editionem Operum S. Thereſiæ mutilatam.

403. ACcepimus ſcripta S. Matris Thereſiæ edita eſſe truncata, quoad illa omnia quæ ſpectant Societatem Jesu, ita ut, cùm & in manuſcriptis Codicibus pleriſque, & in pleriſque Exemplaribus pridem editis, ac in ipſomet S. Matris contextu Originali omnia illa, quæ notantur in libro cui titulus *Gloria S. Ignatii*, exarata inveniantur; tamen in ea editione, de qua dictum eſt, omnia fuerint eraſa. Hanc infidelitatem editionis, non tam Societati Iesu quàm S. Matri injurioſam omninò imbrobamus, & à Nobis non eſſe profectam conteſtamur; quin imò ſi quis ex Ordine noſtro deprehenderetur tale quid admiſiſſe, aut fieri curaſſe, impunitum non debere eſſe decernimus. Ipſam quoque Editio-

Digitized by Google

nem truncatam in uſu Noſtrorum eſſe prohibemus.

Propoſitionem hanc Capitulo noſtro Generali propoſitam, & per acclamationem omnium approbatam teſtamur. Die 16. Maii 1650.

F. FRANCISCVS A SANCTISSIMO SACRAMENTO Præpoſitus Generalis.

Loco † Sigilli

F. JOACHIMVS A JESU MARIA *Capituli* Generalis Secretarius.

SECTIO X.

Colluvies calumniarum adverſus auctoritatem Auguſtini.

§. I.

Exponuntur calumniæ.

404. VIx mihi perſuadeo potuiſſe *Pſeudophilalethem*, nobis imponere abſurdiſſimas propoſitiones

poſitiones, quas mox ſubjiciam, adverſus auctoritatem Auguſtini, niſi reclamante conſcientiâ, & calamum mendacii arguente: enimverò id adeò alienum eſt à veritate, vt nullus ſit Theologorum noſtrorum, qui illum non arguat manifeſtæ falſitatis: dum dicta ſua tanti Doctoris auctoritate fulcit operoſiſſimè.

405. *Calumnias ſuas ſic orditur*: „ nihil nobis „ cum Moliniſtis, quos in materia gratiæ apertè à „ S. Auguſtino recedere cordatis pluſquam eſt manifeſtum. Neque de hoc aliquando multùm fuere ſolliciti; cum in omnem terram exierit ſonus „ eorum, & in fines orbis terræ verba dicentium

„ 1. Miſeram fore Eccleſiam, ſi S. Auguſtini „ placitis obſtricta maneat.

„ 2. Eccleſiam à tutela & pędagogia Auguſtini eſſe vindicandam.

„ 3. Auguſtini auctoritatem non plus valere, „ quam rationes, quas allegat, evincant.

„ 4. Auguſtinum fuiſſe Doctorem perinde ac „ alium quempiam etiam modernorum.

„ 5. Auguſtini dotes ſive naturales, ſive infuſas non fuiſſe altioris ordinis, quam aliorum Doctorum etiam Theologorum.

„ 6. Volentem ſuſtinere partes Iuliani, non „ poſſe Auguſtini rationibus convinci.

„ 7. Auguſtini Doctrinam de originalis peccati traduce eſſe ruſticanam.

„ 8. Auguſtini locutiones quamvis aliquo ſenſu veras, improprias tamen eſſe, nec frequentandas.

„ 9. Vtrum Auguſtinus, contra quod ſentia-
„ mus, ſentiat, non admodum referre.
„ 10. Non rectè dici poteſt, illud ſaltem neceſ-
„ ſariò ab omnibus tenendum, quod Auguſtinus
„ tenuit, nec retractavit.

406. *Tum ſubjungit calumnioſiſſimè*: „hæc om-
„ nia evomuerunt Ieſuitæ Lovanienſes in articulis
„ cenſuratis. Et certè ſatis conformiter ad ducem
„ ſuum Patrem Molinam, qui non veritus eſt di-
„ cere.
„ 11. Auguſtinum Sacrarum Scripturarum au-
„ ctoritatem ſua expoſitione evacuare, & ludibrio
„ infidelium exponere. De opere ſex dierum diſp.
„ 1. §. poſtremo.
„ 12. Auguſtinum quaſi ſub caligine conſtitu-
„ tum ad veritatem à Patribus intentam non atten-
„ diſſe 1. p. quæſt. 25. art. 4. & 5. diſp. 1. m. 6.
„ 13. Auguſtini ſententiam fidelium non paucos
„ turbaſſe, ejuſque veritate perculſos in Pelagia-
„ niſmum declinaſſe. In concordia quęſt. 23. art.
„ 4. & 5. diſp. 1. m. vlt. §. credens.
„ 14. Auguſtini ſententiam à multis duram ni-
„ mis, indignamque divina bonitate ac clementiâ
„ judicari, non mirum. 1. p. quæſt. 23. diſp. 1. m.
„ 6. §. ex his patet.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Calumniarum refutatio.

407. FAteor, hęc legens obſtupui, ad tantæ calumniæ atrocitatem, & impudentiam aſſerentis in omnem terram exiiſſe ſonum noſtrum, & in fines orbis terræ verba, præfatas propoſitiones falſiſſimas adverſus auctoritatem Auguſtini propalantium. Appella nomina auctorum, qui libros ſuos propoſitionibus illis fœdavere: aut te per calumniam hęc dixiſſe jure optimo pronuncio. Ego interim aliquos illuſtrium Scriptorum teſtimonia proferam, quæ prædictis propoſitionibus contradicant.

Inſtar plurimorum erit Suares celeberrimus Societatis noſtræ Theologus, quem vt magiſtrum plerique alii ex eadem Societate Scriptores ſequuntur, vnde per illum cenſeri poterunt dixiſſe, quæ modo ex eo referam de ſumma Auguſtini auctoritate circa quæſtiones de auxiliis gratiæ.

408. Prima parte de gratia. Proleg. 6. cap. 6. num. 17. ſic loquitur: „ vlterius addimus, quidquid in hac materia (*circa gratiam*) Auguſtinus „ vt certum affirmat, & ad dogmata fidei pertinens, „ à quolibet prudente & erudito Theologo eſſe te-

„nendum ac defendendum; etiamſi non certò cõ-
„ſtet eſſe ab Eccleſia definitum. Tum quia, cum
„Eccleſia tantum in hac materia detulerit Augu-
„ſtino, vt ejus doctrinam in damnandis erroribus
„gratiæ Dei contrariis ſequuta fuerit, magna eſſet
„temeritas privati Doctoris, qui Auguſtino aliquid
„de gratia Dei, tanquã orthodoxum docenti con-
„tradicere auderet. Præſertim cum tot annis tantâ
„ſapientiâ, tanto ingenio, tantâ diligentiâ & in-
„ſtantiâ, & quod caput eſt, tot Dei donis & auxi-
„liis præditus pro divina gratia tuenda & explican-
„da laboraverit. *Et paulo ante num.* 11 *ſic habet.* „ſe-
„quitur dicendum de ſecundo tempore, in quo Pe-
„lagius errorem ſuum contra divinam gratiam ſemi-
„nare cœpit: contra quem eodem tempore duo
„Eccleſiæ lumina, quæ tunc erant columnæ & fir-
„mamentum Eccleſiæ, Hieronymus & Auguſtinus,
„vt Oroſius dicit, pro divina gratia pugnarunt,
„& accuratiſſimè ſcripſerunt. Quorum virorum tan-
„ta fuit ſemper auctoritas in hac præſertim mate-
„ria, vt ad obturanda Hæreticorum ora ſufficiat.
Quid dici potuit ad extollendam Auguſtini au-
ctoritatem magnificentius?

409. Audi quam præclarè de eadem ſentiat Vaſ-
quez in 1. p. S. Th. diſp. 89. cap. 1. num. 8. „mul-
„tò, *inquit*, melius nobis eſt cum Auguſtino, quàm
„cum aliis ſentire: qui, vt dixi, in materia de gra-
„tia & prædeſtinatione inter cæteros Eccleſiæ Pa-
„tres, non aliter quàm ſol inter cætera minora ſi-
„dera præfulget. *Et infra ſic inchoat caput* 4^{tum} „Tam-
etſi

„ etſi aliorum Patrum auctoritas in omni contro-
„ verſia magni ponderis apud omnes eſſe debeat ;
„ in hac tamen de quâ nunc agitur (contra Pela-
„ gianos) vnus pro multis mihi ſemper erit Augu-
ſtinus. Quid ad laudem Auguſtini deſiderari po-
teſt illuſtrius?

410. Vis ſcire quanti Auguſtinum fecerit Didacus Ruiz? hæc pauca, quæ decerpſi ex tract. 3. de Prædeſtinatione diſp. 17. ſect. 1. num 4. id facient manifeſtum. Sic illic habet. „ Auguſtini auctoritas,
„ licet fuerit ſemper eximia in quacumque re The-
„ ologica, cæterum in cauſa prædeſtinationis ad
„ gratiam & ad gloriam, atque in juſtificationis ini-
„ tio, non ex libero arbitrio, ſed ex præveniente
„ gratia, videtur eſſe ſumma: quippe quæ non ſo-
„ lum communi Eccleſiæ conſenſu; ſed etiam Con-
„ ciliorum & ſummorum Pontificum auctoritate
„ munitur.

411. Fruſtra plurium encomia ſingillatim congererem, & in re clariſſima tędio eſſem lectori nimia prolixitate. Illud vnum abunde probat ſummo in pretio Auguſtinum eſſe omnibus Societatis noſtræ Scriptoribus, ac Theologiæ Magiſtris, quod ſinguli doctrinam ſuam, præſertim illam, quæ ſpectat ad gratiam & prędeſtinationem, auctoritate Auguſtini ſollicitè ſtabiliant. Hujus veritatis tot oculatos teſtes appello, quotquot illorum Scripta evoluunt, aut dicta in ſcholis excipiunt.

Nolo tamen præterire illuſtre elogium maximi hujus doctoris, quod poſteris reliquit litteris

cedro

cedro dignis Petrus l'Abbé è Societate noſtra vir diſertiſſimus & in ſcribendis magnorum virorum encomiis nulli ſecundus. Auguſtinum ſic prædicat.

„ 412. Ingenium Auguſtini nemo hactenus totum novit: ingenii ſui limites Auguſtinus ipſe neſcivit. Monſtrum ingenii fuit aliis, & monſtrum ſibi. Exhauſit ſe Africa dum tale portentum tulit. Adoleſcens non tam diſcere, quam meminiſſe videbatur: dixiſſes non acquirere ſcientias, ſed innatas habuiſſe. Didicit Ariſtotelem ſine Magiſtro; vix eum Ariſtoteles ſine doctore didiciſſet. Exhauſtis omnibus ſcientiis adhuc ſciendi avidus, didicit errores Manichæorum, vt haberet quod diſceret: laudavit eos errores dum neſcivit, refutavit dum didicit; & nondum fidei diſcipulus jam pugnavit pro fide.

„ Superatâ naturâ diu luctatus eſt cum gratia: expertus eſt ſe ab ea non cogi, dum diu reſtitit: nec violentus conſenſus fuit, quem negavit dum voluit: agnovit tamen ſufficientem fuiſſe gratiam, quâ vinci potuit; non accuſaret moras ſuas, niſi properare potuiſſet, nec potuit niſi vires offerret gratia ſufficiens, & nondum vincens.

„ Vicit tamen gratia efficax vinci volentem; ſic delectavit, ut ſuaderet, ſic ſuaſit ut cogeret; recuſare illam poterat, etiam dum admiſit: admiſit illam voluntas libera, ſed non ſola; prævenit gratia nolentem, & adjuvit volentem: incepit Deus ſine Auguſtino, ut vellet Auguſtinus cum Deo.

„ Nec meruit Auguſtinus gratiam quæ fecit merentem,

„ rentem: data eſt immerenti benè cum gratia meri-
„ turo. Nemo acrius gratiæ reſtitit : nemo fortius pro
„ gratia ſtetit. Mirata diſcipulum gratia mutavit in
„ Magiſtrum, docuitque artem vincendi, dum Au-
„ guſtinum vicit.

„ Poſt eam victoriam nemo Auguſtino par fuit:
„ Pelagius, Julianus, Donatus umbram Auguſtini
„ timuere : nec tantùm errores præteritos refutavit,
„ ſed futuros : damnavit Janſenium nondum à Ro-
„ ma damnatum.

„ Oppoſuit Antitheſes erroribus futuris : diſtinxit
„ Auguſtinum ab Auguſtino, & puto cum Anti-
„ podes negavit, Janſenium intellexit.

„ Debet Auguſtinus gratiæ, quod de gratia didi-
„ cit : debet Auguſtino gratia, quod de gratia do-
„ cuit : debet multùm Auguſtino Roma ; plus Romæ
„ Auguſtinus debet. Non eſſet Doctor gratiæ, niſi
„ eſſet diſcipulus Romæ.

413. In hoc pulcherrimo elogio non tantùm habes hujus calumniæ tuæ de Auguſtino à nobis contempto demonſtratam falſitatem ; ſed reliquarum etiam impoſturarum de gratia pediſſequa, de exordio fidei & converſionis non gratiæ ſed voluntati à nobis adſcripto, de prima radice diſcretionis ex operibus noſtris petita.

Hæc igitur Auguſtini encomia, non calumniæ tuæ, ex eorum calamo prodierunt, & uſque ad fines orbis terræ Auguſtinum prædicarunt Doctorem maximum & lumen Eccleſiæ clariſſimum.

At, inquis, *hæc omnia* (ſupradicta Auguſtini vitupe-
ria

ria) *evomuerunt Ieſuitæ Lovanienſes in articulis cenſuratis.*

414. Non pudet te iterum illarum cenſurarum meminiſſe, quas, ut oſtendi, cap. 1. ſect. 2. §. 3. auſu temerario cudêre Baius plurium errorum diſſeminator, & alii hujus Magiſtri diſcipuli, & doctrinæ Sectatores : quas Sedes Apoſtolica reprobavit, vetuitque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut ibidem oſtenſum eſt §. 1. Scilicet hoc tibi ſolemne eſt ex libris damnatis, ex Ianſenio doctrinæ noſtræ hoſte infenſiſſimo, ex Anonymo Ethices noſtræ corruptore, cujus opus flammis vindicibus traditum eſt, ex cenſuris ſupremâ authoritate prohibitis, pudendas calumnias adversùs doctrinam noſtram decerpere.

Hos tamen articulos iniqua cenſura notatos perlegi in accuratiſſimo Leſſii manuſcripto, nec in illis reperi prædicta Auguſtini vituperia: & ſi uſpiam fortè alibi extarent, adverſariorum figmenta eſſe liquet clariſſimè ex Leſſio, cujus doctrina his cenſuris petebatur, calumniam Auguſtini à ſe contempti in Apologia contra præfatas cenſuras his verbis diluente:

„ 415. Multa dicuntur de autoritate D. Auguſti-
„ ni, & ita traducimur, quaſi nos nitamur totam
„ eius doctrinam de gratia & prædeſtinatione ever-
„ tere : cùm ego ſemper profeſſus ſim ſequi me do-
„ ctrinam B. Auguſtini de prædeſtinatione, & gratia
„ ſufficiente & efficaci. Solùm viſus ſum recedere
„ ab eo in quæſtione de electione immediata & ab-
„ ſoluta ad gloriam. Dixi enim efficacem & abſolu-

tam

„tam voluntatem dandi gloriam eſſe poſteriorem
„ ratione, quàm ſit prævíſio meritorum. Et quia pu-
„ tant quidam D. Auguſtinum ſentire contrarium,
„ ſcilicet Deum ante omnem prævíſionem, quaſi in
„ primo ſigno rationis omnes ſalvandos elegiſſe vo-
„ luntate abſoluta ad gloriam, & in ſecundo ſigno
„ præparaſſe media: ideò dixi in meïs lectionibus;
„ contraria ſententia tribuitur S. Auguſtino: ego
„ enim dubitabam an reverà D. Auguſtinus hoc ſen-
„ tiret. Vnde non ſum auſus abſolutè dicere eſſe ſen-
„ tentiam D. Auguſtini. Poſteà tamen obortâ hac
„ controverſiâ, loca D. Auguſtini accuratius expen-
„ di, & non deprehendi aliquem, ex quo poſſit con-
„ vinci Auguſtinum hoc ſentire. Itaque teneo etiam
„ in hac re D. Auguſtinum nobis non adverſari.

Eſtne credibile eum qui tam diſertè profitetur ſe ſectatorem doctrinæ Auguſtini: qui tam operosè doctrinam ſuam de gratiâ efficaci Auguſtini teſtimoniis confirmat, effutiiſſe abſurdiſſima illa Auguſtini vituperia ſupra memorata? certè nemo, niſi ſtultus, doctrinam illius tam ſollicitè ſequeretur, quem adeò vituperaret.

§. 3.

§. 3.

Molinæ expurgatio.

417. QVod modò ad Molinam attinet, quem præcipuum Auguſtini contemptorem facit *Pſeudophilalethes*, videamus quàm falſa etiam illi impoſuerit.

Affirmat 1o. Molinam de opere ſex dierum diſp. 1. §. poſtremo, dixiſſe *Auguſtinum ſacrarum Scripturarum anthoritatem ſuâ expoſitione evacuare, & ludibrio infidelium exponere*. Hæc propoſitio, prout jacet in *Pſeudophilalethe*, generalis eſt, nec eſt unde limitetur; cùm tamen Molina illic agat de hoc determinato Scripturæ loco, quo Geneſis 1. narratur totius mundi opificium ſex diebus perfectum, ſolumque rejiciat ſingularem Auguſtini horum dierum interpretationem de diverſis Angelorum cognitionibus: quemadmodum etiam rejiciunt unanimi conſenſu omnes propemodum Theologi, & Scripturæ Interpretes, ut potè genuino Scripturæ ſenſui, & aliorum Patrum expoſitioni minus conformem.

Jtaque prædicto §. ſic habet: *poſtremò, quia appellare cognitiones illas rerum in verbo & in proprio genere diem, multiplicareque eâ ratione dies comparatione diverſorum objectorum, eſt uti vocabulis ad libitum, & præter om-*

nium

nium ſenſum & opinionem. Nec ullam veriſimilitudinem habet, Moyſem cum populo rudi in ea ſignificatione fuiſſe locutum; quàm vix ullus poſſit excogitare, excogitatamque ſibi perſuadere. Quare exponere in eo ſenſu Scripturas ſacras, eſt ſanè earum authoritatem enervare, & (ſi in impugnanda Sanctiſſimi Eminentiſſimique Doctoris de Eccleſia & ſacra Theologia quàm meritiſſimi ſententia, fas eſt ita loqui) ludibrio fortè eam coram infidelibus exponere.

419. Cur *Pſeudophilalethes* ſiluit hoc Auguſtini elogium, hanc humilem veniæ petitionem? cur hanc particulam *fortè* dicti lenitivam præteriit? cur verba mutavit, & pro his; *quare exponere in eo ſenſu Scripturas ſacras, eſt ſanè earum authoritatem enervare*, ſubſtituit *Auguſtinum ſacrarum Scripturarum autoritatem ſuâ expoſitione evacuare*. Idne eſt ſincerâ fide procedere?

Nolo hîc omittere, quàm reverenter Molina prædicto loco *§. ſententia hæc Auguſtini*, priuſquàm illam impugnet, veniam ab eò petat id faciendi his verbis: *eſt ſanè ſingularis Auguſtini* (ſententia) *ſalvaque reverentiâ, quæ ſanctiſſimo Patri debetur maxima, poteſt impugnari primò &c.* Hæcne ſunt verba Auguſtinum contemnentis, an venerantis?

420. Nihilo fidelius hanc alteram propoſitionem Molinæ tribuit *Auguſtinum quaſi ſub caligine conſtitutum ad veritatem à Patribus intentam non attendiſſe*. citat. 1. p. q. 25. a. 4. & 5. diſp. 1. m. 6. Sed fallitur, neque enim illic diſputationem habet ad articulum 4. & 5. Neque articulos in diverſa membra dividit. Sed ei ignoſcendum eſt, quia prædictam propoſitionem non legit in Molina, ſed in aliquo ejus doctrinæ

cor-

corruptore. Citare debuit in Concordia. quæſt. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. m. 6. Nec tamen illic reperiſſet prædictam propoſitionem, ſed hanc: *interim verò dum ſub ea quaſi caligine D. Auguſtinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aſpectu cum ſua de prædeſtinatione opinione eſſe conjunctum, Deum non velle omnes univerſim homines ſalvos fieri, ſed ſolùm prædeſtinatos, in multis ſuæ doctrinæ locis, ut q. 19. a. 6. diſp. 1. relatum eſt. Ita illum locum Pauli 1ª. ad Tim. 2. interpretatus eſt, ut de ſolis prædeſtinatis intelligeretur. Cæteri tamen Patres tam Auguſtino antiquiores, quàm eo poſteriores, Doctoresque Scholaſtici eam expoſitionem non probarunt &c.*

Cur *Pſeudophilalethes* particulam *quaſi* iterum omiſit? cur tacuit de qua re iſthic ageretur? cur hæc verba addidit *ad veritatem à Patribus intentam non attendiſſe*? vbi ergo hominis fides?

421. Tertiæ ſententiæ, quam Molinæ adſcribit, ſenſum quidem ferè eundem reperio loco ab eo citato; ſed non verba: id certè facere non debuit; multò minus præterire cauſam hujus perturbationis, ex qua patuiſſet non immeritò dixiſſe Molinam Auguſtini ſententiam non paucos turbaſſe. Sic habet: *Iuxta eam ſententiam Paulum ad Rom. 9. multis in ſuorum operum locis interpretatus eſt* (Auguſtinus) *reſtrinxitque illud 1ª ad Tim. 2. vult omnes homines ſalvos fieri, vt non de omnibus vniverſim hominibus, ſed de ſolis prædeſtinatis intelligeretur. Quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præſertim ex iis, qui in Gallia morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occaſione ſalu-*

Digitized by Google

tem eorum fuiſſe periclitatam : ne enim hujuſmodi doctrinæ adhærerent, hæreſi potius Pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant. Ita contigiſſe teſtantur Epiſtolæ Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum ſcriptæ : quid ergo in eo peccavit Molina referens id quod acciderat ?

422. In quarta propoſitione, quam Molinæ affingit, fides *Pſeudophilalethis* omnino deſideratur. Aſſerit Molinam ſcripſiſſe 1ª parte q. 23. diſp. 1. m. 6. §. Ex his patet, *Auguſtini ſententiam à multis duram nimis, indignamque divinâ bonitate ac clementia judicari non mirum.* §um illum prout in Molina jacet exhibeo, ut pateat *Pſeudophilalethis* impoſtura.

„ Ex his patet, opinionem de prędeſtinatione quo „ ad illud ſecundum, qualem ſupra diximus nonnul- „ los eam amplecti ac defendere, tribuendā non eſſe „ Auguſtino, neque D. Thomæ, qui Auguſtini eſt „ tantùm veſtigia ſecutus, manifeſtè affirmans Deum „ velle omnes univerſim homines ſalvos fieri, ſi per „ ipſos non ſteterit. Imò verò eſto; hi duo Patres in „ eam ſententiam inclinaſſent, ſalvâ eorum reveren- „ tiâ, quæ illis debetur maxima, quoad illud ſecun- „ dum admittenda non eſſet. Neque enim miror „ opinionem illam eo pacto intellectam à multis du- „ ram nimis, indignamque divinâ bonitate & cle- „ mentia judicari.

423. Quâ ergo veritate ſcripſiſti Molinam affirmare *Auguſtini ſententiam à multis duram nimis, indignamque divinâ bonitate & clementiâ judicari.* Cùm Molina expreſsè ſententiam illam, de qua id pronun-

ciat, ab Auguſtino removeat prædictis verbis : *Ex his patet opinionem de prædeſtinatione, quoad illud ſecundum, qualem ſupra diximus nonuullos amplecti ac defendere, tribuendam non eſſe Auguſtino* : atqui illa eſt ſententia quam affirmat multis nimis duram videri : ergo verba hæc non afficiunt ſententiam Auguſtini. Manet ergo quod Molinæ falſiſſimè prædictam propoſitionem adſcripſeris.

CAPUT TERTIUM.

Inanis Pſeudophilalethis conatus ad conciliandos inter ſe diſcipulos, ut vocat, Auguſtini & Thomæ.

SECTIO PRIMA.

§. I.

Quinam ſint diſcipuli illi quorum Magiſtros facit Auguſtinum & Thomam.

324. Vtriuſque partis conciliandę nomen ſanè ambitioſum : Eximii prorſus Magiſtri, quorum ſpeciales diſcipuli à *Pſeudophilalethe* prædicantur.

cantur: quorum diſſidium egregius pacificator ſuſcepit componendum. Nihil Auguſtino, nihil Thomâ, quo ad doctrinę magiſterium, illuſtrius. Uterque fulget ſolis inſtar illimis doctrinæ limpidiſſimo ſplendore. Magnum aliquid eſt & ſanè glorioſum tantorum Magiſtrorum diſcipulum dici & eſſe: Magiſtri enim ſingularis præſtantia, diſcipuli gloria eſt.

425 At non omnes qui tam illuſtrium Eccleſiæ Doctorum diſciplinâ gloriantur, ſemper germani ſunt illorum diſcipuli; ſed non rarò ſpurii. Hujuſmodi ſunt quos *Pſeudophilalethes* appellat magni Auguſtini diſcipulos: dicere debuerat Pſeudo-Auguſtini: noti enim illi ſatis ſupérque, qui diſcipulorum Auguſtini ambitioſum nomen affectant, ut ſub umbra hujus nominis errores ſuos contegant. Noti qui ſeſe quà verbo, quà ſcripto intrepidos gratiæ defenſores paſſim jactitant. Alii verò, quos nominat Angelici Doctoris diſcipulos, propugnatores ſunt phyſicæ prædeterminationis. Quàm autem ſinceri ſint hac in parte tanti Magiſtri diſcipuli, jam non diſputo: degeneres eſſe abundè probarunt Petrus à S. Ioſeph in ſua inexpugnabili D. Thomæ defenſione; atque Eximius Dominus de Cerf in accuratiſſimo examine ſuo Angelicæ mentis circa prædeterminationes phyſicas: quàm, inquam, fideles ac germani ſint hac in parte D. Thomæ Sectatores, jam non diſcutio: neque hoc nomen illis invideo; dummodò & ipſi illud æmulis ſuis non invideant. Nec verò invidiæ locus eſt: utrique enim honori ſunt & gloriæ Doctori An-

Digitized by Google

gelico, dum illum ſibi vindicare ſatagunt. Enimverò niſi utriſque magno eſſet in pretio tanti Magiſtri autoritas, non adeò ſtrenuè pro illa decertarent. Hoc tantùm aſſero *Pſeudophilalethem* ſpurium eſſe inter Thomiſtas Neotericos: neque enim ut illi, libertatem explicat; ſed ut damnatæ ſectæ diſcipuli; ut infra demonſtrabitur.

426. Haud equidem poſſum ſat mirari quomodo *Pſeudophilalethi* id conſilii in mentem venerit, ut extrema duo inter ſe circa utrumque naturæ ſtatum & ſtantis & lapſæ adeò diſſita in unum conjungere adlaborarit. Non mihi dubium eſt quin illi, quos vocat inani titulo Auguſtini diſcipulos, ſeſe in riſum effuderint, cùm legerunt quæ ſcripſit *Pſeudophilalethes* pro hac umbratili conciliatione; ubi videre phyſicæ prędeterminationis aſſertores contorto collo, & quantumvis reluctantes à *Pſeudophilalethe* pertrahi in ipſorum placita de utriuſque naturæ ſtatus diſcrimine: ſeſe autem in eam prędeterminantium ſententiam agi, quam Magiſter eorum Pſeudo-Auguſtinus irridet & explodit lib. 8. de gratia Salvatoris cap. 2. his verbis: *Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentium ex vi cauſæ primæ & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici quàm Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolùm nullo teſtimonio ejus probari poteſt; ſed potius univerſam doctrinã ejus innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat.* Et verò utriuſque ſectæ hac in re placita adeò ſunt inter ſe

pugnantia, ut facilius concilianda ſit concordia inter frigus & calorem, quàm inter utriuſque partis circa geminum naturæ ſtatum ſententiarum diſſidia. Septem adfert *Pſeudophilalethes* diſcrimina quibus tollendis ſudat; ſed quàm infeliciter operam poſuerit, liquebit ex dicendis.

§. 2.

Expenditur diſtinctio phyſicæ Prædeterminationis in univerſalem & particularem, & oſtenditur varios errores involvere.

427. HVic uni diſtinctioni innititur tentata à *Pſeudophilalethe* concordia: ſed cùm inane poſuerit fundamentum multisque erroribus implexum, neceſſe eſt, vel ut ſponte ſuâ corruat, quidquid ſuper illud erexit; vel certè non niſi diſtortum aſſurgat. Prius igitur quàm ſingula contrarietatis capita in conciliationem vocata diſcutiamus; operæ pretium erit jactum hujus diſtinctionis pro ſtabilienda concordia fundamentum evolvere, ut omnibus pateat quàm inane ſit, quàm erroneum.

428. Prædeterminationem geminam ſic deſcribit num. 73. *Prima*, inquit, *prædeterminatio eſt univerſalis,*

ſalis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum mediante conſilio & dependenter ab actu præcedente. Secunda prædeterminatio eſt ſpecialis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum independenter à conſilio, & actu præcedente. Primam aſſerit ſuffeciſſe, dum ſtaret natura integra, ad rectè operandum. Alteram verò neceſſariam eſſe naturæ jam collapſæ & corruptæ. Hæc ſunt ejus verba num. 87. *Præcipua utriuſque naturæ in ordine ad gratiam rectè vivendi differentia ſecundùm S. Thomam eſt* (quàm immeritò appellet D. Thomam jam non diſputo, patefacient quæ infra dicentur) *quod homo ſanus non alio auxilio indigeat, quàm auxilio univerſalis prædeterminationis, ſive concurſus generalis quo Deus in omni operante operatur, eum ad operandum applicando. Homo infirmus alio auxilio ſpecialis prædeterminationis indiget ad rectè operandum &c.*

PRIMUS ERROR

Hominem lapſum numquam applicare ſe ad bonum ex præviâ deliberatione.

429. ITaque juxta *Pſeudophilalethem* homo infirmus hoc eſt ſpectatus in hoc ſtatu naturæ corruptæ nunquam ſe ad bonum applicat mediante conſilio, & ex actu aliquo præcedente; quia ſcilicet ad recte operandum ex ejus placito ſemper indiget auxilio ſpecialis iſtius prædeterminationis, quæ, vt

patet

patet ex ejus definitione jam allata numero præcedenti, conſilium excludit & actum præcedentem. Si ita eſt; ergo homo infirmus numquam deliberatè bonum operatur: quia,vt docet, nunquam illud agit mediante conſilio: vbi autem non eſt conſilium, ibi nec deliberatio. Ergo nunquam liberè bonum operatur: quia vbi nulla deliberatio, nulla libertas. Ergo nunquam ex aliquâ pręcedente volitione boni à Deo acceptâ vlterius movet ſe per liberum conſenſum, per liberam potentiarum ſuarum applicationem ad bonum illud exequendum; ſi autem non movet ſe, ſi non applicat ſe, vbi libertas? ſed de hoc *Pſeudophilalethis* errore vberius infra capite quinto vbi ex profeſſo de illius erroribus. Satis erit jam oſtendere vtrumque eſſe falſiſſimum; nempe hominem lapſum nunquam benè agere mediante conſilio,& ex actu præcedente.

430. Hujus aſſerti falſitatem non ſolum ratio demonſtrat à libertate petita; ſed ipſa etiam experientia evincit. Ecquis enim non experitur conſilia & deliberationes de bono operando? ecce aliquis divitiis affluens excitatur à Deo, vt opes ſuas in aliquod opus pium impendat: excitanti Deo conſentit, ſtatuitque, quod inſpiratum eſt, fideliter exequi. Verum necdum intelligit ecquod ſit opus illud in quod theſauros ſuos inſumat: necdum decrevit in hoc potius quàm in iſtud illos expendere. Numquid is ſic à Deo motus conſilia tunc agitat cui potiſſimum operi nummos ſuos conſecret? numquid poſt aliquam deliberationem beneficio gratiæ certum ali-

quid tandem ſtatuit, & eadem adjuvante exequitur? quomodo ergo verum eſt hominem infirmum nunquam mediante conſilio bonum operari? quomodo verum eſt illũ ſemper agere ex ſpeciali illa prędeterminatione, quæ conſilium & deliberationem excludit?

431. En alter illuſtratus à Deo rerum omnium quas tam avidè ſectantur homines, inſtabilitatem introſpiciens, & cæleſti aliqua inſpiratione in earum abdicationem impulſus, decernit mundo nuntium remittere, & vitæ religioſæ inſtitutum aliquod amplecti: eccui autem nomen potius adſcribat Divine Dominici, an Seraphici Franciſci Familiæ; an vtrique Iesv Societatem præferat, aut Divorum Benedicti & Bernardi cœnobia, incertus hæret, ancepſque conſilii; numquid is iterum atque iterum ſecum deliberat, & quandoque alios conſulit, vt prudentem faciat vitæ religioſæ delectum? ac demum poſt habitam deliberationem non abſque illuſtrantis gratiæ directione, & excitantis impulſu, adjuvantiſque beneficio ſtatuit Divi v. g. Franciſci regulam profiteri; aut ſub Iesv vexillo militare: numquid hæc electio & ſubſequens habitus religioſi ſuſceptio bona eſt, & vitæ ęternæ digna præmio? numquid tamen vtramque præceſſit conſilium & deliberatio? numquid à generali religioſi inſtituti volitione ad vlteriorem hujus præ altero electionem mediante conſilio progreſſus eſt? quomodo ergo verum eſt quod ſcribit *Pſeudophilalethes*, in hoc ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam eſſe ſpecialem illam prædetermi-

nationem

nationem quâ homo ſine prævià deliberatione, & abſque actu præcedente moveatur ad bonum?

SECUNDUS ERROR.

Hominem ſanum non indiguiſſe ſpeciali auxilio ad bene operandum. Ex quo conſequuntur varii alii errores.

432. NEc minus falſum eſt & erroneum, hominem ſanum ac integrum in ſententia prædeterminationes phyſicas admittentium non alio auxilio indiguiſſe ad actus bonos, dignoſque vitâ æternâ, quàm adjumento univerſalis prędeterminationis, ſive, ut loquitur, *concurſus generalis quo Deus in omni operante operatur*. Ex hac enim doctrina tanquam ex ſcaturigine vitioſa non pauci profluunt errores. Etenim ſi homo ante lapſum auxilio dumtaxat generali, quo Deus in omni operante operatur, egebat, ut crederet, ut ſperaret, ut amaret, ſicut expedit ad ſalutem: ergo non minus habebat in poteſtate ſua actus illos fidei, ſpei, & charitatis, quàm quoſlibet alios naturales. Ergo quemadmodum debita erat homini prędeterminatio univerſalis ad naturalia opera; ita etiam debebatur ad ſupernaturalia: ergo vel illa

exercebat

exercebat ſine auxilio gratiæ ; vel certè iſtud auxilium habebat ſimul rationem debiti & gratiæ, quod repugnat. Ergo opera gratiæ non magis erant Dona Dei quam naturæ opera ; quia ad vtraque tantummodo opus habebat auxilio generali. Ergo ipſum beneficium perſeverantiæ non fuiſſet ſpeciale aliquod Dei donum, quia non profluxiſſet ex aliqua ſpeciali gratia, ſed ex vniverſali dumtaxat, vt actus cæteri, prædeterminatione : ergo non erat quod Deum oraret, quod precibus auxilium ejus expoſceret ; quia non alio egebat auxilio, quam concurſu generali quo Deus in omni operante operatur, qui ſemper paratus eſt & operanti debitus. Alia multa prętermitto, quæ vlterius deduci poſſunt ex hoc *Pſeudophilalethis* principio : hęc abundè ſufficiunt, vt aperiant illius falſitatem & vitium.

433. Expectas forſitan lector, vt has conſecutiones repellat *Pſeudophilalethes*, clametque perperam hęc omnia inferri : imò pleraſque ex illis ipſemet deducit ex doctrinâ à ſe traditâ. Sic enim ſcribit num. 81. „ Hinc fit vt homo ſanus duplicem illam haberet poteſtatem rectè vivendi, quam in primo principio explicuimus §. 2^di^. hujus articuli, artem nempe rectè vivendi ex perfecta agendorum cognitione, & amorem juſtitiæ ex perfecta appetitus ſubjectione. Ex hac enim ſubjectione poterat homo ſanus in particulari operabili mediante conſilio & ex pręcedente alio actu ſibi dare amorem juſtitiæ, ſine quo præcepta impleri non poſſunt. Unde poterat in bono quod acceperat perſeverare ſi vellet,

Digitized by Google

„id eſt poterat ſine aliquo ſpeciali auxilio ſibi dare „voluntatem perſeverandi, quamvis ad hoc indige-„ret auxilio generali quo Deus in omni operante operatur. *Vides disertè ab ipſo aſſeri nullum aliud auxilium neceſſarium fuiſſe ad perſeverandum, quàm generale ad operandum. Pergit.* „Ideò juxta 2dum. principium adim-„pletio præceptorum ſive naturalium ſive ſuperna-„turalium tribuebatur libero arbitrio, ut applicanti, „non Deo; eratque in poteſtate hominis ſani abſ-„que aliquo ſpeciali auxilio ea adimplere: non mi-„nus ac eſt in noſtra poteſtate loqui & ambulare: „ſicut enim quando volumus loqui & ambulare, lo-„quimur & ambulamus, ita quando homo ſanus vo-„lebat credere, ſperare, & amare Deum ex toto cor-„de, credebat, ſperabat, & ex toto corde amabat. „& ſicut loqui & ambulare eſt in poteſtate noſtra, „etiamſi ad loquendum & ambulandum debeamus à „Deo prædeterminari; ita credere, ſperare, & ama-„re erat in poteſtate hominis ſani, etiamſi ad creden-„dum, ſperandum, & amandum debebat à Deo „prædeterminari. Ratio utriuſque, quod illa præde-„terminatio ſit univerſalis quâ Deus in omni ope-„rante operatur, & quæ, ut dictum eſt, non tollit „quin actus ſit in poteſtate voluntatis, eique & non „Deo tribuatur.

434. Non eſt igitur quod 1am 4tam & 5tam illationem meam vlterioribus argumentis ſtabiliam; cum & ipſe eaſdem illationes faciat ex doctrinâ ſuâ: aliæ verò tres ex aliis conſequantur. Si enim homo ſanus non minus in poteſtate habebat actus fi-

dei,

dei, ſpei, & charitatis, quam motus pedis aut linguæ; ſi ad illos egebat auxilio tantum generali, vt diſertè vtrumque aſſerit: quemadmodum igitur debitum erat auxilium generale vt pedem ad inceſſum, aut linguam moveret ad loquendum: ita quoque vt crederet, vt ſperaret, amaretque vt expediebat ad ſalutem: aut certè ſi non erat actibus illis debitum, minus illos habebat in ſua poteſtate quàm alios actus naturales: namque minus eſt in poteſtate noſtrâ, quod dependet ab auxilio nobis indebito, quàm ab eo quod debetur. Quod Si jam auxilium hoc erat debitum, quomodo habebat rationem gratiæ?

§. 3.

Refellitur reſponſio Pſeudophilalethis.

435. VIdetur *Pſeudophilalethes* huic illationi occurrere num. 82. dum dicit, *nec ex hac doctrina ſequitur* (omitto quod addit *Auguſtini*; abſit enim ut hæc doctrina ſit Auguſtini) *merita ſtatus innocentiæ non eſſe ſimpliciter dona Dei: ſunt enim dona Dei: quia à gratia gratis datâ eliciuntur, & à prædeterminatione ſupernaturalis ordinis prædeterminantur.* Diligenter, qui hæc legis, animadverte ad ſequentia. *Eo modo quo opera naturalia ſunt dona Dei, quia à natura gratis data eliciuntur,*

eliciuntur, & à prædeterminatione naturalis ordinis prædeterminantur. Non enim opera ſupernaturalia ſtatus innocentiæ differunt ab operibus naturalibus ex modo operandi, ſed ex objecto. Et ideò non alio ſpeciali modo tribuuntur Deo quàm opera naturalia, niſi quod hæc ſint dona Dei ut autoris naturæ; illa ſint dona Dei ut autoris gratiæ.

436. Si merita hominis in ſtatu innocentiæ, ſi actus ſupernaturales, quibus hæc merita comparaſſet, non alio modo fuiſſent dona Dei, ac cæteri actus naturales: ſi non aliter debuiſſent illi tribui ac naturæ opera, ut liquido ſcribit *Pſeudophilalethes*; quemadmodum ergo actiones naturæ non rectè dicuntur opera gratiæ, licet procedant à natura gratis data: quia nempè ſuppoſito quod natura ſit gratis conceſſa, non eget illa auxilio aliquo ſibi indebito ut actiones illas exerceat: ita quamvis juſtitia originalis complectens, ut ipſe explicat num. 81. *artem rectè vivendi ex perfecta agendorum cognitione, & amorem juſtitiæ, ex perfecta appetitus ſubjectione.* In quibus adæquatè conſtituit in homine ſano plenam poteſtatem ad præcepta implenda, ad credendum, ad ſperandum, ad amandum, atque in his omnibus perſeverandum; quamvis, inquam, hæc juſtitia originalis fuiſſet donum Dei gratuitum; quia tamen illâ ſuppoſitâ, acceptâque ab ipſo naturæ exordio, non opus fuiſſet homini in illo ſtatu, juxta *Pſeudophilalethem*, ullo ulteriore actuali auxilio ſpeciali ad univerſæ legis impletionem, ipſamque perſeverantiam; ſed ad id ſuffeciſſet auxilium generale quo Deus in omni operante operatur: contendo auxilium iſtud non poſſe

dici

dici gratiam, quia generale, quia debitum; proindéque hominem ſanum, juxta hoc placitum, potuiſſe & credere, & ſperare, & amare, legémque univerſam implere, ac denique perſeverare abſque ulteriori gratia, quod omnino videtur erroneum, & damnatum In Baio propoſitione 7ª. quâ aſſerebat *primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera*, inter quæ non minus juſtitiam originalem comprehendebat, quàm ipſe *Pſeudophilalethes*.

§. 4.

Homo ſanus juxta Pſeudophilalethem non debuiſſet auxilium Dei implorare.

437. DEbuiſſe primos parentes orare, ut tentationem vincerent, & in juſtitia perſeverarent docet Gelaſius I. in opuſculo quod habetur tom. 2. Conc. Cum hac inſcriptione *Beatiſſimi Gelaſii Papæ primi dicta adverſus Pelagianam hæreſim.* Sic igitur illic pronuntiat. *Si in ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur; nec de perceptis gratiis referendo, nec ut eadem intemerata durarent ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt, quantò magis poſt prævaricationis ruinam &c.*

438.

438. *Hæc eadem infra vberius atque validius iterum ſic inculcat: Hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tanquam ipſo, qui condiderat, non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur; nec de conſervandis quæ ſumpſerat, poſcit auxilium: nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu, devota concurrit, & conſulit, ſuæque ſe credit inter proſpera voluntati, facilè ſine præſidio Creatoris patuit deceptoris inſidiis &c.*

Certum igitur eſt ex Gelaſio Papa fuiſſe etiam integro homini orandum, ad victoriam tentationis, & perſeverantiam juſtitiæ impetrandam. Contrarium autem evidenter ſequitur ex ipſa *Pſeudophilalethis* argumentatione, quam inaniter urget adverſus ſcientiæ mediæ defenſores pro ſtatu naturæ in peccatum prolapſæ, ut paulò poſt oſtendetur: ictum autem fatalem incutit autori ſuo pro ſtatu innocenti.

439. a Itaque ſic habet num. 110: „ Ut hęc ratio „ in ſua vi percipiatur, attentè obſervandum eſt indi-„ gentiam concurſus generalis (ſive ſit ſecundùm „ Moliniſtas pediſſequus, ſive ſit ſecundùm verita-„ tem prævius) non inducere neceſſitatem orationis, „ quia cùm neceſſitas orationis ſit ſolùm pro actibus „ qui non ſunt in noſtra poteſtate, ut ait Auguſtinus; „ & illi actus qui ſunt in noſtra poteſtate, indigeant „ etiam concurſu generali, clarum eſt quod ſola in-„ digentia concurſus generalis non inducat neceſſi-„ tatem orandi. Vnde oportet nos, dum oramus, in-„ digere aliquo ſpeciali auxilio. Hæc autem ſpeciali-„ tas non poteſt oriri ex ipſo actu, ſiquidem auxi-„ lium nihil aliud conferens quàm actum, ſive auxi-

R lium

„ lium purè applicans ad actum, non tollit quin a-
„ ctus ſit in noſtra poteſtate, & conſequenter extra
„ neceſſitatem orandi. Nec illa ſpecialitas poteſt ori-
„ ri ex ſupernaturalitate actus; quia ſufficiens poſ-
„ ſe ſupernaturale non minus facit actum eſſe in no-
„ ſtrâ poteſtate, quàm ſufficiens poſse naturale; &
„ ideò auxilium ſupernaturale purè applicans non
„ magis inducet neceſſitatem orandi, quàm auxilium
„ naturale purè applicans. Oportet igitur ut ſpeciale
„ auxilium inducens neceſſitatem orandi, conferat ali-
„ quid ex parte poſſe, & in hoc conſiſtat ejus ſpecia-
„ litas: etenim non carentia actus, ſed virium indi-
„ gentia facit nos orare.

440. Tot ferè in ſe fatalia contorſit tela quot verba exaravit: 1° enim aſſerit & quidem rectè, indigentiam concurſus generalis non inducere neceſſitatem orationis: atqui ſupra num. 433. docuit (ſed hoc non rectè) hominem necdum peccato vitiatum non alterius concurſus ad rectè operandum, vt expedit ad ſalutem, indigentiam habuiſſe, quam auxilii generalis, quo Deus *in omni operante operatur*: ergo juxta illum non fuit homini incorrupto auxilium ad ſalutem operandam precibus à Deo petendum.

441. Deinde dicit, nec malè, illos ſolos actus qui non ſunt in poteſtate noſtrâ, adſtringere nos ad orandum: atqui ſupra tradidit (ſed hoc malè) hominem integrum habuiſſe in ſua poteſtate actus fidei, ſpei, & charitatis, impletionem præceptorum, ipſamque perſeverantiam, non minus quàm nos pedis ac

linguæ

Digitized by Google

linguæ motum : ergo homini integro, juxta eum, vt crederet, vt ſperaret, vt amaret, vt legem impleret, vt perſeveraret non fuit orandum.

442. Poſtea ex dictis infert, oportere nos, dum oramus, indigere aliquo ſpeciali auxilio: atqui, vt ſcripſit num. 433. ſępiuſque repetiit, homo ſanus non indiguit vllo ſpeciali auxilio ad actus ſupra memoratos: ergo juxta eundem nullam habuit propter eos orationis indigentiam.

443. Denique ea removet, propter quæ videri poſſet adhuc ſupereſſe aliqua in eo ſtatu orationis neceſſitas, nempe quod actus prædicti eſſent ſupernaturales, quod egerent generali prædeterminatione potentiam ad actum applicante; *quia*, inquit, *ſufficiens poſſe ſupernaturale* (quale juxta eum acceperat primus homo cum ipſa juſtitia originali, itaut non egeret vlteriore aliquo ſpeciali auxilio) *non minus facit actum eſſe in noſtrâ poteſtate, quàm ſufficiens poſſe naturale; & ideo auxilium ſupernaturale purè applicans non magis inducit neceſſitatem orandi, quàm auxilium naturale purè applicans.*

§. 5.

Inaniter objicit Pſeudophilalethes quod tollamus orandi neceſſitatem.

444. HÆc autem omnia inania eſſe adverſus ſcientiam mediã in hoc ſtatu naturæ corruptæ clariſſimè demonſtro. primo enim dicit non eſſe orandum pro auxilio generali, ſed tantùm pro ſpeciali & indebito: atqui auxilium quod prærequirimus ad rectè operandum, ad præcepta implenda, ad perſeverandum, prorſus ſpeciale eſt ac omnino indebitum; ergo juxta nos maximè orandum eſt pro illo impetrando. 2o. Docet non eſſe Deo ſupplicandum pro actibus quos habemus in noſtra poteſtate: atqui juxta doctrinam noſtram actus boni vitam æternam promerentes non ſunt in noſtrâ poteſtate abſque ſpeciali auxilio gratiæ prævenientis & adjuvantis: ergo vt auxilium illud obtineamus illis exercendis neceſſarium, juxta eandem doctrinam Deo ſupplicandum eſt. 3o. *Oportet*, inquit, *vt ſpeciale auxilium inducens neceſſitatem orandi conferat aliquid ex parte poſſe, & in hoc conſiſtat ejus ſpecialitas : etenim non carentia actus, ſed virium indigentia facit nos orare*: atqui

auxilium

auxilium ſpeciale quod docemus neceſſarium vt benè operemur, ſicut expedit ad ſalutem, dat nobis id poſſe, & abſque illo vires noſtræ minimè ſunt ſufficientes : ergo auxilium à nobis requiſitum inducit neceſſitatem orandi.

445. Uidès lector ex omni parte quâ contendit ſcientiæ mediæ defenſores tale auxilium admittere, quod orationis indigentiam excludit, prorſus contrarium ſtabiliri : adeo infelix eſt illius in adverſarios conatus.

Poſtquam ictu in nos planè irrito, in ſe autem fatali verbis relatis num. 439. decertavit ; velut inter ſomniandum triumphabundus applaudit ſibi ; nobiſque illudit : ſed imprudens iterum arma valida in ſe contorquet, at non niſi puerilia in adverſarios.

„ 446. Hac, *inquit*, ratione non vrgetur gratia ſuffi-
„ ciens oblata ; ſiquidem quod offertur adhuc peti
„ debet : ſed mirum in modum anguſtiatur gratia
„ ſufficiens Moliniſtica : nam Moliniſtæ Deum de-
„ precanti vt tentationem vincat, præceptum imple-
„ at, &c. Deus juſtiſſimè reſpondebit : quid me depre-
„ caris ? credis te accepiſſe gratiam ſufficientem vlte-
„ riori meo auxilio non indigentem : quid vltra
„ tibi facere debui & non feci ? ecce concurſum
„ meum indifferentem paratum habes, illum deter-
„ mina ; tuam expecto determinationem ; Ego igi-
„ tur non ſum à te rogandus, cum concurſus meus
„ ſit à te determinandus ; ſed magis te debeo roga-
„ re, vt digneris illum determinare.

447. Singulas partes hujus ſarcaſmi non nihil

 excutiamus.

excutiamus. ais ergo, *Pſeudophilalethes*, credere Moliniſtam ſemper ſe habere gratiam proximè ſufficientem, vlteriori proinde auxilio non indigentem, vt tentationem vincat, aut bonum aliquod operetur: ideoque Deum illi deprecanti ſe juſtiſſimè reſponſurum, *quid me deprecaris? credis te accepiſſe gratiam ſufficientem vlteriori meo auxilio non indigentem &c.*

448. Neceſse eſt, aut inſcitiâ doctrinæ noſtræ labores, aut vitio malæ fidei: inſcitiâ quidem, ſi putes juxta placita noſtra gratiam proxime ſufficientem tentationi vincendæ, aut bono alicui perficiendo ſemper illi adeſse, qui gravi aliqua tentatione in malum impellitur, aut quodpiam opus bonum aggreditur; id enim à doctrinâ noſtrâ alienum eſt. Malæ autem fidei vitio, ſi doctrinæ noſtræ non ignarus, id nobis impoſueris. Malim primum credere, & te quid hac in re ſentiamus edocere.

449. Hæc eſt igitur, *Pſeudophilalethes*, doctrina noſtra, nunquam tentato deeſse gratiam aut proximè aut remotè ſufficientem vt tentationem vincat: nunquam pariter illam deeſse opus aliquod bonum aggredienti, vt illud perficiat. Gratiam autem appello remotè ſufficientem, quæ data eſt, vt per orationem vires proximè ſufficientes impetrentur; atque validiſſimè contendo nunquam tentato deeſse gratiam vt oret, & orando proximè ſufficientem impetret ad vincendum, nec illam dari ſolitam, niſi per orationem impetretur, juxta illud Chriſti *petite & accipietis.* Et iſtud: *orate vt non intretis in tentationem.*

Longam ſeriem auctorum noſtrorum id affir-

mantium

mantium producerem, niſi in re clara id foret ſuperfluum. duos tantum præcipui nominis hujus veritatis teſtes appello Bellarminum & Suarem.

450. Cum primus lib. 2º de gratia & lib. arb. cap. 7. hanc concluſionem poſuiſset, *auxilium ſufficiens ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus hominibus, & omni tempore vel immediatè vel mediatè à divinâ benignitate præſtatur.* Explicans concluſionem ſuam ſubjicit, *Dicimus deinde mediatè vel immediatè: quoniam certum eſt aliquos non habere ſufficiens auxilium, quo poſſint immediatè reſiſtere tentatori, & evitare peccatum: tamen habere auxilium quo poſſint à Deo majorem gratiam, majoreſque vires, majora denique præſidia impetrare* (utique per orationem) *quibus adjuti omnino tentationi reſiſtent, & peccata vitabunt.*

451. Alter autem lib. 4. de auxilio gratiæ ſufficiente & efficaci cap. 10. ſub finem, ut oſtendat peccatori obdurato non deeſse omnino auxilium ſufficiens ad vincendam tentationem, eo recurrit quod poſſit orare, & orando illud impetrare. *Denique*, ait, *talis peccator cùm habeat fidem, poteſt per illam orare, & ad hoc ſufficienter excitatur ipsâmet tentatione & periculo: ſi autem oret, ſicut oportet, non denegabitur auxilium.*

452. Vide igitur quanta inſcitia doctrinæ noſtræ in te fuerit, dum ſcripſiſti nos admittere auxilium ſufficiens ita ſemper omnibus datum, ut nulla ſit orationis neceſſitas ad illud impetrandum. Quomodo enim orationis neceſſitatem excludimus, qui affirmamus gratiam proximè ſufficientem ad tentationem ſuperandam, ad parendum præcepto, ad per-

 ſeverandum

ſeverandum, plerumque eſſe per orationem impetrandam? Excluditne orationem, qui gratiam ſufficientem in omnibus agnoſcit ad orandum, ut orando proximè ſufficientem impetret?

453. Vide quàm ineptè, & quanta cum Dei injuria Deum inducas Moliniſtæ id objicientem, *Quid me deprecaris? credis te accepiſſe gratiam ſufficientem ulteriori auxilio meo non indigentem*; id enim falſum eſt: cùm ſcientiæ mediæ defenſor tantùm credat non deeſſe ſaltem ſibi gratiam ad orandum, ut orando ulteriorem vincendæ tentationi neceſſariam impetret. Imò è contrario, ſi non oret, poteſt illum veriſſimè hunc in modum redarguere: quid me non deprecaris; cùm credas non deeſſe tibi gratiam ut ores, & orando gratiam impetres ad vincendum. Tibi igitur imputa ſi vinceris: namque ego paratiſſimus eram auxilium ſufficiens, imò & efficax, ſi illud, ut oportet, poſtulaſſes, tibi liberaliter largiri vt vinceres.

454. Etiamſi autem ſupponeres gratiam ſufficientem ante orationem fuiſſe jam datam: enimverò eſſet adhuc quod Deum ardenter deprecaremur, ut eam nobis largiretur, quam victricem prævidiſſet; cùm beneficium ſit longè majus, auxilium illud obtinere, non tantùm quo poſſimus vincere; ſed quo reipsà victores evadamus.

455. Numquid ſtupes, Lector cordate, *Pſeudophilalethem* auſum fuiſſe tam falsò ſcribere ſcientiam mediam orationis neceſſitatem excludere, cùm illam, ut jam vidimus, maximè adſtruat? numquid ſtupes illum ſic Moliniſtam contumelioſè alloquentem? O

Moliniſta

Moliniſta, nonne ſecundùm Auguſtinum irriſoria eſt petitio tua, dum determinationem tui liberi arbitrii, quam Deus præcipit, à Deo petis, & credis ipſum non dare; ſed ipſo non donante eſſe in tua poteſtate: nolite errare, inquit Apoſtolus, Deus non irridetur &c.

456. Quot verba, tot ferè impoſturæ: quod à Deo directè petimus, non eſt ipſa determinatio arbitrii noſtri: ſed gratia determinationi neceſſaria. Quomodo credimus ipſum non dare nobis voluntatis determinationem, qui agnoſcimus, & uno ore profitemur Deum gratiâ ſuâ efficaci inviɛtiſſimè efficere, ut voluntatis noſtræ ſubſequatur determinatio ad illud faciendum, in quod ab illâ propellimur? quomodo credimus liberi arbitrii ad bonum determinationem eſſe in poteſtate noſtrâ ipſo non donante, qui nullam eſſe poteſtatem noſtram ad hujuſmodi determinationem ſine ſpeciali Dei auxilio prædicamus? Deus certè non irridetur impunè; Deum irriſiſti, dum illum tam vana & falſa Moliniſtis induxiſti objicientem. Irridet enim Deum, quiſquis illum inducit aut vana loquentem, aut falſa.

457. Lubet nunc in te tela tua retorquere, & in eas te anguſtias conjicere, ex quibus, ni fallor, non evades. *Hac*, inquis, *ratione non urgetur gratia ſufficiens oblata, ſiquidem quod offertur adhuc debet peti, ut donetur.* Id quidem rectè; cùm ergo admittamus gratiam proximè ſufficientem non eſse ſemper actu datam, ſed plerumque tantùm oblatam; juxta nos adhuc peti debet ut donetur. ſed videamus quàm hæc bellè conveniant principiis tuis:

458. Quæro ex te, qui gravi tentatione urgetur ad peccandum, habetne gratiam tantùm oblatam ut oret? atqui orare non poteſt, quemadmodum oportet ad impetrandum, niſi actu ſit data: ergo, ſi juxta te, gratia ad orandum neceſſaria ſit tantummodò illi oblata, nequit fieri ut oret. Quod ſi actu ſit data, non eſt quod ſit de orando juxta doctrinam tuam ſollicitus; nullam enim gratiam agnoſcis quæ non ſit efficax, quæ illam habentem non prædeterminet phyſico influxu, applicétque invictiſſimè actioni ad quam datur: ſi ergo tentatus habeat gratiam actu datam ut oret, non eſt quod de orando ſit ſollicitus; fieri enim non poterit, ut non oret, quia per eam efficaciſſimè applicabitur orationi. Aut igitur orationem excludis à natura lapſa, ſi gratiam orando neceſſariam aſſeris ſolummodò eſſe oblatam: aut ſollicitudinem orationis removes, ſi affirmas, ſemper eſſe actu datam, quando oratione opus eſt.

459. Prætereà contendis hominem lapſum quandoque in eo ſtatu verſari, in quo orandi non habeat poteſtatem. Hæc ſunt tua verba num. 116. exarata. *Non igitur omnes accipiunt orationem, cùm non omnes ad Deum recurrant: nec etiam orandi omnes habent poteſtatem, cùm non omnes cognoſcant ſuam infirmitatem: nam ſicut actualis cognitio requiritur ut voluntas ſit ſufficienter potens ad volendum: ita actualis cognitio ſuæ indigentiæ & infirmitatis requiritur, ut voluntas ſit ſufficienter potens ad petendum Dei auxilium: ac proinde qui credit ſe potentem, impotens eſt ad orandum.*

460. Cùm dicas abſolutè hujuſmodi hominem

ſuperbum

Digitized by Google

ſuperbum non poſſe Deo ſupplicare, quoniam non agnoſcit infirmitatem ſuam; utique exiſtimas illum nec gratiam habere quâ poſſit impotentiam ſuam agnoſcere; etenim ſi illam haberet, poſſet noſſe ſe eſſe auxilio indigentem, atque adeò pro illo impetrando preces ad Deum fundere; cùm in illum unum cognitæ infirmitatis defectum refundas impotentiam orandi. Vide igitur quàm miſerandum in ſtatum hujuſmodi hominem conjicias, in quo ſcilicet non tantùm careat auxilio ſufficienti ad rectè operandum; ſed etiam neceſſario faciendæ orationi, quâ illud impetret. Tu nobis inaniter objiciebas & falſiſſimè, ut oſtenſum eſt, excludere nos neceſſitatem orandi: ecce ego ex verbis tuis conficio excludere te ipſam orandi poteſtatem.

§. 6.

Oſtenditur vana eſſe diſtinctio prædeterminationis in univerſalem & ſpecialem, ac prorſus inutilis ad ſcopum intentum.

461. NOn tantùm variis erroribus implexa eſt diſtinctio illa geminæ prædeterminationis prout à *Pſeudophilalethe* explicatur; ſed etiam inepta

epta eſt, prorſusque inanis ad finem quem intendit.

Scopus ejus eſt conciliare Pſeudo-Auguſtini diſcipulos cum Neotericis Thomiſtis circa diſcrimen naturæ ſtantis & lapſæ: in eum finem lapſæ tribuit ſpecialem, quam finxit, prædeterminationem; ſtanti verò univerſalem. Illam autem univerſalem appellat, quæ ſolummodò prædeterminat ad actum mediante conſilio, & dependenter ab actu præcedente eliciendum. Hoc eſt quæ prædeterminat ad actum deliberatum. Specialem autem vocat illam, quæ è contrario prædeterminat ad actum independenter à conſilio & actu præcedente, hoc eſt quæ prędeterminat ad actum non deliberatum: omnis enim actus deliberatus præſupponit conſilium, & priorem actum quo finis intenditur. Verba ejus relata habes num. 428. Si igitur oſtendero in ſententia aſſertorum phyſicæ prædeterminationis neceſſariò in utroque ſtatu utramque prędeterminationem repertum iri, prout à *Pſeudophilalethe* explicata eſt, tam reſpectu actuum naturalium, quàm eorum quæ ſupra naturam ſunt; equidem confecero iſtam prędeterminationis diſtinctionem ineptam eſſe aſſignando diſcrimini inter geminum naturæ ſtatum, proindéque intentæ conciliationi perficiendæ omnino inutilem.

462. Id primum exequor reſpectu actuum ſupernaturalium. neceſſe eſt aut *Pſeudophilalethes* admittat in ſtatu naturæ necdum peccato vitiatæ nullos unquam futuros fuiſſe primos gratiæ motus actibus bonis præcurrentes, quod non videtur ſine errore

poſſe

Digitized by Google

poſſe aſſeri: nullam primam finis ſupernaturalis intentionem, proindéque in infinitas intentiones proceſſum iri, quod repugnat. Vel certè agnoſcat ſpecialem in eo ſtatu prædeterminationem à ſe deſcriptam. Etenim ſi actus bonos præceſſiſſent primi aliqui gratiæ motus; nulla potuiſſet eſſe ad illos prædeterminatio, niſi ſpecialis ad ſenſum *Pſeudophilalethis*: nam primi illi gratiæ motus non fuiſſent mediante conſilio, & ex actu aliquo præcedente, ut liquet. Pariter ſi qua fuiſſet prima finis ſupernaturalis intentio, non alia potuiſſet eſſe ad eam prædeterminatio, quàm ſpecialis ab eo explicata: ſi enim intentio illa profluxiſſet ex actu aliquo præcedente, deſiiſſet eſſe prima contra ſuppoſitum. aut igitur *Pſeudophilalethes* debet in errorem incurrere, ſi primos omnes gratiæ motus ab illo ſtatu removeat: & pugnantia dicere, ſi ab eodem excludat primam finis ſupernaturalis intentionem: aut certè ſpecialem ad utrumque in illo ſtatu agnoſcere, quam deſcripſit, prædeterminationem; proindéque non poſſe ſtatum naturæ integræ in eo diſtingui à ſtatu naturæ corruptæ, quod hic indigeat prædeterminatione ſpeciali ad rectè operandum; ille autem dumtaxat univerſali.

463. Ex adverſo autem neceſſe eſt aut fateatur in hoc ſtatu naturæ languentis nullum eſſe actum bonum ex prævia deliberatione; ſed omnes eſse primos gratiæ motus, quod prorſus hæreticum eſt; nullum actum bonum verſari circa media; ſed quemlibet eſse primam aliquam finis ſupernaturalis intentionem, quod pugnat cum ratione & experientia

entia. Vel profectò, velit nolit, agnoſcat in hoc etiam ſtatu dari aliquos actus bonos qui fiant mediante conſilio & ex actu aliquo priore, atque adeò dari ex ejus mente univerſalem ad illos prædeterminationem; cùm definierit hujuſmodi eſse illam, quæ prædeterminat ad eliciendum actum mediante conſilio & dependenter ab actu præcedente. Quomodo ergo hic ſtatus corruptus in eo diſtinguitur ab incorrupto, quod hic exigat ſpecialem prædeterminationem : incorruptus verò univerſalem?

464. Non tantùm utraque prædeterminatio in utroque ſtatu & ſano & infirmo reperiri debet juxta ejus placita in exercitio actuum ſupernaturalium; univerſalis quidem; prout ab ipſo definita eſt, ad actus ſupernaturales deliberatos: ſpecialis verò ad primos gratiæ motus, ad primam finis ſupernaturalis intentionem, ut jam demonſtratum eſt : ſed utramque etiam in utrolibet ſtatu inveniri neceſse eſt in actuum naturalium exercitio. Nam alii ex illis fiunt mediante conſilio, profluuntque ex priori aliqua finis intentione, proindéque juxta *Pſeudophilalethem* exigunt prædeterminationem univerſalem: cujuſmodi ſunt actus omnes deliberati verſantes circa media. Alii autem neceſsariò primi ſunt in certa aliqua actionum ſerie: alioqui enim nulla unquam nova actionum ſeries inchoabitur; quia niſi detur actus aliquis qui in hujuſmodi ſerie ſit primus, eundum erit in infinitum, cujus nullum eſt exordium. Primi igitur actus illi juxta doctrinam à *Pſeudophilalethe* traditam ſpecialem prædeterminationem poſtulant, quia fiunt inde-

independenter à conſilio & actu præcedente.

I nunc, *Pſeudophilalethes*, & demonſtra, ſi potes, diſcrimen utriuſque ſtatus per duplicem tuam prædeterminationem: non prius id feceris, quam oſtenderis utrumque ſtatum per idem differre, & convenire.

SECTIO II.

Diſcutiuntur ſingula contrarietatis capita, & tentata à Pſeudophilalethe conciliatio.

§. I.

Exploditur primæ contrarietatis tentata concordia.

465. HOc primum caput contrarietaris adfert num. 96. videlicet *quod prædeterminatio phyſica prorsùs deſtruat totam illam differentiam gratiæ Adami & Chriſti, ſeu adjutorii ſine quo non, & adjutorii quo: ex eo quod prædeterminatio illius ſit naturæ, ut hoc ipſo quod ponitur, ponatur actio, illâ non poſitâ, nunquam fiat. Illa enim ipſiſſima eſt deſcriptio adjutorii quo; nullo modo adjutorii ſine quo non, quod Adamo datum fuit.*

Tum

Digitized by Google

466. Tum conciliationem aggrediens „ Hæc „ ait contrarietas nulla eſt : nam doctiſſimi illi viri „ adjutorium ſine quo non conſtituunt in aliquo „ actu, ex quo Adam poterat perſeverare, ſi vellet. „ Ecce actus dans poſſe ad perſeverandum : prædeterminatio igitur phyſica ad iſtum actum dabit quoque poſſe ad perſeverandum, ſi homo voluerit: & „ ſicut non volet perſeverare ſine alio actu; ita etiam „ non volet ſine alia prędeterminatione. Diſtinguendo igitur prædeterminationes, ſicut & actus, „ nulla poteſt eſse quoad rem diverſitas inter utriuſque Solis diſcipulos &c.

467. Totus in eo conciliationis cardo verſatur, ut oſtendat in ſententia prædeterminantium ſtare etiam in utroque ſtatu integro & corrupto diſcrimen illud utriuſque adjutorii ſine quo non, & quo jam memorati : id autem putat ſe facilè exequi tribuendo naturæ ſanæ prędeterminationem ſolùm univerſalem : infirmæ verò ſpecialem. Illam eſse auxilium ſine quo : hanc autem auxilium quo.

368. Quamvis ea quibns ſupra oſtendimus num. 462. utramque prædeterminationem utrique ſtatui, prout utramque deſcribit *Pſeudophilalethes*, neceſſariò juxta prædeterminantes convenire, abundè comprobent prædeterminationem univerſalem non poſſe eſſe auxilium proprium hominis ſani, ſive adjutorium ſine quo non: nec ſpecialem, auxilium proprium infirmi, ſive adjutorium quo: id tamen ſpecialiter jam demonſtrabo ex his quæ ipſe Auguſtinus tradit de utriuſque hujus adjutorii diſcrimine.

469.

469.. Vtrumque ſic deſcribit lib. de correp. & grat. cap. 12. „ Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt: „ aliud enim eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit; „ & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit. Nam ſine „ alimentis non poſſumus vivere ; nec tamen cùm „ adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non „ fit , non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo „ quam non habet homo , cùm data fuerit, continuò „ fit beatus : Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine „ quo non fit, verum etiam quo fit propter quod „ datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit, eſt; „ & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini „ beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquam „ fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt ut homo vivat; ſed tamen ſine „ illis non poteſt vivere.

470. Itaque in eo Auguſtinus præcipuè diſtinguit hæc duo adjutoria, quod auxilium ſine quo aliquid non fit, det ſolum poſse id facere, non ipſum facere; ſicut alimenta dant poſse vivere, non ipſum vivere : ſicut lux dat poſſe videre, non ipsũ videre. Auxilium autem quo aliquid fit , det non tantùm ipſum poſse; ſed ipſum etiam fieri : ſicut beatitudo non tantum dat poſſe eſſe beatum , ſed ipſum etiam eſſe beatũ. hęc nunc aptemus geminæ prędeterminationi.

471. Aiſne *Pſeudophilalethes* adjutorium illud primi hominis, ſine quo aliquid non fit, fuiſse auxilium prędeterminationis vniverſalis? at illud adjutorium dabat tantum poſse agere, non ipſum agere : tua

 verò

verò prædeterminatio vniverſalis ipſum etiam agere invictiſſimè dediſset Adamo: illum enim efficaciſſimè applicaſset actioni ad quam fuiſset data; id enim habet ex eſsentia ſua omnis phyſica prædeterminatio, ut ſit cauſæ 2æ ad operationem, propter quam datur, actualis applicatio.

472. At, inquis num. 96. citato *vna & eadem motio poterit eſſe adjutorium ſine quo non, & ſimul adjutorium quo, reſpectu tamen diverſorum actuum. Prædeterminatio enim ad primum actum erit adjutorium quo reſpectu primi actus; & adjutorium ſine quo non reſpectu ſubſequentis, ad quem primus actus dat poſſe. Vnde adjutorium Adamo collatum fuit adjutorium ſine quo non reſpectu actus perſeverandi; ſed fuit adjutorium quo reſpectu præcedentis actus, ex quo poterat Adam ſe applicare ad perſeverandum.*

473. Te ipſum involvis, atque ita implicas, vt non ſis evaſurus. Si enim ita eſt; vlterius ex te quæro, prædeterminatio requiſita ad actum illum vlteriorem à præcedenti dependentem, fuiſsetne adjutorium ſine quo aliquid non fit, an adjutorium quo aliquid fit? ſi ſecundum aſseris: ergo jam admittis in ſtatu innocentiæ ſpecialem tuam prædeterminationem, quam vis eſse adjutorium quo, proindéque non potes per eam ſtatum illum diſtinguere à ſtatu lapſus in peccatum. Si primum affirmas: ergo tantum fuiſset adjutorium ſine quo non reſpectu actus cujuſpiam vlterioris ad quem prior foret prærequiſitus; quia vt fateris, non poteſt habere rationem talis adjutorii reſpectivè ad actum ad quem

datur

datur immediatè. Rurſus redit quæſtio de prędeterminatione ad actum illum ſubſequentem, cujuſnam adjutorii rationem habeat? profectò vel excurres in infinitum, vel ſiſtes in actu aliquo ad quem movebit prædeterminatio tua ſine ordine ad vlteriorem à priore dependentem: atque ita hæc prędeterminatio non erit adjutorium ſine quo; non ſed merum adjutorium quo.

Videſne, *Pſeudophilalethes*, inanem eſse conciliationem tuam ad quam perficiendam, aſsumpſiſti prędeterminationem vniverſalem eſse adjutorium ſine quo aliquid non fit: ſpecialem verò adjutorium quo; cum vtrumque adjutorium, ſi prædeterminationi identificetur, neceſsariò in ſtatu innocentiæ reperiri ex dictis tuis confecerim.

474. Vtrumque etiam ex principiis tuis tenêris agnoſcere in hoc ſtatu, niſi velis contra manifeſtam experientiam & veritatem, nullum vnquam in præſenti ſtatu actum priorem prærequiri ad ſubſequentem: hoc enim dato prædeterminatio tua ad actum præcedentem neceſsariò habebit rationem adjutorii ſine quo non, reſpectivè ad actum vlteriorem à priore dependentem.

Priuſquam tranſeam ad alterum caput contrarietatis, lubet aliquod dictum *Pſeudophilalethis* de hac gemini adjutorii diſtinctione non nihil ponderare, quo manifeſtat ſe in Auguſtino minus verſatum, nec tam propriis oculis illius opera, quam alienis Pſeudo-Auguſtini lectitaſse.

475. *Eadem*, inquit num. 88. *Diſcipuli & Magi-*

ſtri , S. Thomæ dico & Sancti Auguſtini concordia patet ex celebri illa diſtinctione auxilii ſine quo non , & auxilii quo toties à S. Auguſtino inculcata. Quis audiens hæc verba *toties à S. Auguſtino inculcata*, non crederet *Pſeudophilalethem* in pleriſque Auguſtini operibus, ac nominatim in illis, in quibus diſputat cum Pelagianis, hanc gemini adjutorii diſtinctionem ſparſim repetitam legiſſe ? atqui Auguſtinus per cuncta opera ſua & plurima & vaſtiſſima vnico tantum opuſculo, nempe libro de correptione & gratia, quem ſcripſit devictis jam Pelagianis : vnico tantùm illius capite 12. hanc duplicis adjutorii diſtinctionem explicat verbis ſupra allatis num. 469. Scilicet in Pſeudo-Auguſtino legerat lib. de gratia primi hominis c. 17. Hanc diſtinctionem eſſe *ſcopum, baſim, fundamentum, & clavim doctrinæ Auguſtinianæ* de gratia contra Pelagianos ; ideóque familiari Doctori ſuo fidem habens exiſtimavit ubique illam ab Auguſtino inculcari adversùs Pelagianos ; cum tamen toties cum illis diſputans , ne ſemel quidem illam uſurpaverit. Placuit illud annotare, ut pateret *Pſeudophilalethem* Auguſtinum in Pſeudo-Auguſtino diligentius legiſſe, quàm in ipſo Auguſtino : quod & ſupra Sect. 6. §. 1. ſatis patuit; ubi oſtẽdimus quod Annato impoſuit, id deſumpſiſſe ex lib. 2. Pſeudo-Auguſtini de gratia Chriſti cap. 31. Et infra fiet manifeſtiſſimum prolatis ejus verbis, quæ ex hoc authore damnato exſcripſit.

§. 2.

§. 2.

Confutatur ſecunda contrarietatis concordia.

476. SEcundam contrarietatem in eo ponit; *quod prædeterminatio phyſica facit ut liberum arbitrium non ſolùm velle & operari poſſit; ſed etiam ſemper actu velit & operetur. Tale autem adjutorium ſtanti homini aut Angelo datum non fuit; ſed lapſis poſteris reſervatum.*

477. Tum concordiam aggrediens: *Hæc*, ait, *ſecunda contrarietas ex iis quæ in prima dicta ſunt, diſſolvitur: nam dictum eſt quod ipſum adjutorium ſine quo non collatum Adamo, ſit quædam prædeterminatio phyſica, ad illum ſcilicet actum ex quo oriebatur in Adamo poteſtas applicandi ſe ad perſeverandum, cui ad actualem perſeverandi applicationem debebat conjungi alia phyſica prędeterminatio, ſicut & alia actualis volitio perſeverandi.*

478. Non eſt quod longius excurram: teneo enim te in iſta alia phyſica prædeterminatione, quam ais priori debuiſſe conjungi ad actualem perſeverandi applicationem. Interrogo enim te, hæc ulterior prædeterminatio requiſita ad actualem perſeverantiam eratne auxilium ſine quo non, quod vis eſſe Adamo proprium? an auxilium quo lapſis po-

ſteris, ut ais, reſervatum? non potes primum aſſerere, quia juxta te prædeterminatio phyſica nequit habere rationem auxilii ſine quo non, niſi reſpectu actus ulterioris à priore dependentis, ad quem immediatè data eſt: atqui ipſa perſeverantia finalis non habet actum ulteriorem ſe ſubſequentem, ut patet: ergo prædeterminatio ad finalem perſeverantiam non potuiſſet eſſe auxilium ſine quo non. Superest igitur ut ſecundum aſſeras, fatearisque prædeterminationem ad finalem hominis ſtantis perſeverantiam, neceſſariò futuram fuiſſe adjutorium quo; proindéque nullam eſſe concordiam tuam.

479. Præterea auxilium ſtantis hominis ad perſeverandum juxta Pſeudo-Anguſtini diſcipulos ſolùm dediſſet poſſe perſeverare, non ipſam perſeverantiam: at ſecundùm Neotericos Thomiſtas prædeterminatio ipſam etiam perſeverantiam dediſſet: fuiſſet enim actualis determinatio ad perſeverandum. neque hic recurrere potes ad actum ulteriorem, reſpectu cujus iſta prædeterminatio ad finalem perſeverantiam tantummodò dediſſet poſſe, quia perſeverantia finalis poſtremus actus eſt. Vide igitur quàm diſcors ſit concordia tua.

§ 3.

Declaratur nullitas tertiæ conciliationis.

480. NEque felicius laboraſti in tollenda tertia contrarietate, quam ſic deſcribis. *Tertium contrarietatis caput eſt: quia prædeterminatio phyſica talis naturæ eſt, ut non relinquatur in libertate voluntatis eam amplecti vel non amplecti; ſed ſemper invictè facit, ut eam voluntas amplectendo conſentiat. Tale autem non fuit adjutorium Adæ aut Angelorum, utpote quod in libero eorum arbitrio relictum fuit.*

481. Tum illam quaſi difflans uno faciliique ſpiritu, *tertia*, inquis, *hæc contrarietas evaneſcit, ſi prędeterminatio univerſalis diſtinguatur à ſpeciali: nam ubi ſolùm eſt indigentia auxilii univerſalis, ibi actus relinquitur libero arbitrio; ex eo quod prædeterminatio univerſalis præſuppo-nit completum poſſe, & cùm ſit dependens à prętcedente actu & conſilio voluntatis, uſus potentiæ quam applicat, non tribuitur Deo, ſed libero arbitrio ut dictum eſt num. 75. Cùm ergo talem gratiam Deus dederit Adamo & Angelis, ut ſolo concurſu generali prædeterminante indigerent, quo Deus in omni operante operatur, erat in poteſtate liberi arbitrii uti gratiâ & non uti.*

482. Itane, *Pſeudophilalethes*, hæc tertia contrarie-

tas tibi evanuit ? at mihi certè tota etiamnum occurrit. Oportet te oculos clauſiſſe ut fingeres evanuiſſe. Illos ergo pauliſper aperi, & illam adhuc integram tibi exhibebo.

Vt fidem liberem, hoc unum mihi præſtandum eſt, ut ſcilicet oſtendam non eſſe in poteſtate voluntatis phyſicam prædeterminationem amplecti, aut non amplecti, ſive ſit ſpecialis, ſive ad ſenſum tuum dumtaxat univerſalis. Namque id unum in hac tertia contrarietate tibi opponis, fruſtraque niteris diſſolvere.

483. Atque equidem de ſpeciali non eſt quod ſim ſollicitus: videris enim ſupponere hanc poteſtatem reſpectu illius non permanere, cùm recurras ad univerſalem, velisque Adamum ante peccatum potuiſſe auxilium ſibi datum amplecti & non amplecti, quod aliam rationem non haberet, quam prædeterminationis univerſalis.

Priuſquam ad univerſalem tranſeam, unum te de ſpeciali interrogatum volo: ſi non eſt in poteſtate voluntatis illam non amplecti, quomodo eſt in illius poteſtate eam abjicere, aut ei diſſentire, ut definit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. ? Quid enim aliud eſt illi diſſentire, quàm illam non amplecti? quod ſi dicas eſſe etiam in poteſtate noſtra ſpecialem prædeterminationem amplecti aut non amplecti: quomodo cum Pſeudo-Auguſtini diſcipulis in eo oppones auxiliũ ſtantis hominis, auxilio lapſi, quod eſſet in poteſtate voluntatis ſanæ illud amplecti vel non amplecti: hoc autem voluntas infirma non poſſit non

Digitized by Google

amplecti? Tu cogita quid reſponſurus ſis: ego interim probo quod aſſumpſi, non poſſe voluntatem prædeterminationem univerſalem non amplecti.

484. Numquid enim prędeterminatio univerſalis eſſentialiter conjuncta eſt cum actu ad quem datur? neceſſe eſt id te fateri, niſi naturam ejus deſtruas. Quod ſi eſſentialiter cum actu ſuo conjuncta eſt; quomodo eſt in poteſtate voluntatis illam non amplecti? poteſtne illam reipsà actu non amplecti, niſi aut illam à ſe abjiciat antequam operetur: aut certè efficiat ut permanens careat effectu ſuo? neutrum autem præſtare poteſt, cùm fieri non poſſit ut exiſtat, & careat effectu ſuo, ipſo inſtanti quo exiſtit.

485. At, inquis ibidem, prædeterminatio univerſalis præſupponit completum poſſe, eſtque dependens ab actu præcedente & conſilio; ideoque uſus potentiæ, quam voluntas applicat, non Deo, ſed libero tribuitur arbitrio.

486. Demus quod aſſumis; quid tum? quid enim facit ad hoc ut voluntas poſſit iſtam prædeterminationem non amplecti, quod præſupponat completum poſſe & actum præcedentem & conſilium? an idcircò ubi data fuerit ad actum ſubſequentem, poterit voluntas aut illam à ſe abjicere, aut vim ejus continere ne in actum prodeat? alterutrum autem præſtare deberet, ut illam reipsà non amplecteretur.

487. At fortè oppones, cùm dependeat ab actu præcedente vt detur; ſicut voluntas poteſt actum illum priorem non ponere; ita efficere ut non detur prædeterminatio ab actu illo dependens.

488. Sed primò id non eſt propriè prædeterminationem non amplecti, non eſt propriè illi diſſentire, aut eam abjicere: hæc enim omnia præſupponunt jam datam.

489. Deinde actus ille antecedens à quo vis illam dependere, egetne prædeterminatione etiam dependente ab actu priore? ſi affirmas, redit queſtio; atque in infinitum iturus es, niſi ſiſtas in prædeterminatione quæ non dependeat ab actu præcedente. de hac autem prędeterminatione, in qua ſiſtes, quęro, ſpecialisne ſit an vniverſalis? ſi primum: ergo jam admittis ſpecialem prædeterminationem in ſtatu necdum per peccatum vitiato. Si ſecundum: cum actum priorem non præſupponat, à quo dependeat, quomodo erit in poteſtate voluntatis vel hoc ſenſu tuo illam non amplecti?

§. 4.

Oſtenditur integra permanere quarta contrarietas.

490. SEquentem oppoſitionem hunc in modum ſibi objicit num. 100. „ Quartum contra-„ rietatis caput eſt, quia prędeterminatio phyſica „ nunquam deſeritur à voluntate; ſed ipſa potius „ facit ne à voluntate deſeratur; adjutorium autem

Adami

„ Adami nullo modo iſtius conditionis fuit: ſiqui-
„ dem S. Auguſtinus lib. de correptione & gratia
„ cap. 11. dicit, quod adjutorium ſi homo ille per
„ liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet
„ bonum; ſed deſeruit & deſertus eſt.

491. Tum quaſi in prioribus oppoſitionibus ne ſpecies quidem vlla contrarietatis affulſiſſet, ſubjungit: „ hęc quarta contrarietas aliquid apparentiæ „ videtur habere, nihil tamen in re. Talis eſt prę- „ determinatio qualis eſt actus ad quem prędeter- „ minat. Si actus poteſt deſeri, & prædeterminatio „ ad illum actum poteſt deſeri: & ſi in actu poteſt „ voluntas perſeverare, & in adjutorio phyſicæ prę- „ determinationis poterit voluntas permanere, ſi vo- „ luerit. Deus ita prædeterminavit Adamum ad „ amorem juſtitiæ, vt ex illo amore proximè potens „ eſſet vel illum continuare, vel illum deſerere.

492. Id totum in fumos abit, atque integra quo ad rem permanet hęc quarta contrarietas naturam prædeterminationis phyſicæ defæcato oculo inſpicienti. Hujuſmodi eſt illius natura, vt eſſentialiter actum inferat, ad quem data eſt: eſt enim efficaciſſima cauſæ 2dæ actualis ad illum applicatio: fieri igitur non poteſt, vt non fiat actus ille propter quem conceſſa eſt. Aut ergo adeſt prædeterminatio ad actum continuandum, aut deficit: ſi adeſt, neceſſariò actus continuatur; quia non poteſt adeſſe, & carere effectu ſuo. Quod ſi deficit, non ideo deficit, quia non continuatur actus, ſed ideo actus non continuatur, quia ipſa deficit;

niſi

niſi forte præpoſtero ordine velis effectum cauſa priorem. Porro ipſa deficit, quia Deus vel priorem non conſervat, vel novam non concedit: in Deum igitur refundi debet quod deficiat, non in eum qui ceſſat agere. Non ergo ipſe deſerit prædeterminationem, ſed ab ea deſeritur; & quia deſeritur non agit. Cum verò ipſa adeſt, ſicut ipſâ præſente non poteſt non agere, ita non poteſt non agendo ipſam deſerere.

493. Hanc efficaciam prædeterminationis ſatis agnoſcens *Pſeudophilalethes* paulo poſt ſubjunxit: *nec Adam deſerendo hanc prædeterminationem fruſtravit illam, cùm ad eam ſufficeret, quod vnico inſtanti amaſſet. Ad vlterius autem amandum debet adeſſe vel alia prædeterminatio; vel quod idem eſt in præſenti, prioris continuatio.* Si non fruſtravit illam, quomodo illam deſeruit? cùm non poſſit deſeri niſi effectu ſuo fruſtretur.

494. Si dicas fruſtratam fuiſſe inadequatè effectu ſuo, & ex deſertione ortum vt amorem juſtitiæ vlterius non produxerit: ego contra contendo Adamum (ſuppoſitâ neceſſitate prædeterminationis) ideo amorem illum non continuaſſe diutius, quia ab iſta neceſſaria prædeterminatione deſertus eſt; quia prius eſt cauſam deficere, quàm effectum deſinere ab ea tanta neceſſitate pendentem, vt illâ poſitâ non poſſit non poni, & eâ non poſitâ produci non poſſit.

495. Deinde cùm prędeterminatio phyſica ſit adæquatè efficax, fieri non poteſt vt non obtineat effectum

effectum ſuum adæquatum ; neque enim in ea invenire poteris partem vnam quæ ſit efficax, & alteram quæ ſit inefficax; cùm ſecundùm ſe totam ſit actualis applicatio ad agendum.

496. Nihil efficis, dum dicis continuationem prædeterminationis ad iſtum amorem juſtitiæ potuiſſe impediri ab Adamo, & de facto impeditam per voluntatem non perſeverandi in illo amore. Nihil, inquam efficis; quia quamdiu fuit prædeterminatio ad amorem juſtitiæ, non potuit actu eſſe iſta voluntas non perſeverandi repugnans actuali juſtitiæ amori, quem inferebat prędeterminatio ad amorem juſtitiæ. Prius igitur fuit deſinere iſtam prędeterminationem ad amandam juſtitiam, quàm incipere iſtam volitionem non perſeverandi in amore juſtitiæ.

497. Præterea non potuit velle non perſeverare in iſto amore, niſi ex tuis principiis aliam vniverſalem prædeterminationem habuerit, vt hoc vellet, priori repugnantem, quâ fiebat vt juſtitiam amaret. Vt autem haberet hanc vel illam prædeterminationem non pendebat ab eius arbitrio hanc vel illam eligentis, ſed ab vna Dei voluntate hanc potius quam illam decernentis. Non ergo pro libera voluntate ſua hanc deſerebat vt aliam eligeret; ſed pro Dei beneplacito deficiente priore alteram recipiebat.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

Retegitur error quem involvit quinta contrarietas à Pſeudophilalethe allata.

498. NOn tam hic lubet oſtendere nullam eſſe conciliationem, quàm errorem involvere contrarietatem à *Pſeudophilalethe* adductam.

In eo contrarietatem ponit, quod defectus auxilii ſine quo non, ſive quod defectus poteſtatis ad rectè operandum, non excuſet à peccato malè operantem in hoc ſtatu naturæ lapſæ: primum autem parentem, ſi hujuſmodi auxilio caruiſſet, omnino excuſandum fuiſſe à peccato.

499. Sic ſcribit num. 101. *Quintum contrarietatis caput eſt, quia gratia prædeterminationis phyſicæ ſi non detur homini, non idcirco à culpa excuſatur: alioqui enim omnes peccatores qui juſtitiam deſerunt, & phyſicâ prædeterminatione ad perſeverandum & juſtè vivendum carent, ſine culpa caderent. Adjutorium verò Adami & Angelorum hujuſmodi fuit, ut niſi eis datum fuiſſet, ſine culpa cecidiſſent.*

Ipſum autem per gratiam prædeterminationis intelligere auxilium ſine quo non poteſt impleri præceptum, ſive intelligere auxilium dans poteſtatem implendi præceptum, omnino liquet ex iis quæ adfert pro ineunda conciliatione.

500.

500. „ Deficit, *inquit*, hæc contrarietas hoc ipſo quod adjutorium ſine quo non datum Angelo „ & Adamo, fuit ad actum dantem eis poteſtatem „ perſeverandi: & ideò ſi tale prædeterminationis „ adjutorium, cùm primùm facti ſunt, non habuiſſent, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; defuiſſet „ enim illis poteſtas perſeverandi, ſive adjutorium „ ſine quo manere non poſſunt.......... Nunc autem „ abſtractione concupiſcentiæ in pœnam peccati ori-„ ginalis permanente deeſt homini infirmo poteſtas „ ſe ad bonum applicandi, ac proinde aliquod adju-„ torium ſine quo non, amor ſcilicet juſtitiæ in par-„ ticulari operabili, ſine quo non valet præceptum „ implere &c.

501. Hæc contrarietas & conciliatio duos involvit errores. Primùm in hoc ſtatu naturæ corruptæ deeſſe peccanti auxilium ſine quo non poteſt implere præceptum, ſive deeſſe auxilium conferens poteſtatem implendi præcepti. Alterum iſtius poteſtatis defectum non excuſare à peccato.

502. Primum diſertè aſſerit poſtremis verbis jam allatis, *nunc autem* &c. Alterum autem ſtatim ſubjungit; *nec tamen à peccato excuſatur*: rationem hujus rei quam ſubdit, *quia huic poteſtati liberum ponit obſtaculum ad amorem contrarium ſe liberè applicando* paulò poſt diſcutiemus.

503. Nunc dico erroneum eſſe affirmare eum qui peccat non habere poteſtatem rectè operandi. Illam quidem non habet ex ſe, nec habere poteſt homo infirmus; & à concupiſcentia ſua neceſſariò pertrahetur

pertrahetur in peccatum, niſi adſit illi auxilium aliquod gratuitum dans illi facultatem abſtinendi à peccato; ſed abſolutè aſſerere hoc auxilium deeſſe illi qui peccat tranſgrediendo præceptum, nihil aliud eſt quàm affirmare eſſe illi impoſſibilem pręcepti impletionem; cùm impleri non poſſit, niſi adſit poteſtas illud implendi. Cùm ergo *Pſeudophilalethes* abſolutè dicat deeſſe homini infirmo in tranſgreſſione præcepti poteſtatem applicandi ſe ad bonum, ſive adjutorium ſine quo non valeat implere præceptum, ſequitur hominem infirmum peccantem non potuiſſe, juxta illum, præceptum implere, quod erroneum eſt. Sed de hoc ejus errore fuſius, cùm ſpeciatim oſtendemus non rectè ipſum ſentire circa primam Janſenii propoſitionem ab Innocentio damnatam.

504. Quod ſpectat ad alterum errorem: equidem veriſſimum eſt neminem à culpa, dum ſcienter peccat, excuſari; quia nemini peccanti deeſt auxilium per quod poſſit non peccare; aut ſaltem non ſic deeſt, quin poſſit illud orando impetrare, ſed falſum eſt, ſed erroneum eſt defectum poteſtatis ad vitandum peccatum non excuſaturum à peccato; ut enim Auguſtinus rectiſſimè aſſerit lib. 3. de libero arbitrio cap. 17. ſub finem: *Quæcumque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Et paulò poſt. *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Et libro de duabus animabus cap. 12. Iniquitatis & inſaniæ damnat oppoſitum, *peccati*, inquit, *reum teneri quemquam quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.*

505.

505. Excutiamus nunc rationem *Pſeudophilalethis*, propter quam contendit defectum poteſtatis ad non peccandum non excuſare hominem corruptum à peccato, *quia*, inquit, *huic poteſtati liberum ponit obſtaculum ad amorem contrarium liberè ſe applicando*. Quomodo liberè ſe applicat ad amorem contrarium ſeu malum, ſi non habet poteſtatem applicandi ſe ad amorem bonum defectu auxilii ad hanc poteſtatem neceſſarii? ſi nullam aliam habet prædeterminationem quàm illam, quæ eſt ad amorem malum, quomodo reus eſt hujus obſtaculi objecti, ad quod objiciendum efficaciſſime prędeterminatus eſt? potuitne efficere vt non daretur hęc prædeterminatio? numquid id pendebat ab vna Dei voluntate?

§. 6.

Inanitas ſextæ conciliationis.

506. SExtum caput contrarietatis in eo ſtatuit quod neceſſitas prædeterminationis videatur deſtruere liberrimam illam poteſtatem rectè operandi, quam Auguſtinus, quam Pontifices & Concilia Adamo tribuunt, noſque, peccante illo, amiſiſſe teſtantur. Quod magis explicans num. 102. *Illa libertas*, ait, *in eo ſita erat, quod homo per liberum arbitrium ſicut malè vivere poterat, ita etiam benè: ſic videli-*

cet, ut non eſſet neceſſe voluntatem illam benè vivendi per gratiam præparari: ſicut nunc poſt lapſum eſt neceſſarium, quando Deus per gratiam in homine operari debet ut velit & faciat. Quod ſi etiam tunc debeat per phyſicam iſtam prædeterminationem fieri, utpote cujus iſte proprius effectus eſt, jam funditùs illa doctrina S. Auguſtini & Conciliorum labefactata corruet.

507. Vt hæc inter ſe conciliet, adhibet geminæ prędeterminationis diſtinctionem: *diſtinguamus*, inquit, *prædeterminationes, & corruent hujus contrarietatis rationes: ex his quæ huc uſque in hoc articulo diximus, liquet prædeterminationem univerſalem, quæ reſpectu voluntatis dependet à præcedente actu & conſilio, non tollere quin actus ſit in poteſtate voluntatis, eique tribuatur cum æquali poteſtate contrarium faciendi, & ſic indigentia hujuſmodi prædeterminationis in nullo præjudicat doctrinæ S. Auguſtini & Conciliorum.*

508. Tibine tam citò excidit quod jam dicebas, nempe effectum proprium prædeterminationis eſſe operari ut velimus, & faciamus? ſi ergo Adamus egebat gratiâ prædeterminationis univerſalis, cui utique etiam conveniebat effectus jam dictus; quomodo non erat neceſſe in eo voluntatem benè vivendi præparari per gratiam operantem ut id vellet & faceret? & ſi illud erat neceſſarium; ubi illa liberrima poteſtas rectè vivendi, quam Auguſtinus, quam Pontifices, quam Concilia in Adamo ante peccatum agnoſcunt?

At, reponis, prædeterminatio illa univerſalis erat ad actum dependentem ab alio actu præcedenti & conſi-

conſilio: ideoque non tollebat quin actus eſſet in poteſtate Adami, eique tribueretur cum æquali poteſtate ad oppoſitum.

509. Contra: an quia præſupponebat conſilium & actum priorem, minus efficaciter dabat Adamo velle ſubſequens & facere? an minus ipſum actioni applicabat, ad quam data erat? at utrumque præſtare erat de illius eſſentia. An primus parens ante peccatum minus in agendo dependebat à prædeterminatione illa univerſali, quàm poſt peccatum à ſpeciali? at fieri non poterat ut ſine illa ageret. Quomodo ergo priuſquam daretur, erat in poteſtate Adami ut ageret? & quomodo cum illa erat in illius poteſtate ut ageret oppoſitum? quandoquidem & haberet aliquid repugnans oppoſito; & deeſſet aliquid prærequiſitum neceſſariò ad oppoſitum, oppoſita videlicet prædeterminatio.

510. Præterea an omnis actus Adami præſupponebat actum priorem? at neceſſe erat ut in qualibet diverſa actuum ſerie eſſet aliquis primus; ut daretur exordium. Quid ergo dicturus eſt de actu illo primo priorem alterum non præſupponente? an quilibet illius actus præſupponebat conſilium? quilibet ergo erat electio medii: nullus intentio finis; ſolam enim electionem præcedit conſilium. Qualis igitur hæc conciliatio, quæ tot involvit pugnantia?

§. 7.

Evertitur ultimæ contrarietatis poſtrema conciliatio.

511. HAnc ultimam recenſet contrarietatem n. 103. *Septimum*, ait, *contrarietatis caput eſt, quia prædeterminatio illa phyſica libero arbitrio merita, & eorum mercedem invictè donat. Hoc autem adjutorium Adami & Angelorum nullo modo faciebat.*

Solutionem audiamus multiplici errore ſcatentem; *Tum*, ait, *dicitur actus à Deo dari, quando ita eſt à Deo, ut non ſit applicativè á libero arbitrio; ſed ſolùm elicitivè.* Qualis hęc doctrina? ergo nunquam actus liber datur à Deo; quia nullus liber eſt, ad quem voluntas ſe ipſam non applicat. Ergo nullum à Deo datur meritum: quia nullum meritum abſque actu libero.

512. Errorem errori adjungens ſic pergit in ſolutione. *Quando verò actus tam elicitivè, quàm applicativè eſt à libero arbitrio; eò quod ex præcedente actu & conſilio fiat, tunc non dicitur à Deo dari; etiamſi non fiat ſine concurſu Dei prævio.* Nulla ergo medii boni electio datur à Deo: quia omnis electio dependet ab actu præcedente quo finis intenditur.

153. Ratio quam adfert dictorũ, non etiam vacat errore. *Cujus*, ait, *ratio eſt quod actionem voluntatis eſſe ſpeciale*

ſpeciale donum Dei, non tam accipitur ex ordine ad objectum, quàm ex modo operandi. Vnde illa actio etiamſi ſit ſupernaturalis, non erit ſpeciale donum Dei ſi ſit applicativè à libero arbitrio. Poteſtne eſſe actio ſupernaturalis, niſi ſit à principio aliquo ſupernaturali gratis naturæ ſuperaddito ? poteſtne fieri ut principium illud ſupernaturale non ſit ſpeciale Dei donum? ſi ſupernaturale eſt, ergo naturæ indebitum. Si indebitum, ergo ſpeciale donum eſt. Nulla igitur poteſt eſſe actio ſupernaturalis, niſi proveniat ex principio quod ſit gratuitum & ſpeciale Dei donum ; ac proinde quæ non ſpecialiter cum principio ſuo in Deum referatur.

514. Tum errores ſuos applicans vtrique ſtatui integro & corrupto, hæc ſubjicit: *cùm ergo adjutorium datum Adamo & Angelis daret illis poteſtatem ſe applicandi, actus illorum non erant ſpecialia dona Dei.* Hujuſmodi quidem non erant actiones naturales, quia nullum principium exigebant naturæ indebitum : at neceſſe eſt illas actiones, quæ naturam tranſcendebant, fuiſſe ſpecialia Dei dona ; quia neceſſariò procedebant à principio naturâ ſubliimiore, illique indebito.

515. *Secus eſt*, pergit, *de actibus bonis hominis infirmi, qui fiunt auxilio gratiæ victricis & prædeterminantis: nam hæc gratia ita applicat liberum arbitrium ad volendum, vt ex præcedente actu non ſe applicet.* Huic errori refutando hic immorarer, niſi capite quinto id abundè præſtarem ; hocque demonſtrandum ſuſciperem, *Pſeudophilalethem* non rectè ſentire de libertate naturæ lapſæ. Id modò ſubſumo : atqui

 auxilium

Digitized by Google

auxilium gratiæ datum Adamo, ſi fuit prædeterminans, fuit auxilium gratiæ victricis; cum fieri non poſſit vt gratia phyſicè prædeterminet, & effectum ſuum non obtineat. Ergo & dabat Adamo meritum: quia non potuit eſſe victrix, niſi daret illi actum bonum: non potuit autem dare actum bonum, niſi etiam daret meritum; quia actus bonus erat meritorius. Ergo apertè falſum eſt, ſuppoſitâ neceſſitate prædeterminationis phyſicæ, in eo diſtingui auxilium infirmi hominis ab auxilio ſani, quod illud det actum bonum & meritum; hoc verò id non præſtet: ergo planè corruit fundamentum hujus conciliationis ſeptimæ.

516. Vides ergo, *Pſeudophilalethes*, tentatam à te conciliationem diſcipulorum Pſeudo-Auguſtini cum aſſertoribus phyſicæ prædeterminationis, & multiplices errores, & falſitates manifeſtas involvere, & præterea vanam eſſe & irritam.

Inſuper poſtremis injurioſus es: non tam enim priores in horum ſententiam pertrahis, quam poſtremos in priorum errores. Vnde nec te vnquam, vbi doctrinam tuam probè perſpexerint, germanum agnoſcent phyſicæ prædeterminationis ſectatorem; ſed vt ſpurium repellent.

CAPVT QVARTVM.

Inepta Pſeudophilalethis conparatio inter præſcientiam & prævolitionem libertatis: inter concurſum prævium & ſimultaneum ad materiale peccati.

§17. IN opuſculo ſuo ſcientiæ mediæ ad examen revocatæ, vt paginis in 2ª editione, ita impoſturis & erroribus auctiore, exhibet nobis cap. 1. art. 4. §. 6. in fallaciſſimo ſpeculo ineptiſſimam comparationem inter difficultates quas patiuntur ſcientiæ mediæ defenſores & gratiæ prędeterminantis ſectatores: concurſus prævius, & ſimultaneus ad materiale peccati: contenditque vtramque ſententiam eaſdem pati difficultates, & noſtram quidem etiam graviores. Primam partem examinabimus ſectione ſequenti: alteram poſteriore.

SECTIO PRIMA.

Examinatur prima pars comparationis.

§. I.

Expenditur collatio quatuor primarum propoſitionum.

518. SIc inchoat ſuam comparationem: *Deus decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis: quia vult quod in iſtis circumſtantiis non ſolùm credat; ſed etiam liberè credat.* Huic propoſitioni hanc noſtram opponit: *Deus decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis; quia ſcit quod in iſtis circumſtantiis non ſolũ credet, ſed etiam liberè credet.* Inter has duas propoſitiones hoc diſcrimen eſt, quod prima aſſerat ideo nos liberè credere, quia Deus vult vt liberè credamus. ſecunda verò, quia Deus ſcit nos liberè crediturοs. Primam tribuit prædeterminantibus: nobis alteram. In eo autem ridicula eſt hæc comparatio, quod propoſitionem nobis opponat, quám vltrò admittimus: quis enim defenſorum ſcientiæ mediæ negat, ideo nos liberè credere, quia Deus vult vt liberè credamus? ſi enim id noluiſſet, neque nos feciſſet liberos, neque gratiâ ſuâ ad credendum excitaſſet, & juviſſet.

519.

519. Quamquam autem fieri non poſſit, vt Deus preſciat nos libere credituros, niſi libere credamus; eo quod divina pręſcientia falli nequeat: nemo tamen è noſtris hanc cauſalem admittit; ideo nos liberè credere, quia Deus pręſcivit liberè credituros; ſed potius contrariam; ideo Deum præſcire liberè nos credituros, quia liberè ſumus credituri. Quam igitur vana eſt & ridicula prædictarum propoſitionum collatio; cum illam, quam nobis tribuit, non admittamus: iſtam verò, quam nobis opponit, vnanimes doceamus.

520. Falſiſſimè etiam hanc alteram, *ideo in iſtis circumſtantiis liberè credit, quia prævolitum eſt, quod ſe determinaret ad credendum*, doctrinæ noſtræ objicit: nullus enim eſt ſcientiæ mediæ ſectator, qui non fateatur Deum prædefinire actum fidei, aut ſaltem poſſe ab eo prędefiniri illæsâ libertate. Numquid prædefinitio eſt prævolitio Dei? ſi ergo juxta nos prędefinit Deus actum fidei, ſive determinationem noſtram ad credendum: datur in Deo pręvolitiò hujus noſtræ determinationis. Vtique hæc Dei prævolitio non eſt ut neceſſariò, ſed ut liberè credamus: ergo ſecundùm nos, in iſtis circumſtantiis liberè credimus, quia pręvolitum eſt à Deo, ut liberè nos determinemus ad credendum. Quàm ergo ridiculè adfert prædictam propoſitionem, ut doctrinæ noſtræ repugnantem.

521. Non minus falsò hanc nobis tribuit: *ideò in iſtis circumſtantiis liberè credit, quia præſcitum eſt quod ſe determinaret ad credendum*: cùm, ut docemus, præſcien-

tia Dei non ſit cauſa noſtræ determinationis ad credendum: ſed potius contra determinatio cauſa præſcientiæ quoad ejus terminationem.

522. Nihilo verius à doctrina noſtra removet hanc propoſitionem: *neceſſe eſt fieri quod eſt à Deo prævolitum: ſi ergo prævolitum eſt, quod Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum: neceſſe erit Petrum in illis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum.* Cùm enim doceamus Deum abſolutè & efficaciter prædefinire, aut ſaltem poſſe prędefinire determinationem Petri ad credendum: divinæ autem voluntati abſolutæ & efficaci nemo poſſit reſiſtere: manifeſtè ex hac doctrina ſequitur, ſi prædefinitum eſt, ſeu prævolitum, ut Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum, neceſſarium eſſe ut Petrus id faciat, non quidem neceſſitate antecedente, ſed conſequente; quia juxta nos illa prædefinitio ratione poſterior eſt ſcientiâ mediâ: & conditionatâ determinatione Petri ad credendum.

523. Quod ſi propoſitionem ſuam intelligat de neceſſitate antecedenti, involvit ſe ineluctabili difficultate, quam nos minimè patimur; adeoque falſum eſt eaſdem eſſe utriuſque ſententiæ difficultates.

524. Alteram propoſitionem quam priori opponit, hanc videlicet, *neceſſe eſt fieri quod eſt à Deo preſcitum: ſi ergo præſcitum eſt, quod Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum; neceſſe erit Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum;* Hanc, inquam, propoſitionem intellectam de neceſſitate conſequente, lubens admitto, ſtatque cum

priore

Digitized by Google

priore de eadem neceſſitate acceptâ. Cùm ergo utrique propoſitioni ſubſcribamus, non niſi ineptè has duas propoſitiones inter ſe committit ut contrarias, partiumque diſſidentium.

525. Hanc quartam tribuit adverſariis noſtris: *neceſſitas depēdens à libertate prævolita non eſt antecedēs, ſed conſequens: quia non minus conjungitur libertati, quod infert libertatem, quàm quod ſupponit libertatem.* Hanc autem alteram nobis adſcribit: *neceſſitas dependens à libertate præſcita non eſt antecedens, ſed conſequens: quia non minus conjungitur libertati, quod ſupponit libertatem, quàm quod infert libertatem.*

526. Prima propoſitio ſenſum habet ambiguum: vel enim ſenſus eſt quod neceſſariò ſimus liberi, quia libertas noſtra eſt à Deo prævolita, ſive quia Deus voluit nos habere potentiam liberam: & tunc falſum eſt, quod neceſſitas illa non ſit antecedens, ſed conſequens; quia cum cauſa ſit naturâ prior effectu ſuo, neceſſitas effectus ex cauſa proveniens neceſſariò eſt antecedens. Verùm hæc neceſſitas minimè officit exercitio libero, cùm non ſit neceſſitas exercitii, ſed exiſtentiæ potentiæ liberæ. Et talem neceſſitatem admittimus libertatis, quia non poſſumus non eſſe liberi, ſi Deus velit nos eſſe liberos.

527. Vel ſenſus eſt quod neceſſitas exercitii dependens à libertate ejus prævolita non ſit antecedens, ſed conſequens. Et tunc hæc propoſitio ſeipſam deſtruit, quia neceſſitas exercitii proveniens ex cauſa exercitii, ſive ex eo quod neceſſariò infert exercitium, eſt certò antecedens, & conſequenter deſtructiva libertatis ejus.

528.

528. Neceſſitatem dependentem à libertate præſcita non eſſe antecedentem, ſed conſequentem ultrò fatemur? ſed vana eſt hæc ejus ratio: *quia non minus conjungitur libertati, quod ſupponit libertatem, quàm quod infert libertatem*: non enim ex hac conjunctione petendum eſt, an neceſſitas ſit antecedens, an conſequens, ſed ex modo conjunctionis: ſi neceſſitas iſtius conjunctionis oriatur ex cauſa ejus, eſt antecedens; quia cauſa neceſſariò prior eſt effectu ſuo: ſi ex aliquo poſteriori, eſt conſequens. Cùm igitur neceſſitas exercitii proveniens ex prædeterminatione phyſica, ſit ab illa ut cauſa, non eſt conſequens, ſed antecedens: deducta autem ex præſcientia eſt tantùm conſequens, quia præſcientia non eſt prior objecto ſuo, ſed ratione poſterior. Non ergo eaſdem difficultates utrique patiuntur; quod fuſius oſtendam §. 3.

§. 2.

Oſtenditur falſitas trium ſubſequentium propoſitionum.

529. TRes ſubſequentes propoſitiones, quibus probat nos majores pati difficultates, conſtant meris falſitatibus, ut paucis oſtendo.

Hæc prima eſt: *decretum ex præſcientia non ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.* Aſſertionem ſic paucis declaro.

530.

Digitized by Google

530. Non poteſt ſtare veritas hujus dicti, niſi in determinatione voluntatis aliquid ſit, quod Deo ex præſcientia decernenti non ſubjiciatur: vel detur aliqua voluntatis determinatio, quæ ſit extra Dei poteſtatem ex præſcientia aliquid ſtatuentis: dicat igitur *Pſeudophilalethes*, quid illud ſit in voluntatis determinatione quod Dei ex præſcientia decernentis poteſtatem effugiat; quod Deus velit fieri, & non fiat? quàm voluerit diutiſſimè caput contorqueat & fatiget cogitando, nihil unquam tale in determinatione voluntatis reperiet: non ejus vitalitatem, non libertatem, non aliquam aliam perfectionem, non ipſam entitatem, non initium, non progreſſum, non finem: nihil denique præter ipſam malitiam determinationis malæ, cujus autorem Deum eſſe repugnat.

531. Nulla pariter determinatio poſſibilis eſt, præter illam quæ mala eſt, quam Deus non poſſit ex prę̨ſcientia decernere, & decernendo efficere, ut fiat eo prorſus modo, & loco, & tempore, quo decreverit. Nulla igitur eſt, præter malam, quæ divinæ voluntati prę̨ſcientiam ſupponenti non ſubjiciatur perfectiſſimè.

532. Sit peccator quiſpiam induratiſſimus; nulla eſt tanta ejus durities, quæ non ſit per gratiam aliquam emollienda: nulla tanta ejus in malo obfirmatio, quæ non ſit virtute alicujus gratiæ congruæ flectenda. Cùm ergo Deus certiſſime noverit quęnam ſint gratiæ illæ congruæ ad hanc duritiem vincendam, & clariſſimè videat peccatorem illum determina-

terminaturum ſe ad reſipiſcentiam, ſi gratiam talem illi largiatur: numquid illam ex hac pręſcientia decernendo efficaciſſimè hanc determinationem obtinebit? ita fieri neceſſe eſt, niſi fallatur Dei pręſcientia, quod repugnat. Nulla igitur eſt determinatio voluntatis quantumvis à præſenti diſpoſitione remotiſſima, quæ Deo ex præſcientia illam decernenti non ſubdatur pleniſſimè.

533. Neque iſtud, videlicet determinationem malam non ſubjacere divinæ voluntati, ita accipiendum eſt, quaſi ſit aliqua determinatio mala, quæ non poſſit à Deo impediri, aut nequeat efficaciter ab eo ex præſcientia decerni, ne fiat: illud enim falſiſſimum eſt: proindéque ipſa etiam hoc ſenſu ſubjacet Deo ex præſcientia definienti: & conſequenter à veritate remotiſſima eſt prędicta propoſitio, quam nobis tribuit, *decretum ex præſcientia non ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.*

534. Hujuſmodi autem decretum, prout à nobis admittitur, defenſum fuiſſe à Semipelagianis contra Auguſtinum, vt in ſecunda propoſitione aſſerit iniquiſſima eſt criminatio. In eo latiſſimè ab illis diſcernimur, quod illi vellent Deum his potius quam aliis decernere donum fidei & perſeverantiæ, quos prævidiſſet naturalibus quibuſdam operibus moraliter bonis, ac naturali conatu ad fidem & perſeverantiam ſeſe diſpoſituros, itaut ab iſtorum operum merito, & intuitu iſtius conatus Deus fuiſſet motus ad decernendum his potius

quam

quam iſtis donum fidei & perſeverantiæ. Nos autem id maximè refugimus, tantumque hoc ſenſu aſſerimus Deum decernere ex præſcientia, quod ſcilicet prius ratione quam decernat, probè noverit gratiarum ſuarum in qualibet circumſtantia virtutem; hanc futuram efficacem iſtis circumſtantiis, illam minimè: & clariſſimè prævideat qualis futurus ſit ſingularum vſus reſpectu cujuſlibet hominis: hunc tali gratiæ conſenſurum, non alteri: iſtum, huic, non illi; & ita de cæteris. Tumque pro ſua liberrima & gratuita voluntate ſtatuat huic dare gratiam quam prævidit habituram effectum: alteri autem illam, quam præſcivit carituram effectu: itaut à bono vſu gratiæ hujus hominis non fuerit motus ad dandum huic homini hanc gratiam, quam prçviderat efficacem futuram: aut à perverſo vſu alterius hominis, ad tribuendam illi gratiam quam præſciverat inefficacem. Cum enim nullus ſit homo, qui non ſit prævíſus quibuſdam gratiis bene vſurus; aliis autem, malè: non poteſt ex bono aut malo vſu gratiarum præſcito peti ratio aliqua meriti aut demeriti, ſeu motivi ad efficacem gratiam, aut inefficacem obtinendam. Sed prima diſcretio vnius ab altero fit per decretum divinum merè gratuitum huic dandi talem gratiam, quæ prævíſa eſt effectum obtentura, & conjungenda cum reliqua gratiarum ſerie, ipſaque perſeverantia: alteri autem illam dandi, quæ præſcita eſt effectu caritura, nec connectenda cum reliquis gratiis & dono perſeverantiæ: hæc, inquam, prima diſcretio ex hujuſmodi

modi decreto proveniens, ab vna Dei liberrimâ pendet voluntate. Hoc eſt, *Pſeudophilalethes*, decretum quod admittimus ex præſcientia longè ab eo diverſum quod finxere Semipelagiani.

535. *Elevatne* hoc decretum, vt affirmat tertia propoſitio, *arbitrium vt in ſeipſo, non in Domino glorietur*? id equidem verum eſt, reſpectu decreti à Semipelagianis conficti, quia juxta illorum errorem fundabatur in aliquo naturali motu liberi arbitrii à gratia independenti. At falſiſſimum eſt reſpectu decreti à nobis explicati, cujus nulla eſt alia ratio, quàm liberrima Dei voluntas. Manet igitur demonſtratum tres memoratas propoſitiones, quas nobis imponit, confectas eſſe ex meris falſitatibus.

536. Tres autem illæ, quas doctrinæ noſtræ vult adverſari, videlicet *decretum ex omnipotentia ſubdere totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem: defendi ab Auguſtino contra ſuos impugnatores. Deprimere arbitrium vt in Domino, non in ſeipſo glorietur*: maximè ſunt illi conformes, 1° enim decretum ex præſcientia à nobis explicatum decretum eſt omnipotentiæ totaliter Deo ſubdentis liberam hominis determinationem: niſi enim Deus eſſet omnipotens haberétque in theſauris ſuis innumeras gratias, non poſſet decreto ſuo præſcientiâ poſteriore, quocumque vellet, quamcumque voluntatem humanam inflectere. Sive decretum ſit prius præſcientia, ſive ſit illâ poſterius, vt putamus; ſemper eſt decretum omnipotentiæ efficaciſſimè ad exitum perducentis quod decrevit fieri.

537.

Digitized by Google

537. Preſcientiam decreto præire docet Auguſtinus lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. *Quod dictum eſt*, inquit, *quia elegit nos ante conſtitutionem mundi, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ.* Idem ſentit Ambroſius lib. 5. de fide cap. 2. Illic enim ſic ſcribit, *quos præſcivit & prædeſtinavit; non enim ante prædeſtinavit quam præſciret.* Eadem eſt doctrina Damaſceni Dialogo contra Manichæos in fine, vbi ſic loquitur: *Deus ea quæ voluntariè à nobis futura ſunt, hoc eſt ea quæ in poteſtate noſtra ſita ſunt, nimirum virtutem ac vitium præſciens, ea demum præfinit quæ in arbitrio noſtro minimè conſiſtunt*, ſcilicet præmia & ſupplicia. Eadem Fulgentii ad Monimum de veritate prædeſtinationis his verbis, *oſtenſurus itaque Deus quid reddendum præſciverit, & quid donandum; prædeſtinavit illos ad ſupplicium, quos à ſe præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros. Et prædeſtinavit ad regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros.* Pluribus ſuperſedeo; quia id jam non ago, vt oſtendam præſcientiam meritorum præire electioni ad gloriam; ſed hoc vnum mihi ſufficit, decretum præſcientiæ ab Auguſtino impugnatum, non eſſe illud, quod explicuimus; ſed alterum longe diverſum fundatum in præſcientia meritorum naturalium à Semipelagianis fabricatum.

538. Denique decretum noſtrum præſcientiæ non extollere liberum arbitrium, vt in ſeipſo non in Domino glorietur, ſatis liquet ex dictis: non enim eſt hoc ſenſu ex præſcientia, quaſi Deus ex præviſione alicujus meriti noſtri naturalis, aut boni

 vſus

vſus gratiæ à nobis futuri, motus fuerit ad illam nobis decernendam; ſed primam gratiam efficacem, ſed donum perſeverantiæ nobis decrevit ex ſola miſericordia ſua, itaut nihil prorſus ſit in quo hac in re gloriemur, ſed in vnam Dei miſericordiam totum eſt referendum.

§. 3.

Examinatur parallelus gratiæ determinantis & determinatæ quo ad difficultatum paritatem.

539. SIc proponit *Pſeudophilalethes* hunc parallelum in ſpeculo ſuo ſcientiæ mediæ fallaciſſimo. *Datur vni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri. Cur vni detur gratia determinans arbitrium & non alteri, reſpondet Apoſtolus, tu homo qui es, qui reſpondeas Deo?* cum his duabus propoſitionibus confert has duas vt noſtras: *dantur vni certa circumſtantiæ, quæ non dantur alteri. Cur vni dentur circumſtantiæ congruæ, quæ non dantur alteri, reſpondet Apoſtolus, tu homo quis es, qui reſpondeas Deo.*

540. Quamquam hæ duæ poſtremæ propoſitiones veræ ſint; non tamen rectè ſententiam noſtram proponunt; ſed ſic dicendum eſt: *datur vni gratiæ*

gratia congrua his circumſtantiis, quæ non datur alteri. Cur vni detur gratia congrua his circumſtantiis, quæ non datur alteri? reſpondet Apoſtolus, tu homo quis es, qui reſpondeas Deo? circa hoc quęſitum fateor vtriuſque ſententiæ eſſe paritatem: ab vtriſque dicendum *homo quis es, qui reſpondeas Deo.*

541. Sed ex altera parte latiſſima diſparitas eſt, quod gratia phyſicè prædeterminans ineluctabiles patiatur difficultates, vt concilietur cum libertate: gratia autem congrua à nobis admiſſa, vel modicas, vel nullas. Specimen aliquod iſtarum difficultatum, quas plurimi ex omni ordine Scriptores fusè proſequuntur, compendiosè exhibeo.

542. Primam ſic propono: omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum & non agendum, ſi agatur de libertate exercitii; & ad contrarium agendum, ſi ſermo ſit de libertate contrarietatis: atqui phyſicè prædeterminatus ad agendum non habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum & contrarium agendum: ergo non eſt agens liberum nec libertate contradictionis, nec libertate contrarietatis. Major ab adverſariis admittitur. Minorem probo: quiſquis habet aliquid repugnans negationi actus & contrario actui, quod nequeat à ſe abjicere, non habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum & contrarium agendum; cùm non poſſit dari majus potentiæ ad utrumque impedimentum, quàm aliquid intimè in ea receptum utrique repugnans; atqui phyſicè prædeterminatus habet aliquid repugnans

vſus gratiæ à nobis futuri, motus fuerit ad illam nobis decernendam; ſed primam gratiam efficacem, ſed donum perſeverantiæ nobis decrevit ex ſola miſericordia ſua, itaut nihil prorſus ſit in quo hac in re gloriemur, ſed in vnam Dei miſericordiam totum eſt referendum.

§. 3.

Examinatur parallelus gratiæ determinantis & determinatæ quo ad difficultatum paritatem.

539. Sic proponit *Pſeudophilalethes* hunc parallelum in ſpeculo ſuo ſcientiæ mediæ fallaciſſimo. *Datur vni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri. Cur vni detur gratia determinans arbitrium & non alteri, reſpondet Apoſtolus, tu homo qui es, qui reſpondeas Deo?* cum his duabus propoſitionibus confert has duas vt noſtras: *dantur vni certæ circumſtantiæ, quæ non dantur alteri. Cur vni dentur circumſtantiæ congruæ, quæ non dantur alteri, reſpondet Apoſtolus, tu homo quis es, qui reſpondeas Deo.*

540. Quamquam hæ duæ poſtremæ propoſitiones veræ ſint; non tamen rectè ſententiam noſtram proponunt; ſed ſic dicendum eſt: *datur vni*

gratia

Digitized by Google

gratia congrua his circumſtantiis, quæ non datur alteri. Cur vni detur gratia congrua his circumſtantiis, quæ non datur alteri? reſpondet Apoſtolus, tu homo quis es, qui reſpondeas Deo? circa hoc quęſitum fateor vtriuſque ſententiæ eſſe paritatem: ab vtriſque dicendum *homo quis es, qui reſpondeas Deo.*

541. Sed ex altera parte latiſſima diſparitas eſt, quod gratia phyſicè prædeterminans ineluctabiles patiatur difficultates, vt concilietur cum libertate: gratia autem congrua à nobis admiſſa, vel modicas, vel nullas. Specimen aliquod iſtarum difficultatum, quas plurimi ex omni ordine Scriptores fuſè proſequuntur, compendiosè exhibeo.

542. Primam ſic propono: omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum & non agendum, ſi agatur de libertate exercitii; & ad contrarium agendum, ſi ſermo ſit de libertate contrarietatis: atqui phyſicè prædeterminatus ad agendum non habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum & contrarium agendum: ergo non eſt agens liberum nec libertate contradictionis, nec libertate contrarietatis. Major ab adverſariis admittitur. Minorem probo: quiſquis habet aliquid repugnans negationi actus & contrario actui, quod nequeat à ſe abjicere, non habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum & contrarium agendum; cùm non poſſit dari majus potentiæ ad utrumque impedimentum, quàm aliquid intimè in ea receptum utrique repugnans; atqui phyſicè prædeterminatus habet aliquid repugnans

Digitized by Google

negationi actus & contrario actui, videlicet phyſicam prædeterminationem ad agendum, quam non poteſt à ſe abjicere: ergo non habet potentiam proximam & expeditam ad agendum & contrarium agendum. Adde illum etiam carere aliquo neceſſario ad contrarium agendum, videlicet prædeterminatione phyſica ad actum contrarium: quomodo ergo illâ carens eſt proximè expeditus ad illum actum?

543. Alteram rationem hoc ſyllogiſmo comprehendo. Quiſquis liberè agit debet poſſe ſeipſum pro libitu ſuo determinare ad alterutram partem, ſive contradictionis, ſi ſit liber ad exercitium; ſive contrarietatis, ſi ſit liber ad ſpeciem actus: atqui phyſicè prædeterminatus ad unam partem vel contradictionis vel contrarietatis non poteſt ſeipſum pro libitu ſuo ad alterutram partem determinare: ergo &c. Prob. minor: prædeterminatus ad unam partem, non eſt indifferens ad alterutram partem, quia determinatio neceſſariò tollit indifferentiam ſibi oppoſitam. Sed qui non eſt indifferens ad alterutram partem, non poteſt ſeipſum ad alterutram partem determinare, quia determinatio ſupponit indifferentiam, quam tollat: ergo &c.

544. Scio *Pſeudophilalethem*, reclamantibus aliis gratiæ prædeterminantis aſſertoribus, concedere hominem lapſum nec movere ſe, nec applicare, nec determinare ad bonum; ſed ad id tantùm moveri, applicari, ac determinari à gratia; at id aſſerendo reum ſe conſtituit erroneæ & damnatæ doctrinæ, ut

Digitized by Google

ut demonſtrabitur capite ſequenti.

545. Tertiam rationem ex hac paritate deduco: ſi Deus infunderet voluntati habitum aliquem tam potenter illam inclinantem & determinantem ad agendum, vt vinceret omnem ejus reſiſtentiam, nec fieri poſſet vt cum illo ſtaret omiſſio actus ad quem inclinaret; hujuſmodi habitus tolleret libertatem voluntatis: atqui prædeterminatio phyſica immiſſa à Deo in voluntatem adhuc potentius, aut ſaltem ęquè potenter illam determinaret ad agendum, quandoquidem eſſet ex eſſentia ſua actualiſſima voluntatis applicatio ad actum; ergo æquè deſtrueret libertatem ac talis habitus.

546. Haſne difficultates patitur gratia non phyſicè voluntatem prædeterminans, ſed tantùm illam excitans & alliciens ad agendum per internam aliquam illuſtrationem, & complacentiam boni? non ita vincens voluntatis reſiſtentiam, ut cum ea nullo modo ſtare poſſit voluntatis diſſenſus; ſed ſolùm ita congruè illam movens & ſuaviter invitans, ut ſuperet quidem ejus reſiſtentiam, & efficaciter illam pertrahat ad id ad quod movet, ſic tamen ut abſolutè loquendo conjungi poſſit cum voluntatis diſſenſu. Quis non videat hujuſmodi gratiam congruam non incurrere difficultates propoſitas, proindéque falſiſſimum eſſe, quod ſcripſit *Pſeudophilalethes*, eaſdem eſſe utriuſque gratiæ difficultates.

547. Videamus modò an ſit major illarum æqualitas reſpectu paralleli propoſitionum ſequentium.

Sic inducit Judæos juxta ſententiam gratiæ prę-

determinantis aſſertivam, ſeſe excuſantes quod non crediderint. *Dicunt Iudæi; quid præ Tyriis increpamur? nam æquè benè ac Tyrii credidiſſemus, ſi voluiſſet Deus nobis dare gratiam determinantem, quam dediſſet Tyriis,* Juxta nos in hunc modum. *Dicunt Iudæi; quid præ Tyriis increpamur? nam æquè benè ac Tyrii credidiſſemus; ſi voluiſſet Deus nos ponere in circumſtantiis illis, in quibus poſuiſſet Tyrios.*

548. Ut res evadat clarior; perfectiorque antitheſis, pro circumſtantiis congruis ſubſtituo gratiam congruam: & affirmo juſtam eſſe excuſationem Iudęorum carentium gratiâ prędeterminante ad credēdum, ſi illa ſit ad id neceſſaria; ut volunt adverſarii: injuſtam autem carentium gratiâ congruâ. Quamquam enim vèrum ſit credituros fuiſſe Iudæos cum gratia cōgrua æquè ac cū prædeterminante: aliunde tamen diſparitas eſt longè maxima, quod Iudæi, juxta ſententiam adverſariorum, caruerint medio neceſſario ut crederent, gratia videlicet prædeterminante, ſine qua fieri non potuit, ut actu crederent: nam juxta hujus gratiæ aſſertores implicat contradictionem ut actu crediderint ſine hujuſmodi gratia: juſta autem videtur illius excuſatio quod non fecerit id, ad quod faciendum carebat medio neceſſario. Iam verò ſecundùm doctrinam noſtram, licet Iudæi non habuerint gratiam congruam; non tamen caruerunt medio neceſſario ad credendum, habuerunt enim gratiam ſufficientem nullo ulteriori auxilio egentem ut crederent. Iniquiſſima igitur eſt illorum excuſatio; cum donati auxilio planè ſufficienti ad credendum, culpâ
ſuâ

Digitized by Google

ſuâ non crediderint. Videſne, *Pſeudophilalethes*, quanta ſit excuſationis diſparitas?

549. At, inquies; Iudæi caruerunt gratiâ prædeterminante ad credendum, quia infidelitate ſuâ aut aliis peccatis effecerunt ne daretur: oblata erat, & data fuiſſet, ſi obſtaculum peccati non oppoſuiſſent. Sibi ergo imputent, quod illâ caruerint.

Quàm futilis ſit hæc reſponſio fuſius infra oſtendam capite ſequenti. Sect. 3. §. 3. Nunc ſufficiet his paucis *Pſeudophilalethem* interrogaſſe: eratne Iudæis neceſſaria gratia prædeterminans ut vitarent peccatum illud, quod ais obſtaculum fuiſſe gratiæ prędeterminantis ad credendum? id inficiari non poteris niſi deſtruas infirmitatem naturæ lapſæ, propter quam affirmas talis gratiæ neceſſitatem. Si neceſſaria erat; fuitne hęc gratia data? non fuiſſe datam certum eſt; alioqui enim non peccaſſent; non enim poſſibile eſt, ut data fuerit, & peccaverint; cùm gratia prædeterminans non poſſit carere effectu ſuo. Si non eſt data; quomodo potuerunt vitare illud peccatum; cùm caruerint gratiâ neceſſariâ ad illud vitandum? non poteſt igitur juſtè dici. Imputent ſibi quod non acceperint gratiam prędeterminantem ad credendum.

550. Iniqua igitur eſt in tua ſententia hæc Chriſti increpatio, quàm priori propoſitioni ſubjicis: *væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obſtinatione poſt tot ſigna auxilium determinans arbitrium tibi paratum impedivisti; quod ſibi paratum Tyrii non impediviſſent, gratiâ determinante eorum arbitrium, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.*

nam

nã Statim Corozaitæ poſſunt Chriſto reponere,ideò Tyrii auxilium illud non impediiſſent, quoniam accepiſſent gratiam prędeterminantem ad vitandum peccatum, quod auxilium illud impediiſſet: cùm ergo nos gratiam iſtam non acceperimus ad vitandum illud peccatum, quid nos præ illis increpas?

551. Non ita eſt in ſententia noſtra. Juſtiſſimè ſic potuit Chriſtus Corozaitas comminando increpare: *væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obſtinatione poſt tot ſigna auxilium ab arbitrio determinandum tibi paratum* (dicere debuit datum; nam reipsà datum fuiſſe aſſerimus) *reddidiſti inefficax, quod ſibi paratum* (imò datum) *Tyrii reddidiſſent efficax, arbitrio eorum* (beneficio gratiæ adjuvantis) *gratiam determinante, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.*

Quid enim juſtius, quàm ut arguatur & caſtigetur, qui accepto auxilio ad credendum neceſſario, voluntariâ obſtinatione non credidit; atque ita culpâ ſuâ auxilium illud reddidit inefficax?

Sequentes propoſitiones, quibus probat majoribus nos difficultatibus urgeri, quod arbitrium faciamus primam radicem diſcretionis: voluntatem dominam, gratiam pediſſequam &c. conflatæ ſunt ex meris impoſturis, ut cap. 2. Sect. 3. & 4. abundè declaratum eſt.

§. 4.

§. 4.

Expenditur comparatio libertatis prævolitæ cum libertate præſcitæ.

552. INeptè opponit libertatem prævolitam libertati prçſcitæ, & prçſcitam nobis tribuit, prçvolitam adverſariis; cùm certum ſit in omnium ſententia rectè de Deo ſentientium, libertatem noſtram & prçvolitam eſſe à Deo & prçſcitam: nos eſſe liberos, quia Deus nos tales eſſe voluit & fecit: & nos tales futuros præſciviſſe, qui nihil poteſt ignorare.

Neutrum officere libertati noſtræ, & illi, & nos aſſerimus: non primum, quia cauſa libertatis nequit obeſſe libertati; cùm igitur volitio divina ſit illius cauſa (liberi enim ſumus, quia Deus voluit nos eſſe liberos) non poteſt illi officere, quod ſit à Deo prævolita. Non etiam alterum; quia præſcientia prçſupponit objectum ſuum: prçſcientia igitur libertatis præſupponit libertatem: quod autem libertatem præſupponit, non poteſt libertatem deſtruere.

553. Aërem igitur verberat, & hoſtem impetit qui non eſt, dum ſic ſtrenuè decertat: *quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis, non poteſt lædere libertatem; etiamſi antecedat actum liberum. ergo quod fit ex ſuppoſitione libertatis prævolitæ non poteſt lçdere libertatem, etiamſi an-*

 tecedat

tecedat actum liberum. Ratio conſequentiæ eſt, quod eſſe prævolitum non eſt conditio deſtruens libertatem; alioqui non poſſet dici libertas prævolita, ſed deberet dici neceſſitas prævolita. Huic ratiocinationi ultrò ſubſcribent ſcientiæ mediæ Sectatores: uti & huic alteri phyſicæ prædeterminationis aſſertores: *quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem, etiamſi antecedat actum liberum: ergo quod fit ex ſuppoſitione libertatis præſcita, non poteſt lædere libertatem, etiamſi antecedat* (tempore ſcilicet, juxta nos, non cauſalitate) *actum liberum: ratio conſequentiæ eſt, quod eſſe præſcitum non eſt conditio deſtruens libertatem: alioqui non poſſet dici libertas præſcita, ſed deberet dici neceſſitas præſcita.*

554. Nonne igitur riſu dignus eſt qui has propoſitiones inter ſe committit tanquam adverſarias, cùm amicæ ſint & utrique parti acceptæ? Nonne ridicula probatio inde petita, quod utrique & ſcientiæ mediæ & prædeterminationis defenſores eaſdem patiantur difficultates; cùm neutri ex hac parte difficultatem patiantur?

555. Oſtendam ego in quo verè adverſarii noſtri graviſſimâ difficultate, quâ nos caremus, vehementer arctentur. Non eſt illa petenda ex eo quod libertas noſtra, vt certiſſimum eſt, ſit à Deo prævolita; ſed ex eo quod aſſerant id à Deo infundi voluntati, quod illam ad volendum phyſicè prædeterminat, quod infert irreſiſtibiliter illius actum; nec tamen ab ea pendet vt illud habeat, nec habitum poteſt abjicere. Nos autem nullum, vt agamus, prærequiſitum agnoſcimus, cujus

cujus vſus non ſit in poteſtate voluntatis, quod conjungi non poſſit cum negatione actus, aut certè abjici non agendo. Hæc igitur eſt, quam celas, difficultatis diſparitas inter nos, & neotericos Thomiſtas, in explicanda libertate voluntatis noſtræ à Deo ſecundùm vtroſque prævolita.

556. Quod autem addis libertatem prævolitam minores pati difficultates, quàm præſcitam, quia, inquis, *libertas prævolita facit ſecundum liberum in ſua liberâ determinatione dependere à primo libero. Similiter & ſecundum determinans à primo determinante: libertas* autem *præſcita tollit dependentiam ſecundi liberi in ſua libera determinatione à primo libero, ſimiliter & ſecundi determinantis à primo determinante*, adeo nullam habet ſpeciem veri, vt vix egeat confutatione, vt præclarè oſtendit Ioſephus de Vita in extracto R. P. Platel §. 26. pag. 133.

557. Quod aſſeris in prima propoſitione, noſtrum eſt: ita prorſus eſt, quia libertas noſtra prævolita eſt à Deo, ſive quia Deus voluit nos eſſe liberos, & fecit; omnino dependet à Deo voluntas noſtra, vt ſe determinet & velit: quomodo enim ab hac cauſa ſua in eo non penderet; cum nec velle, nec dererminare ſe poſſit, niſi prius Deus voluerit & liberam illam facere, & cum illa concurrere; & ſi ſermo ſit de actibus bonis vitâ æternâ dignis, niſi prius illam gratiâ ſuâ ad eos ſpecialiter excitaverit, & juverit. Neceſſe fuit prius Deum ſe ad hæc omnia determinaſſe, quàm haberi potuerit vlla voluntatis determinatio: quomodo ergo

Digitized by Google

ergo non eſſet primum determinans? nullam igitur ex hac parte ſpecialem difficultatem incurrimus, cum manifeſtum ſit, juxta hęc principia ſcientiæ mediæ, ſecundum liberum ſive libertatem creatam pendere à primo libero ſeu Deo in ſui liberâ determinatione; nec poſſe ſecundum determinare ſe, niſi prius Deus ſeipſum determinaverit.

558. Altera autem propoſitio tua, quam nobis adſcribis, apertã continet falſitatem: cur, amabo, libertas præſcita tolleret dependentiam ſecundi liberi à primo? efficitne hæc pręſcientia, quo minus in actibus noſtris naturalibus egeamus generali Dei concurſu, & ſpeciali in ſupernaturalibus auxilio? quo minus neceſſe ſit prius Deum ſe determinaſſe ad prædictum concurſum & auxilium nobis ferendum, quàm valeamus nos ipſos determinare? non puto poſſe cadere in ſanam mentem tam abſurdã aſſertionẽ: ſi ergo neutrum efficit hæc præſcientia, quomodo tollit dependentiam ſecundi liberi à primo? numquid qui nihil poteſt agere, niſi ab altero adjuvetur, dependet ab ejus auxilio, vt agat? nonne qui impotens eſt ad ſe determinandum, niſi prius alter ſe determinet, vt illum adjuvet, dependet ab illo, vt primo determinante? cùm ergo in libertate præſcita remaneat hæc vtraque dependentia à Deo, evidens eſt prædictæ propoſitionis tuæ falſitas.

559. Ex propoſitione falſa illationẽ feciſti æquè falſam. *Ideo*, ais, *gratia congrua ſupponens libertatem præſcitam, eſt incongrua libertati ſecundi liberi.* Hæc illatio

tio ſeipſam deſtruit : ſi enim gratia congrua ſupponit libertatem præſcitam à Deo, nequit eſſe libertati præſcitæ incongrua, niſi fallatur Dei præſcientia, quod fieri non poteſt.

In altera illatione ex hac priori propoſitione; *libertas prævolita facit ſecundum liberum in ſua libera determinatione dependere à primo libero* ſupponis falſum: ſic enim infers.; *ideo gratia prædeterminans ſupponens libertatem prævolitam, eſt congrua libertati ſecundi liberi.* Falſiſſimum enim eſt gratiam prædeterminantem ſupponere libertatem prævolitã: cùm enim neceſſitatem inducat libertati contrariam, vt ſupra probatum eſt num. 542. & ſeqq. Non ſupponit libertatem prævolitam, ſed neceſſitatem.

SECTIO II.

Ponderatur comparatio concurſus prævii & ſimultanei ad materiale peccati circa difficultatum paritatem.

560. ASſerit *Pſeudophilalethes* in vltima parte ſpeculi ſui res non niſi larvatas exhibentis, iiſdem difficultatibus vrgeri concurſum prævium & pediſſequum ad materiale peccati.

contumelioſè

contumelioſè autem concurſum, quem admittimus, vocat pediſſequum, cum ſit ſimultaneus: vnde illum deinceps ſimultaneum vocabo. Quomodo enim eſſet pediſſequus, quandoquidem, vt docemus, identificetur realiter actioni cauſæ ſecundæ; itaut vno & eodem indiviſibili influxu agat cauſa ſecunda, & coagat prima. Sed, vt dixi, ſpeculum ab eo temerè fabricatum non niſi mentitas refert rerum ſpecies.

561. Vt bonâ fide procederet, nec Lectori illuderet, deberet difficultates omnes exponere, quas patitur concurſus prævius ad materiale peccati, & oſtendere iiſdem implicari concurſum ſimultaneum: ſed illas omnes præterit, unicum illarum fundamentum his pauculis verbis referens: *Deus concurſu prævio determinat voluntatem ad actum odii hic & nunc liberè ponendum.* Tum ſtatim ſubjungit *non tamen determinat ad malitiam, quia actus odii hic & nunc liberè ponendus habet duas rationes, vnam ad quam ſequitur malitia, aliam, ad quam non ſequitur malitia. Deus autem determinat actum odii hic & nunc liberè ponendum ſub illa ratione, ad quam non ſequitur malitia.* En tota difficultas ab eo propoſita & illius ſolutio. Ne lector ab eo decipiatur, ſingulas ego difficultates præcipuas adducam, quibus premitur concurſus ille prævius.

§. I.

Proponitur præcipua difficultas qua urgetur concurſus prævius determinans ad materiale peccati.

562. INter difficultates hujus concurſus prævii principem locum obtinet, quod hujuſmodi concurſus Deum faciat auctorem peccati, quod divinæ bonitati prorſus repugnat.

Id autem ſic probo ex ipſa *Pſeudophilalethis* propoſitione: *Deus concurſu prævio determinat voluntatem ad actum odii* (claritatis cauſa ſupponamus eſſe actum odii Dei) *hic & nunc liberè ponendum.* Subſumo: atqui actus odii Dei hic & nunc liberè ponēdus non poteſt non eſſe formaliter peccatum: ergo Deus concurſu prævio determinando voluntatem ad actum odii liberè ponendum, determinat illam ad formaliter peccandum.

563. Reſpondet Deum non eſſe autorem peccati, quia non determinat voluntatem ad malitiam iſtius odii: *quia*, inquit, *actus odii hic & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam ad quam ſequitur malitia; aliam ad quam non ſequitur malitia. Deus autem determinat actum odii hic & nunc liberè ponendum ſub illa ratione ad quam non ſequitur malitia.*

564.

alitia moralis. Eandem rationem aliis verbis ſic
xplicat num. 202. *Ex quo evidens ſit , habitudinem
ius voluntarii ad voluntatem deficientem, eſſe illam ratio-
m ad quam ſequitur malitia.* Per hoc autem aſſerit
m. 203. voluntatem deficere , quod ſe legi non
bjiciat. *Supereſt*, inquit , *explicare quid ſit voluntas de-
ens ? breviter dico , quod voluntas deficiens eſt volun-
s non ſe ſubjiciens legi.*

ergo oſtendero Deum determinando volunta-
m concurſu prævio ad actum per ſe malum v. g. ad
dium Dei advertenter & liberè eliciendum; efficere,
t voluntas non ſe ſubjiciat legi odium illud prohi-
enti : planè ex ejus verbis confecero , Deum eſſe
utorem malitiæ iſtius actus.

Id oſtendere , erit mihi perfacilè : quid enim eſt
oluntatem legi ſe non ſubjicere , niſi advertenter &
berè id velle quod lex prohibet : atqui Deus juxta
dverſarium concurſu prævio determinat volunta-
em ut advertenter & liberè id velit quod lex prohi-
et : hæc enim ſunt ejus verba ſupra allata. *Deus con-
urſu ſuo prævio determinat voluntatem ad actum odii hic
& nunc liberè ponendum* ; quem utique lex prohibet :
rgo determinat voluntatem ut ſe legi non ſubjiciat,
uia determinat illam ad actum odii Dei eo modo
xercendum, advertenter ſcilicet & liberè, quo modo
llum exercens ſit formaliter non ſubjiciens ſe legi
divinæ. Ergo ulterius determinat voluntatem ad
ſtum actum odii ſub illa ratione ad quam ſequitur
llius malitia ; & conſequenter ad ipſam malitiam.
Quod divinæ bonitati quàm maximè injurio-
ſum eſt.

Digitized by Google

nã Statim Corozaitæ poſſunt Chriſto reponere, ideò Tyrii auxilium illud non impediiſſent, quoniam accepiſſent gratiam prędeterminantem ad vitandum peccatum, quod auxilium illud impediiſſet: cùm ergo nos gratiam iſtam non acceperimus ad vitandum illud peccatum, quid nos præ illis increpas?

551. Non ita eſt in ſententia noſtra. Juſtiſſimè ſic potuit Chriſtus Corozaitas comminando increpare: *væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obſtinatione poſt tot ſigna auxilium ab arbitrio determinandum tibi paratum* (dicere debuit datum; nam reipsà datum fuiſſe aſſerimus) *reddidiſti inefficax, quod ſibi paratum* (imò datum) *Tyrii reddidiſſent efficax, arbitrio eorum* (beneficio gratiæ adjuvantis) *gratiam determinante, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.*

Quid enim juſtius, quàm ut arguatur & caſtigetur, qui accepto auxilio ad credendum neceſſario, voluntariâ obſtinatione non credidit; atque ita culpâ ſuâ auxilium illud reddidit inefficax?

Sequentes propoſitiones, quibus probat majoribus nos difficultatibus urgeri, quod arbitrium faciamus primam radicem diſcretionis: voluntatem dominam, gratiam pediſſequam &c. conflatæ ſunt ex meris impoſturis, ut cap. 2. Sect. 3. & 4. abundè declaratum eſt.

Digitized by Google

§. 4.

Expenditur comparatio libertatis prævolitæ cum libertate præſcitæ.

552. INeptè opponit libertatem prævolitam libertati pręſcitæ, & pręſcitam nobis tribuit, pręvolitam adverſariis; cùm certum ſit in omnium ſententia rectè de Deo ſentientium, libertatem noſtram & pręvolitam eſſe à Deo & pręſcitam: nos eſſe liberos, quia Deus nos tales eſſe voluit & fecit: & nos tales futuros præſciviſſe, qui nihil poteſt ignorare.

Neutrum officere libertati noſtræ, & illi, & nos aſſerimus: non primum, quia cauſa libertatis nequit obeſſe libertati; cùm igitur volitio divina ſit illius cauſa (liberi enim ſumus, quia Deus voluit nos eſſe liberos) non poteſt illi officere, quod ſit à Deo prævolita. Non etiam alterum; quia præſcientia pręſupponit objectum ſuum: pręſcientia igitur libertatis præſupponit libertatem: quod autem libertatem præſupponit, non poteſt libertatem deſtruere.

553. Aërem igitur verberat, & hoſtem impetit qui non eſt, dum ſic ſtrenuè decertat: *quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis, non poteſt lædere libertatem; etiamſi antecedat actum liberum. ergo quod fit ex ſuppoſitione libertatis prævolita non poteſt lędere libertatem, etiamſi an-*

tecedat actum liberum. Ratio conſequentiæ eſt, quod eſſe prævolitum non eſt conditio deſtruens libertatem; alioqui non poſſet dici libertas prævolita, ſed deberet dici neceſſitas prævolita. Huic ratiocinationi ultrò ſubſcribent ſcientiæ mediæ Sectatores: uti & huic alteri phyſicæ prædeterminationis aſſertores: *quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem, etiamſi antecedat actum liberum: ergo quod fit ex ſuppoſitione libertatis præſcita, non poteſt lædere libertatem, etiamſi antecedat* (tempore ſcilicet, juxta nos, non cauſalitate) *actum liberum: ratio conſequentiæ eſt, quod eſſe præſcitum non eſt conditio deſtruens libertatem: alioqui non poſſet dici libertas præſcita, ſed deberet dici neceſſitas præſcita.*

554. Nonne igitur riſu dignus eſt qui has propoſitiones inter ſe committit tanquam adverſarias, cùm amicæ ſint & utrique parti acceptæ? Nonne ridicula probatio inde petita, quod utrique & ſcientiæ mediæ & prædeterminationis defenſores eaſdem patiantur difficultates; cùm neutri ex hac parte difficultatem patiantur?

555. Oſtendam ego in quo verè adverſarii noſtri graviſſimâ difficultate, quâ nos caremus, vehementer arctentur. Non eſt illa petenda ex eo quod libertas noſtra, vt certiſſimum eſt, ſit à Deo prævolita; ſed ex eo quod aſſerant id à Deo infundi voluntati, quod illam ad volendum phyſicè prædeterminat, quod infert irreſiſtibiliter illius actum; nec tamen ab ea pendet vt illud habeat, nec habitum poteſt abjicere. Nos autem nullum, vt agamus, prærequiſitum agnoſcimus,

cujus

Digitized by Google

cujus vſus non ſit in poteſtate voluntatis, quod conjungi non poſſit cum negatione actus, aut certè abjici non agendo. Hæc igitur eſt, quam celas, difficultatis diſparitas inter nos, & neotericos Thomiſtas, in explicanda libertate voluntatis noſtræ à Deo ſecundùm vtroſque prævolita.

556. Quod autem addis libertatem prævolitam minores pati difficultates, quàm preſcitam, quia, inquis, *libertas prævolita facit ſecundum liberum in ſua liberâ determinatione dependere à primo libero. Similiter & ſecundum determinans à primo determinante: libertas* autem *præſcita tollit dependentiam ſecundi liberi in ſua libera determinatione à primo libero, ſimiliter & ſecundi determinantis à primo determinante*, adeo nullam habet ſpeciem veri, vt vix egeat confutatione, vt præclarè oſtendit Ioſephus de Vita in extracto R. P. Platel §. 26. pag. 133.

557. Quod aſſeris in prima propoſitione, noſtrum eſt: ita prorſus eſt, quia libertas noſtra prævolita eſt à Deo, ſive quia Deus voluit nos eſſe liberos, & fecit; omnino dependet à Deo voluntas noſtra, vt ſe determinet & velit: quomodo enim ab hac cauſâ ſua in eo non penderet; cum nec velle, nec dererminare ſe poſſit, niſi prius Deus voluerit & liberam illam facere, & cum illa concurrere; & ſi ſermo ſit de actibus bonis vitâ æternâ dignis, niſi prius illam gratiâ ſuâ ad eos ſpecialiter excitaverit, & juverit. Neceſſe fuit prius Deum ſe ad hæc omnia determinaſſe, quàm haberi potuerit vlla voluntatis determinatio: quomodo ergo

ergo non eſſet primum determinans? nullam igitur ex hac parte ſpecialem difficultatem incurrimus, cum manifeſtum ſit, juxta hęc principia ſcientiæ mediæ, ſecundum liberum ſive libertatem creatam pendere à primo libero ſeu Deo in ſui liberâ determinatione; nec poſſe ſecundum determinare ſe, niſi prius Deus ſeipſum determinaverit.

558. Altera autem propoſitio tua, quam nobis adſcribis, apertã continet falſitatem: cur, amabo, libertas præſcita tolleret dependentiam ſecundi liberi à primo? efficitne hæc prę́ſcientia, quo minus in actibus noſtris naturalibus egeamus generali Dei concurſu, & ſpeciali in ſupernaturalibus auxilio? quo minus neceſſe ſit prius Deum ſe determinaſſe ad prædictum concurſum & auxilium nobis ferendum, quàm valeamus nos ipſos determinare? non puto poſſe cadere in ſanam mentem tam abſurdã aſſertionẽ: ſi ergo neutrum efficit hæc præſcientia, quomodo tollit dependentiam ſecundi liberi à primo? numquid qui nihil poteſt agere, niſi ab altero adjuvetur, dependet ab ejus auxilio, vt agat? nonne qui impotens eſt ad ſe determinandum, niſi prius alter ſe determinet, vt illum adjuvet, dependet ab illo, vt primo determinante? cùm ergo in libertate præſcita remaneat hæc vtraque dependentia à Deo, evidens eſt prædictæ propoſitionis tuæ falſitas.

559. Ex propoſitione falſa illationẽ feciſti æquè falſam. *Ideo*, ais, *gratia congrua ſupponens libertatem præſcitam, eſt incongrua libertati ſecundi liberi.* Hæc illatio

tio ſeipſam deſtruit : ſi enim gratia congrua ſupponit libertatem præſcitam à Deo, nequit eſſe libertati præſcitæ incongrua, niſi fallatur Dei præſcientia, quod fieri non poteſt.

In altera illatione ex hac priori propoſitione; *libertas prævolita facit ſecundum liberum in ſua libera determinatione dependere à primo libero* ſupponis falſum: ſic enim infers.; *ideo gratia prædeterminans ſupponens libertatem prævolitam, eſt congrua libertati ſecundi liberi.* Falſiſſimum enim eſt gratiam prædeterminantem ſupponere libertatem prævolitã: cùm enim neceſſitatem inducat libertati contrariam, vt ſupra probatum eſt num. 542. & ſeqq. Non ſupponit libertatem prævolitam, ſed neceſſitatem.

SECTIO II.

Ponderatur comparatio concurſus prævii & ſimultanei ad materiale peccati circa difficultatum paritatem.

560. Aſſerit *Pſeudophilalethes* in vltima parte ſpeculi ſui res non niſi larvatas exhibentis, iiſdem difficultatibus vrgeri concurſum prævium & pediſſequum ad materiale peccati. contumelioſè

contumelioſè autem concurſum, quem admittimus, vocat pediſſequum, cum ſit ſimultaneus: vnde illum deinceps ſimultaneum vocabo. Quomodo enim eſſet pediſſequus, quandoquidem, vt docemus, identificetur realiter actioni cauſæ ſecundæ; itaut vno & eodem indiviſibili influxu agat cauſa ſecunda, & coagat prima. Sed, vt dixi, ſpeculum ab eo temerè fabricatum non niſi mentitas refert rerum ſpecies.

561. Vt bonâ fide procederet, nec Lectori illuderet, deberet difficultates omnes exponere, quas patitur concurſus prævius ad materiale peccati, & oſtendere iiſdem implicari concurſum ſimultaneum: ſed illas omnes præterit, unicum illarum fundamentum his pauculis verbis referens: *Deus concurſu prævio determinat voluntatem ad actum odii hic & nunc liberè ponendum.* Tum ſtatim ſubjungit *non tamen determinat ad malitiam, quia actus odii hic & nunc liberè ponendus habet duas rationes, vnam ad quam ſequitur malitia, aliam, ad quam non ſequitur malitia. Deus autem determinat actum odii hic & nunc liberè ponendum ſub illa ratione, ad quam non ſequitur malitia.* En tota difficultas ab eo propoſita & illius ſolutio. Ne lector ab eo decipiatur, ſingulas ego difficultates præcipuas adducam, quibus premitur concurſus ille prævius.

Digitized by Google

§. I.

Proponitur præcipua difficultas qua urgetur concurſus prævius determinans ad materiale peccati.

562. INter difficultates hujus concurſus prævii principem locum obtinet, quod hujuſmodi concurſus Deum faciat auctorem peccati, quod divinæ bonitati prorſus repugnat.

Id autem ſic probo ex ipſa *Pſeudophilalethis* propoſitione: *Deus concurſu prævio determinat voluntatem ad actum odii* (claritatis cauſa ſupponamus eſſe actum odii Dei) *hic & nunc liberè ponendum.* Subſumo: atqui actus odii Dei hic & nunc liberè ponēdus non poteſt non eſſe formaliter peccatum: ergo Deus concurſu prævio determinando voluntatem ad actum odii liberè ponendum, determinat illam ad formaliter peccandum.

563. Reſpondet Deum non eſſe autorem peccati, quia non determinat voluntatem ad malitiam iſtius odii: *quia*, inquit, *actus odii hic & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam ad quam ſequitur malitia; aliam ad quam non ſequitur malitia. Deus autem determinat actum odii hic & nunc liberè ponendum ſub illa ratione ad quam non ſequitur malitia.*

564.

564. Totus adhuc tenetur conſtrictus: nam ratio illa in iſto actu odii Dei, ad quam ſequitur malitia, non eſt alia, quàm quod actus ille rationi & regulis morum maximè difformis advertenter & liberè ponatur à voluntate arctiſſimè obligatâ ad illum non ponendum: atqui Deus juxta illum, concurſu prævio determinat voluntatem ad iſtud odium rationi & regulis morum maximè difforme advertenter & liberè exercendum contra arctiſſimam obligationem quam habet ut ab illo abſtineat; cùm enim actus ille advertenter & liberè poſitus ſit per ſe & eſſentialiter rationi & regulis morum maximè difformis; & voluntas ſit per ſe & eſſentialiter obligata ad illum non exercendum advertenter & liberè; non poteſt Deus illam influxu prævio determinare ad iſtud odium advertenter & liberè ponendum, niſi eam determinet ad liberè & advertenter exercendum actum rationi & regulis morum maximè difformem, contra arctiſſimam obligationem quam habet, ut ab illo abſtineat.

Vt magis adhuc urgeatur *Pſeudophilalethes*, & propriis verbis irretiatur, videamus in quo conſtituat malitiam moralem, & rationem ex qua ſequitur.

565. De ipſa malitia ſic ſcribit num. 200. *Si voluntas levi obligata ſe ſubjiciat legi, reſultat in actu tendentia in objectum conforme legi: ſi verò non ſe ſubjiciat legi, reſultat in actu tendentia in objectum difforme legi, quæ tendentia eſt malitia moralis, ſicut & prior tendentia eſt bonitas moralis.* Et infra. *Habitudo actus ad voluntatem non ſe ſubjicientem legi eſt illa ratio ad quam ſequitur malitia*

malitia moralis. Eandem rationem aliis verbis ſic explicat num. 202. *Ex quo evidens fit , habitudinem actus voluntarii ad voluntatem deficientem, eſſe illam rationem ad quam ſequitur malitia.* Per hoc autem aſſerit num. 203. voluntatem deficere , quod ſe legi non ſubjiciat. *Supereſt*, inquit, *explicare quid ſit voluntas deficiens ? breviter dico, quod voluntas deficiens eſt voluntas non ſe ſubjiciens legi.*

Si ergo oſtendero Deum determinando voluntatem concurſu prævio ad actum per ſe malum v. g. ad odium Dei advertenter & liberè eliciendum; efficere, ut voluntas non ſe ſubjiciat legi odium illud prohibenti: planè ex ejus verbis confecero , Deum eſſe autorem malitiæ iſtius actus.

Id oſtendere, erit mihi perfacilè: quid enim eſt voluntatem legi ſe non ſubjicere, niſi advertenter & liberè id velle quod lex prohibet: atqui Deus juxta adverſarium concurſu prævio determinat voluntatem ut advertenter & liberè id velit quod lex prohibet: hæc enim ſunt ejus verba ſupra allata. *Deus concurſu ſuo prævio determinat voluntatem ad actum odii hic & nunc liberè ponendum* ; quem utique lex prohibet: ergo determinat voluntatem ut ſe legi non ſubjiciat, quia determinat illam ad actum odii Dei eo modo exercendum, advertenter ſcilicet & liberè, quo modo illum exercens fit formaliter non ſubjiciens ſe legi divinæ. Ergo ulterius determinat voluntatem ad iſtum actum odii ſub illa ratione ad quam ſequitur illius malitia; & conſequenter ad ipſam malitiam. Quod divinæ bonitati quàm maximè injurioſum eſt.

X 566.

Digitized by Google

566. Clariſſimè etiam demonſtro, juxta ſententiam phyſicas prædeterminationes aſſerentem, in peccato omiſſionis, v. g. actus amoris imperati, Deum eſſe illius autorem.

Iſtius enim peccati author cenſendus eſt, qui id negat, quod neceſſarium erat, ut fieret imperatus amoris actus: atqui Deus negaſſet id quod erat neceſſarium; quia nempe negaſſet phyſicam prædeterminationem ad illum actum planè neceſſariam: ergo foret autor iſtius peccati.

567. Id adhuc clarius liquet, ſi in iſta omiſſione interveniat nolitio poſitiva actus imperati: tunc enim omittens amorem imperatum non tantùm carer prædeterminatione neceſſariâ ad illum eliciendum; ſed etiam habet prædeterminationem ſibi à Deo infuſam ad actum illum, quo poſitivè vult actum imperatum omittere. Quod autem hanc prędeterminationem habeat, & careat alterâ; id in unam Dei voluntatem refundendum, qui ſuas prędeterminationes diſtribuit, denegat, & concedit, prout voluerit.

568. Alteram aſſerti mei probationem ex hac paritate deduco: non poteſt cacodęmon excitatâ aliqua ſpecie turpi, aut homo perverſo conſilio ſuo alterum efficaciter movere ad materiale actus mali v. g. fornicationis, niſi ſit cauſa peccati. Ergo multò minus Deus phyſicâ ſuâ prædeterminatione poteſt ad illud movere, niſi etiam ſit cauſa peccati: cùm hæc phyſica Dei prædeterminatio longè efficacius inferat actum fornicationis, quàm prædicta cacodæmonis aut hominis excitatio.

569

569. Nec ſatisfaciet, ſi dicat hanc motionem moralem eſſe: illam autem phyſicam; cùm phyſica potentius impellat ad actum fornicationis, quàm moralis. Præterea numquid diabolus aut homo foret cauſa peccati, ſi alterum phyſico aliquo influxu prædeterminativo efficaciſſimè moveret ad actum peccati advertenter & liberè exercendum? non puto id negaturum *Pſeudophilalethem*. Cur ergo peccatum non etiam in Deum tanquam in cauſam foret refundendum, ſi ſimili influxu moveret nos ad actum peccati? denique ſi Deus phyſicè prædeterminet ad omnes actus, dabitur etiam reſpectû Dei motio aliqua moralis ad actum peccati: nam prædeterminabit ad actus potentiæ imaginativæ, qui repræſentatione ſuâ moraliter movent voluntatem ad actum peccati: mediis ergo illis actibus moraliter voluntatem movebit ad peccatum.

§ 2.

Exponuntur aliæ difficultates.

PRiori difficultati ſanè graviſſimæ tres alias adjungo judicio quidem meo etiam inſolubiles; nam ex prædicta ſententia phyſicæ prædeteminationis ad materiale peccati.

570. Sequitur 1°. Deum velle fieri quod prohi-

 bet

Digitized by Google

bet fieri: quod abſurdiſſimum eſſe & falſiſſimum, & manifeſtam involvere contradictionem liquet ex ipſis terminis: cùm enim clarum ſit Deum nolle fieri, quod prohibet fieri; ſi fieri vellet, quod fieri prohibet, vellet fieri, quod fieri nollet.

Sic autem ſequelam probo: Deus vult fieri, quod prædeterminat fieri; quia prædeterminatio Dei importat volitionem Dei, eſtque ipſa volitio, ſi ſumatur pro ipſo decreto prædeterminativo: aut certè terminus ejus, ſi accipiatur pro qualitate prædeterminativa. Ergo ſi prædeterminat fieri materiale peccati, vult fieri materiale peccati; & conſequenter prohibet fieri, quod vult fieri: quia quod directè prohibet fieri, eſt materiale peccati.

Ultima hæc conſequentia; quæ ſola videtur poſſe negari, hoc modo probatur: Deus id directè vetat fieri, quod homo directè poteſt velle in præcepti tranſgreſſione: ſed quod homo directè poteſt velle tranſgrediendo præceptum, eſt tantummodò ipſum materiale peccati, non formale, ſeu ipſa malitia; nam malitia non poteſt eſſe objectum volitionis, ſive non poteſt voluntas velle malum quà malum: ergo quod Deus directè vetat fieri, eſt materiale peccati. Ergo ulterius ſi prædeterminaret ad materiale peccati; vellet fieri, quod vetat fieri.

571. Sequitur 2°. poſſe hominem licitè velle materiale peccati, v.g. In peccato fornicationis poſſe licitè velle actum fornicationis, proindeque poſſe licitè velle, quidquid directè vult, qui peccat ſcortando; cùm ſcortator nihil aliud directè velit præter ipſum

ipſum actum delectabilem ſcortationis. Nam malitiam ejus ut dixi, non poteſt directè velle.

Prob. ſequela: poteſt licitè velle, quod Deus vult ipſum facere: ſed Deus prędeterminans ipſum ad materiale fornicationis, vult ipſum facere materiale fornicationis, cùm velit fieri, quod prædeterminat. Ergo poteſt licitè velle materiale fornicationis, hoc eſt, ipſum actum delectabilem fornicationis: ergo poteſt illum deſiderare, & in illo ſibi complacere. Quod à veritate omnino diſſentaneum eſt, & repugnans præcepto *Non concupiſces.*

572. Memini me olim hoc argumentum adverſariis in publicis diſputationibus objeciſſe; & propoſitionem hanc, *Si Deus prædeterminaret hominem ad actum fornicationis, poſſet homo actum illum deſiderare & velle abſque peccato*, ab aliis conceſſam, ab aliis negatam: ſed quæcumque via ad ſolutionem ineatur, pręceps eſt in errorem. Si enim negetur; conſequenter negandum eſt omnem Dei voluntatem, illam ſcilicet quâ prædeterminat ad materiale peccati, eſſe bonam & rectam; licitum enim eſt & honeſtum conformare ſe voluntati bonæ & rectæ. Si verò concedatur; conſequenter concedendum eſt licitum eſſe homini id deſiderare & velle, quod à Deo prohibetur deſiderare & velle: quod enim hoc præcepto dirèctè prohibetur *Non mœchaberis*, ipſe eſt actus fornicationis; non malitia: prohibetur enim quod homo poteſt directè velle: ipſa autem malitia non poteſt eſſe objectum directum volitionis ejus. Et quod prohibetur hoc præcepto *Non concupiſces*, ip-

ſum eſt deſiderium, ipſa eſt volitio actus fornicationis: ſi ergo licitum eſſet homini deſiderare & velle iſtum actum, liceret illi deſiderare & velle, & facere quod prohibetur: quod omnino abſurdum eſt, & impium.

573. Sequeretur 3°. quod violando præceptum obediret Deo; quia nunquam violaret præceptum, ſive nunquam exerceret actum prohibitum, niſi ad illum exercendum à Deo prædeterminaretur: ergo illum exercendo ſequeretur Dei motum: ergo violando præceptum, Deo obediret, quod blaſphemum eſt.

574. Nec dicas Deum non prædeterminare ad actum prohibitum ſub illa ratione ſub qua prohibetur; quia quod directè prohibet, eſt ipſum materiale actus mali, non ipſa malitia: id enim, ut dixi, Deus prohibet, quod homo poteſt velle: nemo autem ipſam malitiam poteſt velle.

Videamus nunc an quatuor has difficultates incurrat concurſus ſimultaneus ad materiale peccati.

§. 3.

Oſtenditur concurſum ſimultaneum prædictas difficultates nullo modo incurrere.

575. NOn eſt quod multis calamum fatigem, vt id perſuadeam: res enim adeo clara eſt;

eſt; vt vix egeat expoſitione. Aut enim agitur de ſimultaneo Dei concurſu ſpectato in actu 1o; aut de illo ſpectato in actu 2o. Spectatus in actu 1o nihil aliud eſt, quam divina potentia ex libero Dei decreto homini exhibita & parata cum eo concurrere ad omnes ejus actus ſive bonos, ſive malos, vt exigit cauſa libera. In hoc autem decreto, in hac divinæ potentiæ exhibitione nulla involvitur efficax Dei volitio circa materiale actus mali, ſed mera illius permiſſio; ex eo autem quod Deus ob fines optimos permittat peccatum, vt ſcilicet locus ſit merito aut demerito, præmio aut ſupplicio; non poteſt niſi abſurdiſſimè inferri quod ſit cauſa peccati; cùm peccati permiſſio nullo modo peccatum inferat, ſicque illud permittat, vt interim auxilia præſtet ad illud vitandum, & graviſſimarum pœnarum comminatione homines ab eo deterreat. Non ergo hoc decretum ſimultaneè concurrendi incurrit primam illam difficultatem, nempe quod Deus ſit cauſà peccati, quâ vehementer vrgetur prædeterminatio phyſica, eo quod Deus per illam efficaciſſimè velit eo modo, (videlicet advertenter & liberè) fieri ab homine materiale peccati, quo modo factum non poteſt non eſſe peccatum

576. Neque aliis etiam difficultatibus, quas expoſuimus §. præcedenti, vrgetur, vt prædeterminatio phyſica; quia illæ etiam inde oriuntur, quod Deus prædeterminando ad actum peccati, velit efficaciſſimè fieri actum peccati, vt liquet ex

dictis. Decretum autem concurrendi jam explicatum nullam includit volitionem actus peccati, ſed meram illius permiſſionem.

577. Si verò concurſus Dei ſpectetur in actu 2o, nihil aliud eſt quam ſimultaneus Dei influxus coagentis cum creatura, ipſius cauſæ ſecundæ actioni identificatus. In hoc autem ſimultaneo influxu non agit Deus, vt determinans cauſam ſecundam liberam ad exercitium aut ſpeciem actus; ſed vt ſuo modo ad utrumque ab ea determinatus. Ipſe potentiam ſuam exhibet illi indifferentem ad quoſlibet actus, pro libertate, quam ipſi dedit, ab ea determinandam ad exercitium & ſpeciem actus. Ipſa igitur eſt quæ Deum potentiam ſuam indifferenter exhibentem determinat vt concurrat ad actum malum potius quam ad bonum. Quod igitur fiat actus malus potius quam bonus; non in Deum refundendum eſt, qui potentiam ſuam indifferentem exhibuit; ſed in perverſam hominis voluntatem, Deum determinantis vt concurrat ad actum peccati potius, quam ad actum virtutis. Nullâ igitur ratione propter concurſum ſuum actualem dici poteſt cauſa peccati. Itaque latiſſima patet diſparitas, cur Deus prędeterminando ad materiale peccati dici debeat cauſa peccati, potius quàm tantùm ad illud concurrendo: quia ſcilicet prædeterminando hominem ad illud liberè ponendum, efficaciſſimè movet illum, & omnino determinat ad materiale peccati eo modo ponendum, quo modo non poteſt non eſſe peccatum. Id autem nullo

nullo modo dici poteſt de concurſu ſimultaneo, cum vi illius non agat vt determinans, ſed aliquo modo vt determinatus, abſque tamen vlla imperfectione; quia quod determinetur, provenit ex liberrima Dei voluntate, quâ decrevit potentiam ſuam, vt exigebat hominis libertas, indifferentem exhibere.

578. Nullæ etiam ſunt aliæ difficultates reſpectu hujus concurſus ſimultanei. Illæ enim oriuntur adverſus phyſicam prædeterminationem ex eo quod Deus per illam velit fieri materiale peccati. Ex hac enim Dei volitione ſequitur. quod Deus velit fieri quod prohibet; cum ipſum materiale peccati ſeu actum peccati prohibeat. Sequitur quod homo poſſit velle materiale peccati, quia poteſt ſe divinæ voluntati conformare. Sequitur quod exercendo actum peccati Deo obediat, cùm hoc faciendo Dei impleat voluntatem. Iam verò Deus concurrendo ad materiale peccati non vult actum peccati, quia non concurrit ad illum ex propria determinatione; ſed ex aliena perverſæ voluntatis. Non ergo hic actualis concurſus impeti poteſt prçfatis difficultatibus. Apertè igitur falſum eſt quod ſcripſit *Pſeudophilalethes*, vtrumque concurſum & prędeterminativum & noſtrum eaſdem pati difficultates. Quod autem addidit, noſtrum etiam majores pati, adeo falſum eſt, vt vix egeat refutatione; ne tamen illudat imperitis, propoſitiones ejus, quibus id probare cònatur, paucis expendam.

579. Concurſus, inquit, *prævius non poteſt eſſe cau-*

ſa phyſica malitiæ, quia voluntas vt deficiens non ſubditur illi. Eſt tamen cauſa phyſica bonitatis, quia voluntas vt efficiens ſubditur illi. Quid eſt voluntas vt deficiens, niſi voluntas vt ſe legi non ſubjiciens? hęc illius eſt explicatio num. 203. *Breviter dico quod voluntas deficiens eſt voluntas non ſe ſubjiciens legi*: quid autem eſt voluntatem legi ſe non ſubjicere, niſi illam ſcienter & liberè id velle, quod lex prohibet? quid verò eſt quod lex prohibet, niſi ipſe actus peccati? niſi id, quod volendo, peccat homo? quod autem vult non eſt ipſa malitia, ſed materiale malitiæ. Quia verò malitia inſeparabiliter conjuncta eſt cum tali re liberè volita, meritò imputatur illi malitia, dum ſcienter & liberè id vult, quod ſic volitum malitiam habet neceſſariò ſibi annexam. Cum ergo prædeterminet Deus ad id, quod peccando, vult homo, & eo modo volendum, nimirum ſcienter & liberè, quo modo volitum neceſſariam habet malitiam; non poteſt ſic prædeterminando non eſſe cauſa peccati, ſicut homo ſic volendo non poteſt non peccare. Et ſicut homo ſic volendo deficit; ita Deus prędeterminando hominem ad ſic volendum, prędeterminat illum ad volendum defectuosè: & conſequenter juxta hæc principia voluntas vt deficiens ſubditur Deo.

580. Altera ejus propoſitio, quam priori opponit, ſic habet: *concurſus pediſſequus* (ſic concurſum noſtrum ſimultaneum contumeliosè appellat, ut ſupra annotavi) *debet eſſe cauſa phyſica malitię, non minus ac eſt cauſa phyſica bonitatis; quia quantum eſt ex parte Dei æqualiter determinatur à voluntate ad malitiam vel bonitatem;*

bonitatem: atqui malitia & bonitas moralis non habent cauſam phyſicam, ſed moralem: quomodo ergo concurſus Dei ſimultaneus à nobis admiſſus non eſt minus cauſa phyſica malitiæ quàm bonitatis? itaque quoniam Deus ſic concurrendo non habet rationem cauſæ moralis, quia tunc non agit ex propria determinatione, ſed ex aliena cauſæ liberæ; non poteſt fieri, ut per hujuſmodi concurſum ſit cauſa malitiæ moralis, quæ provenire debet à cauſa morali, videlicet à voluntate hominis agentis ex propria determinatione. Deus autem prædeterminando agit ut cauſa moralis, quia prædeterminando agit ex propria determinatione; ideoque ſi prædeterminaret hominem ad actum peccati ſcienter & liberè exercendum, in eum refunderetur malitia cum tali actu ſic exercito neceſſariò connexa.

581. Cur autem Deus dicatur cauſa bonitatis potius quàm malitiæ, illa eſt; quod nos ad actus bonos hortetur, promiſſis invitet, illuſtrationibus excitet, inſpirationibus alliciat, & benè agentes ſpeciali auxilio adjuvet. Contra verò ab actibus malis graviſſimis comminationibus nos deterreat; ut malo reſiſtamus gratiarum conferat auxilia; nihilque aliud nobis exhibeat quàm concurſum ſuum indifferentem neceſſarium ut liberè agamus. Vnde tota malitia in unam voluntatem noſtram refundenda eſt, quæ pro libertate ſua contra divinas prohibitiones ad actus malos ſe determinat.

Tibi modò ſuadeo, *Pſeudophilalethes*, ut ſpeculum hoc tuum ſcientiæ mediæ confringas, aliudque fabrices

Digitized by Google

brices quod ſincerius illam repræſentet, & difficultates, quas diverſiſſimas utraque ſententia patitur. Interim ego accingor ad retegendos errores tuos, quæ eſt pars hujus Opuſculi præcipuè à me intenta.

CAPVT QUINTVM.

DOGMATA ERRONEA

PSEVDOPHILALETHIS

SECTIO I.

Pſeudophilalethem non rectè ſentire de libertate hominis lapſi ad actus bonos.

582. HAnc aſſertionem hoc unico ſyllogiſmo demonſtro: Quiſquis dicit voluntatem in natura lapſa ſic moveri à Deo, ſic determinari, ſic applicari ad actus bonos; ut ipſa ſe ad eoſdem nec moveat, nec determinet, nec applicet, non rectè ſentit de libertate voluntatis ad actus bonos in natura lapſa: atqui id dicit *Pſeudophilalethes*: ergo non rectè

rectè ſentit de libertate jam dictâ. Vbi majorem ac minorem demonſtravero, manebit huic ſyllogiſmo vis inconcuſſa.

§. I.

Probatur veritas majoris ex Scriptura, Tridentino, & Patribus.

583. Atque ut à Scriptura exordiar, illius veritas 1° eruitur ex illis Scripturæ locis, in quibus aſſeritur electio boni ſpectare ad voluntatem.

Id autem clariſſimè dicitur Deuter. 13. Ubi Moyſes populum in hunc modum alloquitur. *Conſidera quod hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem & malum.* Et infra: *teſtes invoco cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem*, videlicet benedictionem ex præceptorum obſervatione, maledictionem ex tranſgreſſione. *Elige ergo vitam,* ſive elige præcepta implere; *ut & tu vivas & ſemen tuum.*

584. Idem affirmatur Ecclef. 15. his verbis invictiſſimis: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*, hoc eſt, reliquit illi poteſtatem eligendi quod vellet. *Adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris* (liberâ electione tuâ) *mandata*

ſervare

ſervare, conſervabunt te. Appoſui tibi ignem, & aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. quod placuerit ei, id eſt, prout elegerit, *dabitur illi.* Quis autem dicat niſi mente motus, ejuſdem non eſſe determinare ſe & eligere? ipſa enim electio, determinatio eſt. Quando duorum datur optio, voluntas, ante quam eligat, ad alterutrum indifferens eſt; ſed cùm eligit, ipſa electione ſuâ ad alterutrum determinat ſe. Quiſquis igitur dicit determinationem ad bonum non eſſe voluntatis, contradicit Scripturæ.

585. Eadem veritas deducitur ex aliis Scripturæ locis, quæ impium excitant & hortantur ad reſipiſcentiam. Inepta enim eſſet hæc excitatio, atque exhortatio, ſi ita ad pœnitentiam moveretur, ut ſe ipſe ad eam nō moveret: ſi nullus eſſet locus determinationi ejus aut applicationi. Quid enim ineptius, quàm aliquem hortari ad id agendum, quod ut fiat nullâ ratione ab ejus motione liberâ, aut determinatione propriâ, & applicatione dependet? numquid hæc Ezechielis verba ex capite 18. exſcripta: *facite vobis cor novum, & ſpiritum novum,* manifeſtè innuunt proprium aliquem voluntatis motum in vitæ veteris ad novam tranſitu? ad quid enim illud *facite*, ſi voluntas in hoc felici tranſitu ſeipſam movere non debeat? ut quid *facite*, ſi iſtud cor novum nullo modo faciamus? enimverò hæc verba tantùm tribuunt libero arbitrio; ut ſi forent non à Scriptore ſacro, ſed ab aliquo ſcientiæ mediæ defenſore crudè pronuntiata, non evaderent, ut opinor *Pſeudophilalethis*,

censu-

cenſuram: continuò enim inclamaret his verbis, ſpiritus innovationem non gratiæ; ſed libero arbitrio adſcribi. Sed benè eſt, profluxerunt ex calamo errare neſcio; evincuntque hanc ſpiritus innovationem non fieri ſine libera aliqua motione, atque applicatione voluntatis.

586. Totum illud Ezechielis caput ſpirat propriam voluntatis motionem in reſipiſcentia impii. *Cùm averterit ſe*, inquit Propheta, *impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit &c.* Si ad hanc reſipiſcentiam non moveret ſe impius, non dixiſſet Propheta, *cùm averterit ſe impius*, ſed cùm à Deo averſus fuerit, ſeu converſus *ab impietate ſua &c.* non dixiſſet, *ipſe animam ſuam vivificabit*, ſed anima ejus vivificabitur.

587. Quid aliud ſignificant hæc Dei verba ad gentem Judaïcam cum Diis alienis fornicantem, Jerem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me dicit Dominus.* Et infra. *Revertere averſatrix Iſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis.* Poteſtne aliquis inde reverti, unde abierat, niſi ſeipſum illuc moveat? certè ſi eo non moveat ſe, ſed ab altero pertrahatur, non revertitur, ſed reducitur. Fruſtra igitur Deus iteraret illud *revertere*, ſi anima quæ peccando à Deo receſſit, ſine motu proprio ad Deum eſſet reducenda. Quid aliud indicat hæc ſuaviſſima Chriſti invitatio Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos?* venientis eſt movere ſe. Nemo

igitur

ſervare, conſervabunt te. Appoſui tibi ignem, & aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. quod placuerit ei, ideſt, prout elegerit, *dabitur illi*. Quis autem dicat niſi mente motus, ejuſdem non eſſe determinare ſe & eligere? ipſa enim electio, determinatio eſt. Quando duorum datur optio, voluntas, ante quam eligat, ad alterutrum indifferens eſt; ſed cùm eligit, ipſa electione ſuâ ad alterutrum determinat ſe. Quiſquis igitur dicit determinationem ad bonum non eſſe voluntatis, contradicit Scripturæ.

585. Eadem veritas deducitur ex aliis Scripturæ locis, quæ impium excitant & hortantur ad reſipiſcentiam. Inepta enim eſſet hæc excitatio, atque exhortatio, ſi ita ad pœnitentiam moveretur, ut ſe ipſe ad eam nō moveret: ſi nullus eſſet locus determinationi ejus aut applicationi. Quid enim ineptius, quàm aliquem hortari ad id agendum, quod ut fiat nullâ ratione ab ejus motione liberâ, aut determinatione propriâ, & applicatione dependet? numquid hæc Ezechielis verba ex capite 18. exſcripta: *facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*, manifeſtè innuunt proprium aliquem voluntatis motum in vitæ veteris ad novam tranſitu? ad quid enim illud *facite*, ſi voluntas in hoc felici tranſitu ſeipſam movere non debeat? ut quid *facite*, ſi iſtud cor novum nullo modo faciamus? enimverò hæc verba tantùm tribuunt libero arbitrio; ut ſi forent non à Scriptore ſacro, ſed ab aliquo ſcientiæ mediæ defenſore crudè pronuntiata, non evaderent, ut opinor *Pſeudophilalethis*, cenſu-

cenſuram: continuò enim inclamaret his verbis, *ſpiritus innovationem non gratiæ; ſed libero arbitrio adſcribi*. Sed benè eſt, profluxerunt ex calamo errare neſcio ; evincuntque hanc ſpiritus innovationem non fieri ſine libera aliqua motione, atque applicatione voluntatis.

586. Totum illud Ezechielis caput ſpirat propriam voluntatis motionem in reſipiſcentia impii. *Cùm averterit ſe*, inquit Propheta, *impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit &c.* Si ad hanc reſipiſcentiam non moveret ſe impius, non dixiſſet Propheta, *cùm averterit ſe impius*, ſed cùm à Deo averſus fuerit, ſeu converſus *ab impietate ſua &c.* non dixiſſet, *ipſe animam ſuam vivificabit*, ſed anima ejus vivificabitur.

587. Quid aliud ſignificant hæc Dei verba ad gentem Judaïcam cum Diis alienis fornicantem, Jerem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me dicit Dominus.* Et infra. *Revertere averſatrix Iſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis.* Poteſtne aliquis inde reverti, unde abierat, niſi ſeipſum illuc moveat? certè ſi eo non moveat ſe, ſed ab altero pertrahatur, non revertitur, ſed reducitur. Fruſtra igitur Deus iteraret illud *revertere*, ſi anima quæ peccando à Deo receſſit, ſine motu proprio ad Deum eſſet reducenda. Quid aliud indicat hæc ſuaviſſima Chriſti invitatio Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos?* venientis eſt movere ſe. Nemo

igitur

Digitized by Google

igitur venit ad Chriſtum, niſi ad eum ſe voluntatis affectu moveat. Excitandus quidem eſt, trahendus eſt, adjuvandus eſt, in hoc ſuo ad Chriſtum motu; ſed niſi ſeipſum amore libero verſus eum moveat, nunquam ad eum perveniet.

588. Singularis energiæ eſt illud 2dæ. Petri 1°. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Quid eſſet ſatagendum, ſi ad bona opera tantummodò moveremur? id enim à nobis non penderet. Nihil igitur eſſet ſatagendum, nihil conandum, ſi dumtaxat moveremur: atqui ſatagendum eſt: ergo non ſic movemur ad bona opera, quin nos ipſos ad ea pro libertate noſtra movere debeamus.

Fruſtra eſſem proferendis pluribus Scripturæ locis: hæc enim abundè ſufficiunt, ut evincant non ſic voluntatem ad bonum moveri, quin etiam ſeipſam moveat, ſeipſam determinet, & ad illud applicet.

589. Non eſt quod ad eandem veritatem comprobandam multa Concilia evolvam. Satis ſupérque erit huic probationi Tridentinum. Validiſſimum eſt quod habet Seſſ. 6. cap. 5. Illic enim agens de exordio juſtificationis ſic docet: *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit.* Vtrumque igitur intervenire debet in juſtificatione, & præmotio gratiæ, & proprius voluntatis

tatis motus. Sola præcurrit gratia, at non ſola ſubſequitur voluntas, ſed gratia adjuvans ſubſequentem comitatur. Gratia præcurrit excitando, voluntas ſubſequitur conſentiendo. Conſenſus ille, quia liber, proprius quidam motus eſt voluntatis, determinatio illius eſt, applicatio illius eſt, quâ liberè cum gratia movet ſe ad juſtitiam coram Deo.

590. Utramque illam motionem & gratiæ & voluntatis, hujus ſubſequentem, illius prævenientem, gemino Scripturæ teſtimonio validiſſimè probat Tridentinum, prędictum caput ſic concludens: *Vnde*, inquit, *in ſacris Litteris cum dicitur: convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur*, quia ſcilicet voluntas ad Deum ſe non convertit, abſque vllo motu proprio & libero, quamquam & hic motus non ſit ſine auxilio gratiæ. *Cùm* verò *reſpondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur: Dei nos gratiâ præveniri confitemur*. Prævenimur autem vocatione, prævenimur excitatione, non prædeterminatione. Solius enim vocationis, ſolius excitationis, meminit Tridentinum, dum prævenientem gratiam explicat. Geminam tantùm gratiam adſtruit, alteram prævenientem, alteram adjuvantem. Hæc illius ſunt verba: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum-Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt, ab ejus vocatione* (non dicit prædeterminatione) *quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam* (nuſquam dicit prædeterminantem) *ad convertendum ſe ad ſuam*

ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ (videlicet excitanti) *liberè aſſentiendo, & cooperando* (gratiæ adjuvanti) *diſponantur.*

591. Audiſne liberum aſſenſum, liberam cooperationem? nonne liber aſſenſus voluntatis; nonne libera ejus cooperatio proprius eſt voluntatis motus? manet ergo irrefragabiliter ex Tridentino probatum, non ſic Deum movere voluntatem ad juſtificationem, atque adeo ad alios actus bonos, ut voluntas ſe etiam ad eoſdem non moveat, ſed dumtaxat moveatur.

592. Patres etiam, ac nominatim Auguſtinus, proprium illum voluntatis motum, propriam determinationem atque applicationem ad actus bonos abundè comprobant. Sed cùm *Pſeudophilalethi*, uti & Noſtris maximè placeat autoritas utriuſque Solis DD. Auguſtini & Thomæ, illorum tantùm verbis eandem veritatem ſtabiliam.

593. Præclara eſt in rem noſtram, ac percelebris hæc Auguſtini ſententia, quam poſteris tradidit lib. 2. de ſpiritu & litt. *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Si ad hunc conſenſum non moveret ſe voluntas, ſed tantùm moveretur; conſentire non eſſet propriæ voluntatis; ſicut illius non eſt, quod per Dei vocationem excitetur, quia ad hanc excitationem non movet ſe, ſed ſolummodò movetur.

594. Puto *Pſeudophilalethem* ex iis quæ diximus c. 2. Sect. 6. convictum, hanc propoſitionem ſcriptam lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. *Vt velimus, & ſuum eſſe*

voluit

voluit & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo ,non continere objectionem errantium, ſed veram Auguſtini doctrinam. Hoc ſuppoſito illum interrogo, cur Auguſtinus nobis tribuat,quod vocantem ſequamur? nonne quia liberâ voluntate ſequimur? illuſtrationes intellectus , voluntatiſque inſpirationes, quibus Deus nos vocat atque excitat , motiones quędam vitales ſunt, quæ proinde ſic à Deo producuntur ,ut ſint etiam à nobis effectivè; nec tamen poſſunt nobis tribui, quia ad eas non movemus nos liberè, ſed dumtaxat movemur: nec ergo nobis tribueret quod vocantem ſequamur, niſi ipſi nos etiam ad id moveremus , niſi libero voluntatis motu vocantem ſequeremur.

595. Mentem Auguſtini ſatis aperiunt,quæ ſcripſit lib. de Natura & gratia, c.63. *Qui Chriſtum ſequitur, poteſt interrogatus cur voluerit eſſe Chriſtianus, reſpondere, viſum eſt mihi: quod cùm dicit, non negat Deo viſum.* Quid eſt, *viſum eſt mihi*? niſi quia placitum eſt mihi. Poteſtne illud uſurpari , niſi interveniat proprius motus ,propriaque voluntatis determinatio?

596. Nihil clarius in rem noſtram deſiderari poteſt, quàm quod ſcriptum reliquit lib. 2. Actorum contra Felicem Manichæum, cap. 4. *Cùm ergo dicit Dominus, aut hoc facite, aut illud, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus, facere arbores poteſt. Sed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Et in Pſalm. 51. *Benignitas ante te: iniquitas ante te: compara, & elige.* Dic *Pſeudophilalethes*,

electio voluntatis, nonne illius determinatio eſt? ſi ergo voluntatis ſit bonum eligere; illius quoque eſt ad bonum ſe determinare.

597. Clarius adhuc atque expreſſius hanc veritatem tradit Doctor Angelicus pluribus locis. E multis pauca ſeligam: in 2um. diſt. 25. quæſt. 1. a. 1. ad 3um. ſic habet: *Dicendum quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque ſecundùm ejus conditionem: unde in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi* (ſeu illi) *miniſtret, & ipſo operante* (non dicit, prędeterminante) *liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur: unde remanet ſibi* (ſeu illi) *dominium ſui actus.* Ergo ſi determinatio actionis non eſſet liberi arbitrii, actio non eſſet in ejus dominio, adeoque nec libera. Id etiam clariſſimè indicat hæc antitheſis, *Deus in rebus naturalibus operatur ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio, hoc modo agit ut virtutem agendi miniſtret......: Sed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur.* Cur ita? quia nempe illud agens neceſſarium eſt, hoc liberum. Cùm ergo homo in natura lapſa liberè exerceat bona opera, ad illa etiam ſe determinat.

598. Diſertè negat ibid. diſt. 28. quæſt. 1 a. 1. in O, hominem futurum liberi arbitrii, ſi illius non eſſet determinatio. Ubi enim duas hæreſes retulit, alteram Jovinianorum, *qui*, inquit, *attendentes ad intel-*

intellectualem naturam, hominem de neceſſitate benè operari, & nunquam poſſe peccare aſſerebant: alteram Manichæorum, *qui*, ait, *reſpicientes ad naturam ſenſibilem, quam ſecundùm ſe malam dicebant..... Dixerunt quod homo, de neceſſitate peccat, nec bonum facere poteſt.* Tum ſententiam ſubdit charactere aureo exarandam, quam vellem memoriæ prædeterminantium, ac nominatim *Pſeudophilalethis* tenaciſſimè infixam. *In hoc*, inquit, *penitus liberum arbitrium utrique deſtruentes: non enim eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc, aut illud.*

599. Prima parte quæſt. 82. art 1. ad 3. libertatem noſtram refundit in poteſtatem eligendi. ait enim, *dicendum quod ſumus domini noſtrorum actuum ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere.* Ergo & ſecundum quod poſſumus nos ad hoc vel illud agendum determinare, huic vel illi operi applicare: electio enim determinatio eſt, & applicatio voluntatis. Ergo juxta Doctorem Angelicum, ſi boni operis electio, ſeu voluntatis ad illud determinatio, ad hominem lapſum non ſpectaret, non haberet boni operis Dominium, ſeu libertatem.

600. Itaque ex Scripturâ, ex Tridentino, ex vtroque Eccleſiæ ſole demonſtrata eſt veritas hujus majoris: Quiſquis dicit voluntatem in naturâ lapsâ ſic moveri à Deo, ſic determinari, ſic applicari ad actus bonos; vt ipſa ſe ad eoſdem non moveat, nec determinet, nec applicet, non rectè ſentit de libertate voluntatis ad actus bonos in naturâ lapsâ:

Supereſt jam minor probanda, nempe *Pſeudophilalethem* id dicere. Vbi ergo illud probavero; omnino evicero *Pſeudophilalethem* non rectè ſentire de libertate voluntatis ad actus bonos in ſtatu naturæ lapſæ.

§. 2.

Minoris veritas ex verbis Pſeudophilalethis evincitur.

601. PErfacilè erit id mihi probare, cùm ſæpius clarè & diſtinctè id affirmet. Prius tamen quàm verba ejus referam, revocandum eſt in memoriam *Pſeudophilalethem* diſtinguere duplex genus prędeterminationis phyſicæ. Alterum univerſalis, ſpecialis alterum. Vtramque ſic deſcribit cap. 2. a. 1. §. 3. num. 73. *Prima prædeterminatio eſt univerſalis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum mediante conſilio, & dependenter ab aliquo actu prçcedente. Secunda prędeterminatio eſt ſpecialis, quâ voluntas prædeterminatur ad eliciendum actum independenter à conſilio, & aliquo actu præcedente.*

602. Deinde ibidem num 75. hanc tradit differentiam actuum, qui ex utraque prædeterminatione profluunt. *Hinc*, inquit, *elucet vera prædictorum actuum differentia. In actu quem voluntas elicit dependenter ab aliquo*

Digitized by Google

quo actu præcedente, voluntas amat dando ſibi velle. In actu verò quem elicit independenter à conſilio & voluntate præſuppoſita, voluntas amat accipiendo velle. Primus actus eſt à voluntate tam elicitivè quàm applicativè. Secundus actus eſt ſolùm à voluntate elicitivè, non applicativè.

603. Denique num. 87. Statuit hoc eſſe diſcrimen naturæ ſanæ ab infirma, *quod*, inquit, *homo ſanus non alio auxilio indigeat, quàm auxilio univerſalis prædeterminationis, ſive concurſus generalis, quo Deus in omni operante operatur, eum ad operandum applicando. Homo infirmus alio auxilio ſpecialis prædeterminationis indiget ad rectè operandum. Ideò in homine ſano erat poteſtas æqualiter ſe applicandi ad bonum & malum volendum ex præcedente volitione boni, & mediante conſilio. In homine infirmo eſt impotentia ad bonum volendum ſe applicandi ex ſupradicta volitione boni, ut ſupra dictum eſt, & debet ſpeciali prædeterminatione ad volendum juſtitiam applicari.*

604. Quàm multa falſa & erronea in hoc aſſerto contineantur, quàm inanis ſit hæc diſtinctio duplicis prædeterminationis ad ſcopum *Pſeudophilalethis*, ſupra demonſtratum eſt c. 3. ſect. 1. Iam tantùm oſtendã ex his quæ tradit de ſpeciali illa prędeterminatione quam dicit homini lapſo neceſſariã ad benè operandum, illũ non rectè ſentire de libertate hominis infirmi ad actus bonos: quia nempe affirmat, ſic illũ moveri ab hac prædeterminatione ſpeciali ad rectè agendũ, ſic determinari, ſic applicari; ut ſe ad id nec moveat, nec determinet, nec applicet. Id autem tam clarè, tam disertè aſſerit variis locis, ut nullus ſuperfuturus ſit dubitationi locus, ubi verba ejus retulero.

Digitized by Google

num. 77. agens de actu ad quem præꝛequiritur præ-determinatio ſpecialis, ſic loquitur. *Alio modo actus eſt ab agente, ſecundùm ſubſtantiam actus, & non ſecundùm determinationem agentis. In hoc actu convenit voluntas cum agentibus naturalibus; non quod non ſit liber; ſed quod ad illum voluntas non ſe determinet: ſicut & agentia naturalia non ſe determinant ad actus ſuos.*

605. Non video quid *Pſeudophilalethes* efficacius dicere potuerit ad deſtruendam libertatem actus, ad quem movet ſpecialis illa prædeterminatio. Primò enim abſolutè ab illo excludit determinationem agentis his verbis; *& non ſecundùm determinationem agentis.* Deinde in hoc actu voluntatem comparat cum agentibus naturalibus quorum nulla eſt libertas. Poſtremò addit non magis ſe voluntatem determinare ad hunc actum, quàm determinent ſe agentia naturalia ad actus ſuos. Atqui certum eſt agentia naturalia ideò carere libertate, quia non habent facultatem actuum ſuorum determinativam, ſed ab autore naturæ ad unum determinata ſunt per formam aliquam ab eo ſibi inditam. Si igitur nec voluntas habeat facultatem illam determinativam reſpectu actuum, ad quos illam movet ſpecialis illa prædeterminatio, profectò nec ullam habet ad illos actus libertatem.

606. Res adhuc manifeſtior evadet ex loco S. Thomæ, quam in rem ſuam perperam affert num. præfato, 77. applicatque duplici actui reſpondenti duplici prædeterminationi de quibus num. 428. *Sciendum eſt,* inquit, Doctor Angel. in 2um diſt. 39. art.

1. in

Digitized by Google

ſ. in O, *quod aliquis actus eſt ab aliquo dupliciter, uno modo tam ſecundum ſubſtantiam actus, quàm ſecundum determinationem agentis ad actum, & hoc propriè in poteſtate agentis eſſe dicitur, vt eſt in voluntate,* debuerat P*ſeudophilalethes* omittens hæc verba, *& hoc propriè in poteſtate agentis eſſe dicitur*, ducere aliquot puncta, vt ſignificaret prætermiſſa hæc verba intermedia : ſed hoc diſſimulato, videamus quid ſubdat, *ecce*, inquit, *actus ad quem voluntas ſe applicat*, ad quem ſcilicet juxta ipſum datur prædeterminatio vniverſalis dum pergit : *alio modo actus eſt ab agente ſecundum ſubſtantiam actus, & non ſecundum determinationem agentis : in hoc actu convenit voluntas cum agentibus naturalibus &c.* Quæ ſupra retuli n.604. deinde ſubjungit, *& propter hanc convenientiam proſequitur S. Thomas ſecundum membrum ſuæ diviſionis in agentibus naturalibus, in quibus ait : actus progreditur ab agente, ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente; ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum eſt. Cujuſmodi*, inquit Pſeudophilalethes *eſt actus qui à voluntate elicitur independenter à conſilio & actu alio præcedente.* Qualis eſt illa, vt dixit num. 73. ad quem movet prædeterminatio ſpecialis.

607. Ex hac comparatione tua convinceris; non rectè ſentire de libertate noſtrâ ad actus bonos, ad quos, juxta te, egemus iſtâ ſpeciali prędeterminatione. Certum enim eſt Doctorem Angelicum præfato loco à te relato opponere actum liberum voluntatis actui neceſſariò a-

gentium naturalium: illic docere actum voluntatis tribui illi, quia eſt ab eâ & effectivè & determinativè: actiones autem agentium naturalium tribuendas ei qui naturam dedit ad illas determinatam. Cùm ergo applices actibus bonis naturæ lapſæ, quæ illic tradidit S. Doctor de actibus neceſſariis agentium naturalium, nec velis magis ſe voluntatem ad illos determinare quàm agentia naturalia ad actus ſuos, liquet perverſum eſſe judicium tuum de libertate noſtrâ ad hujuſmodi actus in naturâ lapsâ.

608. Non minus deſtruis libertatem actuum bonorum alterâ comparatione tuâ quam adſers n. 108. ſub finem. Sic enim loqueris de actu ad quem datur ſpecialis prædeterminatio. *Tum enim totus actus tribuitur ſoli Deo; eſtque Dei ſpeciale donum: ſicut actus pingendi tribuitur pictori, non ſervo qui ex ſola domini applicatione & directione rectè pingit: nam hoc ipſo quod dominus moveat manum ſervi, & hic eam non moveat, actus pingendi totaliter tribuitur domino pictori & non ſervo.*

609. Age *Pſeudophilalethes*, eſtnè iſte actus pingendi liber iſti ſervo ſic pingenti ex ſola applicatione, directione & motu domini, ita vt ipſe nec manum applicet ad pingendum, nec dirigat, nec moveat? ſi affirmes: hanc reſponſionem tuam exſibilabit vniverſa ſapientum multitudo. Qualis enim poteſt eſſe libertas reſpectu iſtius ſervi in hoc pingendi exercitio, qui vt inanime aliquod inſtrumentum ad illud movetur. Si igitur homo infirmus

non

non magis moveat ſe, aut applicet ad benè operandum quàm ſervus ille ad pingendum, omnino neceſſe eſt fatearis & hominem infirmum in exercitio boni operis omni libertate deſtitui; cum liberè agere, & movere ſe, & applicare ſe, ſint inter ſe vinculo indiſſolubili conſtricta.

610. Iterum tamen motum omnem proprium excludis à voluntate num. 102. Hęc ſunt verba mentem tuam clariſſimè exponentia: *prædeterminatio ſpecialis independens ab aliquo actu præcedente, & conſilio, quâ indiget homo infirmus, tollit quod actus ſit in poteſtate voluntatis, eique tribuatur, ex eo quod voluntas in hujuſmodi actu non ſit movens, ſed mota.* Recta eſt illatio tua, ſi voluntas in hujuſmodi actu non ſit movens, ſed dumtaxat mota, nec actus ille eſt in ejus poteſtate. Sed hæc vlterior illatio legitima eſt: ſi actus ille non eſt in poteſtate voluntatis, ergo nec eſt in ejus libertate, quia libertas non eſt ſine iſta poteſtate.

611. Præterea hæc verba tua, *tollit quod actus ſit in poteſtate voluntatis, eique tribuatur,* Chriſtum mendacem faciunt, qui in die judicii bona opera illis attribuet qui illa exercuerint. Dicturus enim eſt. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere &c.* Fide igitur divinâ certum eſt bona opera tribuenda etiam eſſe libero arbitrio, quamvis Deo principalius. Si igitur modus ille movendi per ſpecialem illam prædeterminationem tollit quod actus bonus tribui poſſit voluntati: omnino rejiciendus eſt; quia id negat, quod Chriſtus concedit.

612.

Digitized by Google

612. Rurſus ſub finem ejuſdem numeri tollis à voluntate motionem, & directionem propriam, proindeque & libertatem. Ais enim: *indigentia prædeterminationis univerſalis in homine ſano, non impediebat quin homo ſanus in actibus fidei, ſpei & charitatis ſe moveret, ac proprio conſilio dirigeret. Prædeterminatio autem ſpecialis ad eoſdem actus in homine infirmo facit quod ſit à Deo motus, ejuſque conſilio directus, & gubernatus*, id quidem facit præmotio ſpecialis, non prædeterminatio. Sed quod ſubdis, erroneum eſt: *non verò ad eos ſe moveat & dirigat*. Utrumque enim de fide eſt, & voluntatem præmoveri à Deo, & dirigi; & præmotam directamque movere ſe & dirigere cum auxilio gratiæ ad opus bonum.

613. Num. ſequenti eandem doctrinam repetis, vt certiùs evadat perverſum eſſe ſenſum tuum de libertate noſtrâ ad benè operandum. Nam de actu bono, qui nobis à Deo datur beneficio gratiæ, ſic ſcribis: *tunc actus dicitur à Deo dari; quando ita eſt à Deo, vt non ſit applicativè à libero arbitrio ſed ſolum elicitivè*. Negavitne vnquam Calvinus actum bonum eſſe elicitivè à voluntate? ſi id neges: redarguunt te ejus verba lib. 2 Inſtitut. cap. 2. *quâ ratione Auguſtinus, dicis mihi*, inquit, *ergo agimur; Non agimus. Imò agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt; nomen adjutoris præſcribit quod & tu aliquid agas*. Tum ſubdit: *priore membro admonet actionem hominis non tolli Spiritus Sancti motu &c*. Et infra; *nihil obſtat quo minus rectè agere dicamus, quod agit Spiritus Dei in nobis*. Et iterum:

etſi

etſi autem quidquid in voluntate boni eſt, ex mero Spiritus inſtinctu provenit; quia tamen nobis naturaliter ingenitum eſt velle; non abſque ea agere dicimur, quorum laudem ſibi jure Deus vindicat.

614. Non ergo negavit Calvinus voluntatem activè concurrere ad actus bonos, ſeu, vt tu loqueris, illos eſſe ab eâ elicitivè. Sed negavit, vt tu pariter poſt illum, voluntatem ſe ad illos movere, removitque ab eâ omnem determinationem & applicationem propriam. Cùm igitur in eo convenias cum illo, non minus ac ille libertatem deſtruis. Ille lib. cit. cap. 3. Voluntatem equo comparat, gratiam ſeſſori, equum agenti. Tu num. 208. hominem infirmum aſſimilas ſervo, cujus manus ad pingendum ſic à pictore domino movetur, applicatur, ac regitur, ut ipſe nec eam moveat, nec applicet, nec regat: Deum autem moventem gratiâ ſuâ, prædicto domino pictori. Quænam comparatio magis evertit proprium voluntatis motum ad actus bonos? nonne tua? neque enim de equo aſſeri poteſt, quod à ſeſſore ſic agatur, ut non ſe moveat: tu autem de ſervo illo id aſſeris prædicto num. 108. *Hoc ipſo*, ais, *quod dominus moveat manum ſervi, & hic eam non moveat, actus pingendi totaliter tribuitur domino pictori.*

615. Denique eodem n. 108. conferens actus naturales ad quos requiris prædeterminationem univerſalem cum actibus bonis ad quos exigis ſpecialem, ea ſcribis, quæ apertè bonorum actuum libertatem evertunt: hæc ſunt verba tua; *auxilium prædeterminans ex præcedente actu & conſilio, non tollit quin actus ſit*

ſit in poteſtate liberi arbitrii, eique tribuatur, *non verò auxilio prædeterminanti.* (Quàm falſa ſit hæc doctrina tua, jam non pondero, ſed ex eo quod affirmas, probo quod aſſumpſi) *ut patet in operibus artificioſis, & actibus ſaltandi, ludendi, & ambulandi &c. Qui actus dicuntur eſſe in noſtra poteſtate, ſubdunturque libero arbitrio, quoad uſum, eique tribuuntur: quia illos facimus quando volumus, & quando non volumus facere, non facimus.* .... *auxilium autem hominis infirmi tollit quod actus tribuatur libero arbitrio, ſitque in ejus poteſtate.* Ideò ſecundùm te actus illi naturales ſaltandi, ludendi, ambulandi &c ſunt in poteſtate noſtrâ, licet ſint (ut falsò quidem doces) phyſicè prędeterminati univerſali illâ prædeterminatione, quia nempe ſubduntur libero arbitrio, & illos facimus cùm volumus, & quando nolumus, non facimus. Ergo è contrariò, juxta te, ideò auxilium hominis infirmi, ſeu ſpecialis illa prædeterminatio, tollit quod actus bonus ſit in illius poteſtate, quia actus ille ſic prædeterminatus non ſubditur libero arbitrio, neque illum facimus, cùm volumus, neque quando non volumus, non facimus; hoc eſt, quia non dependet à libertate noſtra, ut fiat, vel non fiat. Quæ igitur ſupereſt in homine infirmo reſpectu talis actus libertas? ibi enim nulla libertas, ubi nulla poteſtas faciendi cùm volumus, & non faciendi cùm nolumus.

616. Nunc dicta colligamus: ut oſtenſum eſt à num. 583. uſque ad 601. Ex Scriptura, ex Tridentino, ex utroque Eccleſiæ Sole Auguſtino & Thoma: homo infirmus non ſic movetur à Deo ad actus bonos

nos, quin etiam ſeipſum ad illos moveat, quin liberâ electione ſuá ad illos ſe determinet & applicet. Atqui juxta *Pſeudophilalethem*, ut probatum eſt à num. 601. uſque ad 612. ita ad illos movetur à Deo, ut ſeipſum ad eos nec moveat, nec determinet, nec applicet: ergo manifeſtum eſt *Pſeudophilalethem* non rectè ſentire de libertate hominis infirmi ad actus bonos.

§. 3.

Explicatur locus S. Thomæ, à Pſeudophilalethe perperam pro errore ſuo allatus.

617. VT *Pſeudophilalethes*, errorem ſuum ex magiſtro veritatis ſtabiliat, inſignem locum Doctoris Angelici ſiniſtrâ interpretatione corrumpit: deſumptus eſt ex 1ª. 1æ. quæſt. 111. a. 2. in O referturque à *Pſeudophilalethe* num. 76. his verbis. „ Operatio enim alicujus effectus non attribuitur „ mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu in quo „ mens noſtra eſt mota, & non movens, operatio „ Deo attribuitur, & ſecundùm hoc dicitur gratia „ operans. In illo autem effectu in quo mens noſtra „ & movet, & movetur, operatio non ſolùm tribui„ tur Deo, ſed etiam animæ: & ſecundùm hoc di-

citur

„ citur cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus,
„ primus quidem interior voluntatis; & quantùm ad
„ actum iſtum voluntatis ſe habet ut mota, Deus
„ autem ut movens; & præſertim cùm voluntas in-
„ cipit bonum velle, quæ prius malum volebat: &
„ ideò ſecundùm quod Deus movet humanam
„ mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans.
„ Alius autem actus eſt exterior, qui cùm à volun-
„ tate imperetur, ut ſupra habitum eſt, conſequens
„ eſt, quod ad hunc actum operatio attribuatur vo-
„ luntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos
„ adjuvat, & interius confirmando voluntatem, ut
„ ad actum perveniat, & exterius facultatem ope-
„ randi præbendo; reſpectu hujuſmodi actus di-
„ citur gratia cooperans. Vnde poſt præmiſſa verba
„ ſubdit Auguſtinus, ut autem velimus, operatur:
„ cùm autem volumus, ut perficiamus, nobis coo-
„ peratur.

618. His relatis ſubjungit *Pſeudophilalethes*:
„ Ecce clarè habetur illum actum, qui non eſt ex
„ presuppoſitâ voluntate, tribui Deo, & non vo-
„ luntati, ſolumque elicitivè, & non applicativè eſſe
„ à voluntate. Illum verò actum, qui dependet ab
„ actu præcedente, & qui ideò ab Angelico Do-
„ ctore exterior nominatur, non tribui ſolum Deo,
„ ſed etiam voluntati, à quâ tam applicativè, quam
„ elicitivè progreditur,

619. Expendamus hanc *Pſeudophilalethis* inter-
pretationem, & quam aliena ſit à mente Docto-
ris Angelici, quàm falſa quàm abſurda, & erro-
nea,

nea, videamus. Ait ergo primum actum, de quo illic D. Thomas, eſſe actum illum, qui non eſt ex præſuppoſitâ voluntate. Alterum autem, ſeu ſecundum eſſe illum, qui dependet ab actu præcedente, ſive qui eſt ex præſuppoſitâ voluntate. Iuxta autem eundem, in ſtatu naturæ integræ, actus boni erant ex prçſuppoſita voluntate, ad eoſqúe ſufficiebat gratia vniverſaliter prædeterminans. In ſtatu autèm naturæ lapſæ, actus boni non ſunt ex præſuppoſitâ voluntate, requiruntqúe gratiam ſpecialiter prædeterminantem. Ad illos ſe movebat voluntas, ideoque tribuebantur etiam voluntati. Ad hos habet ſe tantùm ut mota, ideoque tribuuntur ſoli Deo, ut manifeſtum eſt ex iis quæ retulimus num. 601. & ſeqq. Itaque ſecundùm *Pſeudophilalethem* Doctor Angelicus præfato loco per actum illum primum, ad quem voluntas ſe habet ut mota, & non ut movens, intelligit actum bonum naturæ lapſæ, quia ſecundùm ejus doctrinam, hujuſmodi eſt omnis actus bonus hominis infirmi. Per actum autem ſecundum ad quem etiam ſe movet voluntas, intelligit actum bonum naturæ integræ; quia ex eodem talis erat omnis actus bonus hominis ſani; & conſequenter idem Sanctus Doctor, juxta eundem, per gratiam operantem intelligit gratiam ſpecialiter prædeterminantem; hoc eſt, juxta illum, gratiam naturæ infirmæ; nomine autem gratiæ cooperantis, gratiam univerſaliter tantùm prædeterminantem, hoc eſt, ex ejus doctrina gratiam naturæ integræ.

620. Quis autem non videat quàm falſa ſit, &

 prorsùs

prorsùs aliena à mente Doctoris Angelici, hæc *Pſeudophilalethis* interpretatio : cùm certum ſit Doctorem Angelicum hanc diviſionem gratiæ in operantem, & cooperantem, illic tradere per ordinem ad eundem ſtatum naturæ lapſæ.

621. In confirmationem ſiniſtræ interpretationis tuæ immeritò appellas Caietanum,cujus hæc verba refers in prædictum locum D. Thomæ. *Nomine primi actus , non intelligitur ſolus ille, quem voluntas in principio operationum ſuarum omnium habet; ſed quicumque primus , absque conſilio,, & prævio motivo ad bonum* (quales ſcil. ſunt omnes pii motus ad bonum, qui dicuntur fieri in nobis à Deo ſine nobis , quia fiunt independenter à libertate noſtra) *& propterea autor dixit , & præſertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Similiter igitur ſe habet voluntas mota à Deo ad hujuſmodi velle,ſicut grave ad motum deorſum : & propterea ſicut grave non movet ſeipſum ad deſcenſum, ſed eſt motum à generante: ita voluntas mota à Deo ad hujuſmodi novum velle, non movet ſeipſam ad hoc; ſed eſt tantum mota à Deo. Eſt tamen velle ipſius elicitivè, ſicut deſcendere eſt motus gravis. Et eſt liberum,quia poteſt diſſentire à tali velle. Deus enim movet ſuaviter liberum arbitrium ſecundùm conditionem ejus.*

622. Ut jam appareat quàm immeritò pro interpretatione tua Caietanum appellaveris ,interrogo te ; quid per actum illum primum , per novum iſtud velle intelligit Caietanus? ipſúmne liberum voluntatis actum , quo divinæ motioni conſentit, an actum aliquem indeliberatum voluntatis à Deo in

ea

Digitized by Google

ea productum ſine ejus libertate, quo ipſa in bonum à Deo movetur? ſi primum aſſeris: reclamat tibi ipſe Caietanus comparatione ſuâ, quâ primum illum motum confert cum motu gravis deorſum: reclamat tibi per hæc verba: *& eſt liberum quia poteſt diſſentire à tali velle.* Ergo juxta illum actus liber, quo voluntas conſentit, non eſt iſte primus actus, non eſt iſtud novum velle, à quo poteſt diſſentire, quia nemo diſſentire poteſt à conſenſu ſuo. Si ſecundum affirmas, equidem verum dices; ſed illud minimè congruit interpretationi tuæ, qui per actum illum primum, intelligis actus bonos naturæ lapſæ, per ſecundum actus bonos naturæ integræ.

623. Hęc videtur mihi genuina hujus loci interpretatio: ut gratia operans eadem ſit atque efficaciter excitans: cooperans verò eadem atque reipsà adjuvans: Actus ille primus ad quem movet gratia operans, ſeu efficaciter excitans, ſit prima volitio, ad quam eliciendam efficaciter voluntas ab iſta gratia præmota eſt per congruam excitationem factam in nobis ſine nobis, hoc eſt, ſine ulla libertate noſtra: actus verò ſecundus ſit actus à voluntate imperatus, qui meritò ſecundus dicatur, quod præſupponat imperantem. Ad primum illum actum ait voluntatem non movere ſe, ſed à Deo ſolo moveri; quia pręvia illa motio divina voluntatem congruentiâ ſuâ efficaciter excitans ad illum, à ſolo Deo provenit. Hoc igitur ſenſu ſolus Deus movet voluntatem ad primam volitionem boni, quia ſolus voluntatem ad illam excitat. Ad alterum autem actum à priori aliquo

 impera-

imperatum & movet ſe voluntas, & movetur. Movet ſe ad illum per actum imperantem, actus enim imperans motio eſt ad imperatum. Movetur autem ad eundem, tum quia voluntas non movet ſe ad actum imperatum, niſi ut prius mota ad imperantem; tum etiam quia nec poteſt ſe ad illum movere, niſi interius confirmetur à Deo, adjuveturque per gratiam cooperantem.

624. Hunc autem ſecundum actum exteriorem vocat, quia imperium voluntatis ordinariè, & maximè propriè cadit in actus exteriores; quamvis etiam inter actus externos voluntatis alii quandoque ab aliis imperentur. Ne autem actum externum ſeorſim ab interno accipias: id enim alienum eſt à mente D. Thomæ, dicit enim ad illum actum Deum nos adjuvare, *& interius confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo.* Hanc eſſe veram interpretationem mentis Angelicæ liquet ex Auguſtino quem citat. Locus autem citatus deſumptus eſt ex capite 17. lib. de gratia & libero arbitrio, & ſic habet: *quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſtolus: certus ſum, quia qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Hæc enim duo in Aug. notiſſima ſunt, & Deum incipere operari ut velimus, & ſine nobis illud operari per gratiam vocationis congruæ.

625. Id clamant loca illa quæ retulimus à num. 164.

264. & ſeqq. Quibus duo alia adjungo ad confirmandum clariſſima. Ecquid enim aliud ſignificant ejus verba lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. *Quia non præcedit voluntas bona vocationem; ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod benè volumus: nobis verò tribui non poteſt quod vocamur.* Quid aliud hæc ſequentia ex lib. 83um. Quęſtionum, quæſt. 68.: *vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur: propterea etſi quiſquam ſibi tribuit, quod venerit vocatus; non poteſt ſibi tribuere quod vocatus eſt.* Audisne *Pſeudophilalethes*, vocationem operari voluntatem, ſeu ipſam volitionem? Ergo vocatio juxta Auguſtinum eſt ipſa gratia operans. Cùm ergo in poteſtate noſtra non ſit ut vocemur; Deus autem vocando moveat nos ad volendum, conſequens eſt ut reſpectu hujus motionis, & volitionis prout ex ea conſequentis, voluntas noſtra habeat ſe ut mota, & non movens; ut docet loco memorato Doctor Angelicus.

§. 4.

Occurritur objectioni Pſeudophilalethis.

626. AT fortè illud urgebit: ſi reſpectu volitionis, ad quam movet gratia operans, jam explicatâ vocatione & excitatione ſuâ, voluntas habeat ſe non ut movens, ſed ut mota; hujuſmodi

autem volitio utique ſit libera; manifeſtè conſequitur non eſſe neceſſarium ut voluntas moveat ſe ad actum ſuum liberum, proindéque immeritò ſupra à me reprehenſum, quaſi in hac aſſertione orthodoxè non ſaperet.

627. Hâc unica diſtinctione diluitur objectio: Voluntas quidem non habet ſe ut movens ad hunc actum, ſed dumtaxat ut mota, reſpectu præviæ illius motionis, quæ oritur ex divina vocatione: habet ſe tamen ut movens, & non tantùm ut mota reſpectu electionis ſuæ, determinationis & applicationis ad hunc actum. Non quidem ad illum ſe præmovet voluntas, quia excitatio congrua gratiæ prævenientis, quâ præmovetur non pendet ab ejus libertate. Sed ad eundem movet ſe determinatione & applicatione ſuâ. Itaque Doctor Angelicus loco præfato hanc vocem *movere* ſumpſit ſtrictius, prout coincidit cum præmovere: atque ita ſumendo, optimè diſtinxit actum duplicem, unum quidem primum, ſcilicet volitionem boni, ad quam nullo modo præmovet ſe voluntas; ſed tantummodò præmovetur, quia hęc volitio non eſt imperata ab aliqua priore ejus volitione libera, quâ ſe ad eam præmoverit; ſed dumtaxat divina præmotione gratiæ vocantis inſpirata. Alterum autem ſecundum à voluntate imperatum, ad quem & præmovetur à gratia, & præmovet ſe imperio ſuo.

628. Alia tamen ſignificatione non minus uſitatâ accipi poteſt vox *movere*, prout ſcilicet importat propriam electionem, determinationem, & applicationem

Digitized by Google

tionem ad agendum: atque hoc ſenſu motum proprium concedimus agentibus liberis, non verò neceſſariis: dicimus illa movere ſe, quia agunt ex propria electione & determinatione; hæc verò moveri potius quàm movere ſe; quia ad motum ſuum aliunde quàm à ſeipſis determinantur.

629. Hæc motio propria voluntatis neceſſariò libertatem ejus comitatur: ubi enim nulla eſt electio, nulla propria determinatio, nulla applicatio; nulla etiam eſt libertas. Meritò igitur *Pſeudophilalethem* ſupra reprehendimus tamquam minus rectè ſentientem de libertate noſtra ad actus bonos, quod diſertè aſſerat noſtram ad illos voluntatem, ſic moveri ſenſu jam explicato, ut non moveat ſe; ſic determinari à gratia, ut ſeipſam non determinet; ſic applicari, ut ſeipſam non applicet, ſed merè elicitivè ad eos concurrere. Ideò illum reprehendimus, quod num. 77. agens de actu bono naturæ lapſæ dixerit. *In hoc actu convenit voluntas, cum agentibus naturalibus: non quod non ſit liber, ſed quod ad illum voluntas non ſe determinet; ſicut & agentia naturalia non ſe determinant ad actus ſuos.* Reprehendimus illum quod num. 108. exercitium boni operis in natura lapſa comparet cum actione ſervi, cujus manus ita moveretur, & applicaretur à domino pictore ad pingendum, ut eam ipſe nec moveret, nec applicaret. Hæc ſunt quæ juſtæ reprehenſioni materiam præbuere: hæc ſunt quæ illum actuum bonorum libertatem deſtruere, ut putamus, demonſtraverunt.

630. Fruſtra autem recurrit ad indifferentiam

judicii ad vindicandam libertatem naturæ lapſæ ad actus bonos: hæc enim in eum finem inſufficiens eſt, niſi cum illâ adſit poteſtas determinandi, & applicandi ſe ad benè vel malè operandum: imò ideò tantum requiritur, vt hęc determinatio vel applicatio ad bonum vel malum, ſit in libera poteſtate voluntatis. Deinde cum fateatur num. 77. iſtud judicium indifferens non eſſe à voluntate, ſed à Deo illud dante; & juxta eum, cum illo ſtet judicium practicum determinans voluntatem ad vnum, pariter independens ab eâ: nihil certè ad libertatem ejus conferre poteſt talis judicii indifferentia.

Denique cum doceat amorem beatificum eſſe liberum, ſingulari libro hac de re edito; nulla autem, niſi fictitia, reperiatur in intellectu beato indifferentia judicii ad Deum amandum vel non amandum; ſequitur ex doctrinâ ejus, nec indifferentiam judicii neceſſariam eſſe ad libertatem voluntatis.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

Oſtenditur ſpecialiter Pſeudophilalethem malè ſentire de libertate, ex his quæ tradit in ſpeciali opuſculo de libero.

§. I.

Id probatur ex eo quod doceat ad libertatem actus non requiri, vt poſſit eum ſuſpendere, aut ab eo ceſſare.

631. ANno 1671. In eâdem vrbe Duacenſi editus eſt ab eodem *Pſeudophilalethe* Typis Balthazaris Belleri liber alter, quem inſcripſit *De Libertate & Contritione SS. Auguſtini & Thomæ gemini Eccleſiæ ſolis tutiſſima & inconcuſſa dogmata per Germanum Philalethem Eupiſtinum* (mentito ſcilicet nomine, vt oſtendi in præfatione ad Lectorem) *cum approbationibus primi Opuſculi ſui, cui titulus, Scientia media ad examen revocata.* In hoc autem Opuſculo ea

tradit de libertate, quæ planè videntur evertere liberum hominis arbitrium. E multis pauca ſeligam, quæ id non obſcurè demonſtrent.

632. Numero 22. Explicans notionem libertatis paulo ante à ſe traditam cap. 3. §. 1. ſic ſcribit: *dato quod ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere; adhuc hæc conditionalis eſſet vera; ſi non vellet, non ageret, & ideo agit, quia vult; quod ſufficit, vt negatio actus dicatur eſſe in poteſtate volentis, ejusque dominio.*

633. Non audet *Pſeudophilalethes* hunc apertum errorem profiteri, videlicet ad libertatem actionis non requiri vt ſit in poteſtate voluntatis non agere: ſive, quod in idem redit, ſtare poſſe libertatem cum actionis neceſſitate: unde mirum in modum torquet ſe, vt oſtendat juxta doctrinam ſuam ſemper in agente libero perſeverare poteſtatem non agendi; ſive vt ipſe loquitur, negationem actus ſemper remanere in poteſtate agentis, ejusque dominio. Sed re ipsâ hanc poteſtatem deſtruit; nec niſi inanibus verbis illam profitetur.

634. Quis concipiat remanere poteſtatem non agendi in eo qui ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere? neque enim video quid aliud ſit, non poſſe ab actu ceſſari, aut eum ſuſpendi, quàm non poſſe non agi. Nonne hæc eadem ſunt, ceſſare ab actu, & non agere? ergo & illa, non poſſe aliquem ab actu ceſſare, & non poſſe eum non agere. Quomodo ergo fieri poteſt juxta *Pſeudophilalethem*, vt, *dato quod ſemper ageret, nec*

poſſet

poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere, nihilominus permaneat poteſtas non agendi.

635. Audi ridiculam ejus rationem: *adhuc*, inquit, *hæc conditionalis eſſet vera: ſi non vellet, non ageret, & ideò agit quia vult: quod ſufficit vt negatio actus dicatur eſſe in poteſtate volentis, ejúsque dominio.* Sanè ſi hujus conditionalis veritas ſufficit, vt negatio actus dicatur eſſe in poteſtate, & dominio agentis, ſequitur nullam poſſe induci agendi neceſſitatem, cum quâ non ſtet in volente agere, poteſtas non agendi. Ponamus enim aliquem neceſſariò velle agere; adhuc reſpectu illius hæc conditionalis eſſet vera: *ſi non vellet, non ageret; & ideò agit quia vult*: ergo juxta *Pſeudophilalethem* is adhuc haberet in poteſtate & dominio voluntatis, negationem actus, atque adeò liberè ageret, quamvis neceſſariò.

636. Pergit ibidem errorem ſuum ſtabilire: *in hoc*, inquit, *videntur deficere juniores, quod negationem actus putent non eſſe in poteſtate volentis, ſi non poſſit aut ſuſpendere actum, aut ceſſare ab actu .... verùm nihil horum requiritur, vt abſolutè & ſimpliciter dicatur negatio actus eſſe in poteſtate volentis.*

637. Quid ais, *Pſeudophilalethes*, in eonè deficimus, quod putemus negationem actus non eſſe in poteſtate voluntatis, niſi poſſit voluntas aut actum ſuſpendere, aut ab illo ceſſare? dic, amabo, eſſetne actus in poteſtate voluntatis, ſi voluntas non poſſet agere? id certè non affirmabis ſi aliquid ſanæ mentis circa libertatem tibi ſuperſit. Nec igitur eſt in poteſtate voluntatis negatio actus, ſi voluntas

non

non poſſit non agere, ſive ſi non poſſit actum ſuſpendere, aut ab illo ceſſare; cum non poſſit ab actu ceſſare niſi non agendo.

638. Non ergo deficiunt in ea re juniores illi quos ſic per contemptum appellas, ſed tu in eo planè deficis, quod præfatis verbis ſubjungis. *Verum nihil horum requiritur vt abſolutè & ſimpliciter dicatur negatio actus eſſe in poteſtate volentis: nam ad hoc abunde ſufficit quod negatio actus dependeat à voluntate ipſius, in quantum determinando ſe ad actum poteſt impedire negationem actus, quæ certè non ſubſiſtit; ſed deſtruitur eo ipſo quod ad actum ſe determinet.* Egregia ſanè doctrina, juxta quam voluntas liberè ageret, quamvis neceſſariò. Si enim illud ſufficit ad hoc vt negatio actus dependeat à libertate agentis, quod actione ſua deſtruat negationem actus; quamvis non poſſit aut actum ſuſpendere, aut ab eo ceſſare: ergo qui neceſſariò vellet agere, adhuc haberet in libera ſua poteſtate negationem actus, quia hac ſua neceſſaria volitione, ſeu determinatione impediret negationem actus, quæ certè non ſubſiſteret, ſed deſtrueretur eo ipſo quod ſe ad agendum neceſſariò determinaret.

639. Iam pridem doctrinam tuam damnavit Doctor Angelicus vt libertatis everſivam: ſic enim ſcribit lect. 11. in cap. 5. lib. 3. Eth. *Si operari eſt in noſtra poteſtate, oportet etiam quod non operari ſit in noſtra poteſtate: ſi enim non operari non eſſet in poteſtate noſtra, impoſſibile eſſet nos non operari*, ſive quod idem eſt, ab actu ceſſare, aut actum ſuſpendere. Audi

di jam illius conſequentiam & doctrinæ tuæ damnationem. *Ergo*, inquit, *neceſſe eſſet nos operari, & ſic operari non eſſet ex nobis, ſed ex neceſſitate:* numquid tamen tum adhuc hęc conditionalis eſſet vera: ſi non vellemus, non operaremur? numquid etiam tum operando impediremus ſeu deſtrueremus negationem operationis? & tamen juxta D. Thomam *ſic operari non eſſet ex nobis*, vt ſcilicet liberè agentibus, *ſed ex neceſſitate*.

§. 2.

Idem error retegitur ex eo quod aſſerat neceſſitatem naturalis inclinationis non officere libertati

640. QVis hactenus orthodoxus credidit neceſſitatem naturalis inclinationis, actus dominio ſeu libertati non repugnare? id tamen diſertis verbis aſſerit *Pſeudophilalethes*: nam cap.7. De libero, pro ipſo titulo hanc ponit concluſionem: *Neceſſitas naturalis inclinationis dominio ſui actus non repugnat.* Hanc verò neceſſitatem ſic explicat eodem capite ſub initium: *hæc neceſſitas eſt quædam determinatio ad aliquid vnum ex aliqua interiori inclinatione procedens, ſive iſta inclinatio ſit à natura, ſive ſit acquiſita, ſive*

ſive infuſa. Et paulo infra : *determinatio ergo ad aliquid vnum ex interiori inclinatione procedens , dicitur neceſſitas naturalis inclinationis*. Quid obſecro magis repugnat libertati, quàm naturalis determinatio ad vnum ? quamnam aliam neceſſitatem induxerunt Lutherus & Calvinus, quàm iſtam determinationem ad vnum ex naturali inclinatione concupiſcentiæ, aut ex gratia provenientem ?

641. Nequidquam autem *Pſeudophilalethes* §. 1. prædicti capitis 7. vt libertati conſulat, ait ex hac naturali inclinatione & determinatione ad vnum oriri tantùm neceſſitatem ſpecificationis, non exercitii, quia hæc determinatio eſt ad vnum objectum, ex quo deſumitur ſpecies actûs.

642. Contra enim eſt 1°. quod ſic ſaltem evertat libertatem contrarietatis, ſive libertatem ad actus oppoſitos, qualis eſt libertas ad bonum & malum. Hanc autem libertatem negare in natura lapſa, error eſt pridem damnatus.

643. Contra eſt 2°. quod non tantùm inducat neceſſitatem ad ſpeciem, ſed etiam ad exercitium. Quomodo enim non eſt in eo neceſſitas exercitii, qui nequit ab actu ceſſare ? aut quomodo is habet in poteſtate ſua negationem actus, qui nequit non agendo actum ſuſpendere ?

644. Quid ad hoc *Pſeudophilalethes* ? egregiam ſanè ejus reſponſionem audite : *negatio actus*, inquit, præfato cap. 7. §. 3. *dupliciter cadit ſub poteſtate agentis: primò poſitivè dum negatio actus fieri poteſt à voluntate. Secundò negativè dum ſolùm poteſt impediri.*

Atque

Digitized by Google

Atque hanc poteſtatem negativam non agendi affirmat ſtare cum iſta naturali inclinatione & determinatione ad agendum, & ſufficere ad poteſtatem & dominium non agendi.

645. Sanè ridicula ac prorſus inanis eſt hæc reſponſio: quid enim eſt negationem actus agendo impediri, ſeu, ut, alibi loquitur, deſtrui, quàm actum fieri? ipsâ enim poſitione actûs impeditur, ſeu deſtruitur negatio ejus. Ergo negationem actus cadere negativè ſub poteſtate agentis, nihil aliud eſt quàm eſſe in eo potentiam agendi: ſive poſſe illum non agere negativè, nihil aliud eſt quàm poſſe illum agere. Ergo juxta *Pſeudophilalethem* ideò habet potentiam non agendi, quia habet potentiam agendi. Quod quàm ridiculum ſit, quam inane, quàm falſum, nemo non videt.

646. Hanc ſequelam vidit ipſe & admittit cap. 7. §. 3. num. 52. his verbis: *poteſtas ordinata ad deſtruendam negationem actus, non eſt alia, quàm poteſtas applicandi ad actum: qui enim poteſt applicare ad actum, ille verè poteſt deſtruere negationem actus, ſive quod idem eſt, eam impedire* (hoc eſt, qui poteſt agere, poteſt agere; nam negatio actus deſtruitur agendo.) *Ex quo apparet, quod ipſa poteſtas ſe applicandi ad actum, eſt etiam poteſtas non agendi negativè, ſive poteſtas impediendi negationem actus;* Hoc eſt, quod poteſtas agendi, ſit poteſtas ponendi actionem quâ tollitur actionis negatio: quod prorsùs nugatorium eſt.

647. Age ergo, *Pſeudophilalethes*, quid petitur, dum quæritur, an agens liberum debeat poſſe non agere?

gere? petiturne an debeat poſſe nō agere negativè, hoc eſt, an debeat poſſe actu ſuo impedire ſeu deſtruere negationem actus ſui? an verò debeat poſſe non agere poſitivè, hoc eſt, poſſe nolle agere, & poſſe reipsà non agere? prima interrogatio nimis ridicula eſt quàm ut fiat à viro ſapiente. Quis enim neſciat agendo deſtrui negationem actus? proindéque potentiam deſtruendi negationem actus eſſe ipſammet potentiam agendi? hâc igitur quæſtione petitur, an agens liberum debeat poſſe reipsà non agere, ſeu ceſſare ab actu; illudque eſt quod ad libertatem exercitii requiritur. Nugaris igitur, dum reſpondes poſſe illum non agere negativè, ſeu poſſe agendo deſtruere negationem actus. Et omnino erras dum aſſeris illud ſufficere ad libertatem exercitii; quia qui neceſſariò ageret, hoc modo haberet in poteſtate ſua negationem actus, quandoquidem & ipſe agendo impediret negationem actus.

§. 3.

Ejuſdem erroris arguitur ex admiſſa amoris beatifici libertate.

648. MAnifeſti adhuc erroris circa libertatem reus tenetur ex eo quod per totum caput nonum & decimum opuſculi de libero contendat

dat amorem beatificum eſſe liberrimum , accipiendo liberum ſtrictè provt importat poteſtatem non tantùm agendi, ſed etiam non agendi : vt patet ex argumento quod ſibi objicit §. 2. capitis 10. in hunc modum ; *ad dominium ſui amoris exigitur, vt voluntas poſſit amare & non amare : ſed Beati non poſſunt non amare Deum : ergo Beati non habent dominium ſui amoris.*

649. Illud enim dici non poteſt ſine errore quandoquidem ſit confundere liberum cum neceſſario. Nam cum Beati non poſſint non amare Deum, neceſſe autem ſit amorem illum eſſe neceſſarium , qui non poteſt non eſſe ; non poteſt *Pſeudophilalethes* aſſerere eum eſſe liberrimum; niſi concedat ſimul eſſe & neceſſarium & liberum.

650. Sed quid reſpondet ad iſtam minorem prædicti ſyllogiſmi ? *ſed Beati non poſſunt non amare Deum* : id ſcilicet, quod paullò ante omninò nugatorium eſſe demonſtravimus: nempe Beatos habere in ſua poteſtate negationem amoris, quia amando impediunt , & deſtruunt negationem ejus. Verum cum neceſſe ſit illud fieri per qualemcumque amorem, ſive liberum ſive neceſſarium ; quia fieri non poteſt vt ſimul ſtent amor & negatio ejus : liquet prorſus inanem eſſe ejus reſponſionem ad vindicandam libertatem amoris beatifici.

651. Nec minus futile, & à veritate alienum eſt, quod cap. 9. §. 4. aſſumit vt probet neceſſitatem amoris beatifici non officere ejus libertati : hoc nempe; *neceſſitas amoris beatifici, eſt neceſſitas naturalis inclinationis tenens ſe ex parte minoris; & ideo*

non excludens perfectiſſimum ejus dominium. Quod monſtrum ratiocinationis ? quàm inepta hæc locutio ? neceſſitas amoris beati eſt neceſſitas naturalis inclinationis; cum amor ille naturam omnem tranſcendat ? quàm inſulſa hæc conſequentia ? neceſſitas amoris beatifici non excludit libertatem, quia eſt neceſſitas naturalis inclinationis ; cum hæc poſt violentiam maximè libertati opponatur. Quis ille ſyllogiſmus, in quo prædicta propoſitio locum minoris obtinet? is ſcilicet inquit num. 71. *In quo amor naturalis vltimi finis vt ſic, erit major : minor verò, lumen gloriæ oſtendens Deum eſſe vltimum finem* (ex quo provenit neceſſitas amoris beatifici, quam vocat neceſſitatem naturalis inclinationis) *concluſio, auxilio gratiæ prædeterminantis deducta , ipſe amor Dei ſupernaturalis.*

652. Illud ſanè omnino riſu dignum eſt aſſerere, perpetuò hunc ſyllogiſmum fieri à Beatis : finis vltimus eſt amandus : atqui Deus, vt clarè oſtendit lumen gloriæ, eſt finis vltimus : ergo Deus eſt amandus. Quaſi verò ratiocinio opus ſit, vt beatus ſeſe provocet ad amorem ſummi boni intuitivè cogniti, atque hac intuitiva ſui cognitione voluntatem totam rapientis in ſui amorem.

653. Imò ſi naturalis amor finis ultimi generatim ſpectati deberet præcedere amorem ſummi boni, ſeu Dei, in quo ſitam eſſe veram rationem finis vltimi demonſtret lumen gloriæ : ſicut naturalis amor finis vltimi in genere non eſt neceſſarius quoad exercitium; ita nec talis eſſet amor Dei intuitivè cogniti ab eo dependens : proindéque poſſet

ſet Beatus ſiſtere exercitium hujus amoris; quod ſanè repugnat SS. PP. & Theologorum placitis, ipſique rationi.

654. Sed demus requiri hunc ſyllogiſmum: cur, amabo, neceſſitas amoris beatifici proveniens ex hac minore: *atqui Deus ut manifeſtat lumen gloriæ, eſt finis vltimus*; non æquè officiat libertati hujus amoris, ac ſi major illa: *finis vltimus vt ſic eſt amandus*, nequaquam præceſſiſſet? num clara ſummi boni propoſitio propter iſtam majorem ſive propter amorem iſtum naturalem finis vltimi, minorem vim obtinet, vt voluntatem rapiat in ſui amorem?

655. At tunc, inquit, amor ille beatificus eſt ex collatione rationis, & ex actu priori amoris finis vltimi, ideoque liber. Scilicet opus eſt collatione rationis ad amandum ſummum bonum intuitivè vt tale cognitum, ad quod amandum ſummo impetu voluntas rapitur.

656. Sed merum figmentum eſt, amorem naturalem finis vltimi debere ſemper actu præcurrere amori ſummi boni intuitivè cogniti: ſufficit enim eam eſſe naturam voluntatis verſus bonum, vt non poſſit non amare ſummum bonum, vt in ſe eſt, clariſſimè propoſitum.

Deinde vel beatus ceſſare poterit ab iſto naturali amore finis vltimi; vel non. Si primum: ergo etiam ceſſare poterit ab actuali amore Dei; quia juxta hanc doctrinam hic ab illo dependebit. Si alterum: ergo etiam amor iſte naturalis finis vltimi, neceſſarius erit quoad exercitium. Quomodo

ergo ex illo prodire poterit libertas amoris beatifici ? quid faciet ad illius libertatem, quod tunc erit ex amore præſuppoſito? an propterea voluntas ex clara cognitione ſummi boni minus rapietur in illius amorem ? Conſtat igitur *Pſeudophilalethem* ex his quæ tradit de amore beatifico non rectè ſentire de natura libertatis.

§. 3.

De eodem errore convincitur ex confuſione liberi cum voluntario.

657. NOtiſſimum eſt hanc Baii propoſitionem, *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*, damnatam fuiſſe à Pio V. & Gregorio XIII. Vbi ergo oſtendero hoc ipſum docere *Pſeudophilalethem*, confecero illum eſſe in Baio quoad hoc damnatum.

Non erit mihi difficile id probare : etſi enim illam Baii propoſitionem non tradat his terminis, quibus jacet ab eo ſcripta, plurima tamen aſſerit, ex quibus id neceſſaria illatione deducitur.

658. Primam probationem aſſertionis meæ accipio ex hoc ejus pronuntiato, quod cap. 7. aſſumit probandum ; *neceſſitas naturalis inclinationis, dominio ſui actus non repugnat.* Non poteſt enim fieri,

ut

vt hæc neceſſitas dominio actûs, ſeu libertati non repugnet, niſi etiam verum ſit, eidem non repugnare voluntarium neceſſitati conjunctum: hęc enim neceſſitas non poteſt eſſe alia, quàm neceſſitas naturalis inclinationis; cum voluntarium neceſſariò ab intrinſeco procedat.

659. Id adhuc clarius eſt ex verbis, quibus cap. 7. num. 48. explicat iſtam neceſſitatem naturalis inclinationis: *determinatio ergo ad aliquid vnum ex interiori inclinatione procedens dicitur neceſſitas naturalis inclinationis.* Subſumo: atqui habetur iſta determinatio ad vnum ex interiori inclinatione, quando voluntarium conjunctum eſt neceſſitati: ergo ſi talis neceſſitas non repugnet libertati; nec illi repugnat voluntarium cum neceſſitate conjunctum.

660. Idem probo ex eo quod juxta ejus principia, qui ſic ageret, vt non poſſet ab actu ceſſare, ſeu non agere, nihilominus adhuc ageret liberè; quia hæc conditionalis adhuc eſſet vera, *ſi non vellet, non ageret; & ideo agit, quia vult:* atqui vtrumque verificaretur de eo, qui ageret voluntariè & neceſſariò: ergo juxta illum agens voluntariè quamvis neceſſariò, ageret liberè.

661. Non minorem vim habet ad id probandum, quod affirmat cap. 3. num. 22. nempe, vt negatio actus ſit in poteſtate agentis, abundè ſufficere quod agendo poſſit impedire ſeu deſtruere negationem ejus. Quis enim non videat hanc etiam poteſtatem reperiri in eo, qui voluntariè ageret, quantumvis neceſſariò; cum fieri non poſſit, vt volun-

Digitized by Google

tariè agat, & agendo non deſtruat negationem actûs.

662. Sed nihil adeo *Pſeudophilalethem* hujus erroris conſortem facit, quam quod tradat amorem beatificum eſſe liberum: hunc enim amorem eſſe maximè voluntarium inficiari non poteſt: eundem autem eſſe neceſſarium neceſſitate naturalis ſeu interioris inclinationis, vltrò fatetur. Cum ergo non poſſit alia neceſſitas voluntariò competere quàm quæ ab intrinſeco procedit: manifeſtè ſequitur juxta *Pſeudophilalethem* id quod fit voluntariè, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fieri: proindéque eundem reum teneri Baiani erroris, à præfatis duobus Pontificibus ſolemni bullâ damnati.

SECTIO III.

Pſeudophilalethem quoad rem admittere primam propoſitionem è quinque damnatis ab Innocentio X.

663. HÆc eſt prima propoſitio damnata: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Quamvis

Digitized by Google

Quamvis autem dicat *Pſeudophilalethes* num. 131. Opuſculi ſcientiæ mediæ ad examen revocatę, hanc propoſitionem eſſe juſtiſſimè ab Innocentio X. damnatam; eum tamen quoad rem, illam admittere in ſenſu Janſenii à Pontifice damnato demonſtrare aggredior.

§ I.

Conſenſus Pſeudophilalethis cum Ianſenio, ex quo varia ad verbum exſcripſit.

664. QVàm præclarè *Pſeudophilalethes* cum Ianſenio conſentiat: quàm accuratè legerit caput 13. lib. 3. hujus autoris de gratia Salvatoris, ex quo deſūpta eſt prima propoſitio damnata; quàm fideliter doctrinam illic contentam ſecutus fuerit, ut diſcipulus magiſtri ſui obſervantiſſimus, clariſſimè liquet, tum ex eo quod ipſe, ut illic Ianſenius, gradatim aſcendat, pergatque ab induratis & excœcatis ad juſtos, & à juſtis ſimpliciter ad juſtos volentes & conantes, negétque cum magiſtro ſuo ſemper dari illis omnibus auxilium ſufficiens ad præcepta implenda: tum maximè quod iiſdem rationibus utatur, ac Ianſenius; iiſdem Auguſtini locis, eodem exemplo

lapſus D. Petri; &, quod fidem facit prorsùs indubitatam, quia varia ex his refert ipſiſſimis Ianſenii verbis, quæ exſcripſit ex illo ipſo capite, in quo jacet prima propoſitio damnata: quæ omnia fient manifeſta ex iis, quæ jam ſubjiciam.

665. Itaque *Pſeudophilalethes* num. 114. Primò, ut probet nullam adeſſe induratis & excœcatis gratiam ſufficientem, quædam refert ex cenſuris vetitis quorundam Doctorum utriuſque florentiſſimæ Vniverſitatis Lovanienſis & Duacenſis: de quibus egimus num. 22. & ſeqq. Scilicet firmum doctrinæ fulcimentum illam ſtabilire cenſuris vetitis. *Prima*, inquit, videlicet Lovanienſis (dicere debuiſſet Michael Baius, & aliquot ejus aſſeclæ ex Vniverſitate Lovanienſi) *in cenſura propoſitionis* 14. *ſic loquitur: cùm certum ſit non præſtari à Deo hujuſmodi hominibus (induratis) gratiam eam, quæ cor lapideum & cœcitatem auferat, manifeſtum eſt, eos non habere ſufficiens auxilium ut convertantur, cùm ſine jam dicta gratia nullum eis auxilium ſufficiat &c.* Tum *Pſeudophilalethes* in eandem ſententiam concedens ſubdit: *Quare ſicut indurati juxta hanc veritatem non habent auxilium ſufficiens, eo quod non habeant gratiam, quæ auferat cor lapideum & cœcitatem: ita nec omnes juſti habent auxilium ſufficiens; eo quod non habeant gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, & tollat ignorantiam.*

666. Egregia ſanè conſequentia, quæ pro fundamento errorem habet, videlicet nullum dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci: infert enim illos carere auxilio ſufficienti, quia carent efficaci, ſive

quia

quia non habent gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, hoc eſt, quæ ſit efficax.

667. Eandem perverſam ſequelam repetit in fine ejuſdem numeri 114. ſic concludens: *Cùm itaque non in omnibus juſtis vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia; concludendum eſt, non omnibus juſtis auxilium ſufficiens dari.* Ex quo neceſſariâ illatione conſequitur non poſſe juſtos implere hoc preceptum *Non concupiſces*, quotieſcumque non habent gratiam actu vincentem concupiſcentiam; proindéque hoc præceptum illis eſſe impoſſibile quotieſcumque illud non implent; cùm tunc juxta *Pſeudophilalethem* non habeant auxilium ſufficiens ad illud implendum, quia non habent gratiam, quæ vincat concupiſcentiam.

668. Neque *Pſeudophilalethes* hunc errorem depellere poteſt hac reſponſione; videlicet, quamvis juſti, dum vincuntur à concupiſcentia, non habeant auxilium proximè ſufficiens, ut illam vincant; potuiſſe tamen orando non modò ſufficiens; ſed etiam efficax impetrare, quo vincerent; quia nec tunc agnoſcit in illis auxilium datum ut orent, & orando aliud impetrent, quo victores evadant.

669. Imò num. 115. Ex defectu auxilii ad orandum, aſſumptum probat hoc ſyllogiſmo: *auxilium quod precibus impetratur, non omnibus datur: ſed auxilium ſufficiens, cùm ſit Dei donum, precibus impetratur: ergo auxilium ſufficiens non omnibus datur. Sola*, inquit, *major debet probari: non omnibus quantumvis fidelibus datur oratio, nec omnes orantes impetrant: ergo non omnibus da-*

lapſus D. Petri; &, quod fidem facit prorsùs indubitatam, quia varia ex his refert ipſiſſimis Ianſenii verbis, quæ exſcripſit ex illo ipſo capite, in quo jacet prima propoſitio damnata: quæ omnia fient manifeſta ex iis, quæ jam ſubjiciam.

665. Itaque *Pſeudophilalethes* num. 114. Primò, ut probet nullam adeſſe induratis & excœcatis gratiam ſufficientem, quædam refert ex cenſuris vetitis quorundam Doctorum utriuſque florentiſſimæ Vniverſitatis Lovanienſis & Duacenſis: de quibus egimus num. 22. & ſeqq. Scilicet firmum doctrinæ fulcimentum illam ſtabilire cenſuris vetitis. *Prima*, inquit, videlicet Lovanienſis (dicere debuiſſet Michael Baius, & aliquot ejus aſſeclæ ex Vniverſitate Lovanienſi) *in cenſura propoſitionis* 14. *ſic loquitur: cùm certum ſit non præſtari à Deo hujuſmodi hominibus (induratis) gratiam eam, quæ cor lapideum & cæcitatem auferat, manifeſtum eſt, eos non habere ſufficiens auxilium ut convertantur, cùm ſine jam dicta gratia nullum eis auxilium ſuffiiat &c.* Tum *Pſeudophilalethes* in eandem ſententiam concedens ſubdit: *Quare ſicut indurati juxta hanc veritatem non habent auxilium ſufficiens, eo quod non habeant gratiam, quæ auferat cor lapideum & cæcitatem: ita nec omnes juſti habent auxilium ſufficiens; eo quod non habeant gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, & tollat ignorantiam.*

666. Egregia ſanè conſequentia, quæ pro fundamento errorem habet, videlicet nullum dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci: infert enim illos carere auxilio ſufficienti, quia carent efficaci, ſive

quia

quia non habent gratiam, quæ vincat concupiſcentiam, hoc eſt, quæ ſit efficax.

667. Eandem perverſam ſequelam repetit in fine ejuſdem numeri 114. ſic concludens: *Cùm itaque non in omnibus juſtis vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia; concludendum eſt, non omnibus juſtis auxilium ſufficiens dari.* Ex quo neceſſariâ illatione conſequitur non poſſe juſtos implere hoc pręceptum *Non concupiſces*, quotieſcumque non habent gratiam actu vincentem concupiſcentiam; proindéque hoc præceptum illis eſſe impoſſibile quotieſcumque illud non implent; cùm tunc juxta *Pſeudophilalethem* non habeant auxilium ſufficiens ad illud implendum, quia non habent gratiam, quæ vincat concupiſcentiam.

668. Neque *Pſeudophilalethes* hunc errorem depellere poteſt hac reſponſione; videlicet, quamvis juſti, dum vincuntur à concupiſcentia, non habeant auxilium proximè ſufficiens, ut illam vincant; potuiſſe tamen orando non modò ſufficiens; ſed etiam efficax impetrare, quo vincerent; quia nec tunc agnoſcit in illis auxilium datum ut orent, & orando aliud impetrent, quo victores evadant.

669. Imò num. 115. Ex defectu auxilii ad orandum, aſſumptum probat hoc ſyllogiſmo: *auxilium quod precibus impetratur, non omnibus datur: ſed auxilium ſufficiens, cùm ſit Dei donum, precibus impetratur: ergo auxilium ſufficiens non omnibus datur. Sola*, inquit, *major debet probari: non omnibus quantumvis fidelibus datur oratio, nec omnes orantes impetrant: ergo non omnibus da-*

tur auxilium quod precibus impetratur.

670. Sicut autem numero prçcedenti intulit non dari juſtis omnibus auxilium ſufficiens ad ſuperandam concupiſcentiam, eo quod omnes non habeant gratiam, quâ reipsà ſuperent concupiſcentiam: ita juxta ejus principia inferendum eſt, non dari omnibus auxilium ſufficiens ad orandum: quia non omnes habent gratiam, per quam reipsà orent: quia ſcilicet non agnoſcit auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci, ut paulò ante dictum eſt, & infra oſtendetur. Sed non eſt quod de eo jam ſolliciti ſimus, quandoquidem num. 116. expreſsè aſſerat non omnes habere poteſtatem orandi: *non igitur*, ait, *omnes accipiunt orationem, cùm non omnes ad Deum recurrant: nec etiam orandi omnes habent poteſtatem, cùm non omnes cognoſcant ſuam infirmitatem &c.*

671. Eodem autem numero 115. reddens rationem cur non detur omnibus auxilium ad Deum orandum, hæc ipſiſſima refert Ianſenii verba, quæ ex præfato capite exſcripſit: *plurimi quippe præſumptione pleni, ſe ſatis fortes eſſe putant ad præcepta facienda, ſi tantùm velint: quâ ſuperbiâ occultâ implicati non poſſunt invocare adjutorem Deum* (Ianſenius *non invocant*) Deinde uterque eundem hunc adfert Auguſtini locum : *habet & adjutorem, qui ſe expectat pugnantem, ſublevat laborantem; ſed ſi invenit ſperantem: odit enim ſuperbientem.* Poſtea ſubjicit exemplum lapsûs S. Petri, & in eam rem refert quçdam Auguſtini loca; *Quid feſtinas Petre &c.* Quæ reperies in eodem memorato Ianſenii capite cum interpoſitione eorumdem

dem verborum, & eorumdem omiſſione in medio ſententiæ.

672. Atque hæc ſententia de defectu gratiæ ſufficientis in S. Petro, dum Chriſtum negavit, aſſerta ab aliquo Doctore Sorbonico, damnata eſt ut temeraria, iniqua, blaſphema, anathemate perculſa, & hæretica, à Sacra Facultate Theologica Pariſienſi; ut conſtat ex decreto ejus dato ultimâ Ianuarii anno Domini 1656.

673. Pergit *Pſeudophilalethes* eodem numero 115. Ianſenii verbis hanc dictorum ſuorum rationem adferre: *hac eſt ratio, cur Deus multos tentari permittat & cadere, ut videlicet virium ſuæ voluntatis capiant experimentum; & qui illas valdè magnas eſſe putant, diſcant, vel ſtatu, vel lapſu, vel imminente periculo ſuo, quid facere poſſint, quid ferre non poſſint. Sic enim Petrus experientiâ doctus depoſuit pernicioſam præſumptionem, quam de ſua voluntatis viribus ſeu poteſtate conceperat.* Hæc verba reperies eodem capite 13. lib. 3. Ianſenii de gratiâ Salvatoris; uti & ſequentia ferè ad verbum. *Nec denique omnes orantes impetrant, ut experientia docet: quamvis Iacobus dicat, quod Deus dat omnibus affluenter; dicit tamen illis dari qui poſtulant in fide nihil hæſitantes, id eſt, qui ſic petunt quomodo, & quantùm res tanta petenda eſt, ait S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 17.* Quæ autem ſubjungit huic Auguſtini loco, accepta ſunt ex eodem Ianſenii capite: *quare non exigua Moliniſtarum* (Ianſenius quorumdam) *hallucinatio eſt, quâ putant ſemper adeſſe homini gratiam, ut petat, & tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id, quod petit.*

Tum

Tum uterque dictum probat hoc Auguſtini teſtimonio: *nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt* &c. Quaſi verò ex defectu gratiæ ſit ita tepida, & non vitio voluntatis, quæ excitata à gratia & adjuta potuit ardentius petere.

674. Hoc autem caput 13. lib. 3. de gratia Salvatoris, ex quo hæc omnia deſcripſit, illud ipſum eſt, in quo exſtat prima propoſitio ab Innocentio X. damnata: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Vnde manifeſtum eſt, ex vitiato fonte hanc doctrinam ſuam hauſiſſe.

675. Varia adhuc adnotare poſſum quæ ex eodem Ianſenio accepit, è quibus aliqua ſubjicio ad fidem faciendam: licet ad præſentem errorem non ſpectent. Numero 90. explicans hunc Auguſtini locum; *tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato &c.* Hæc ipſa Ianſenii verba ſubjicit deſumpta ex cap. 4. lib. 2. de gratia Salvatoris: *nimirum quia nullâ interiori rixâ libertas illa ſana diſcerpebatur, nulla luctâ laſſabatur, nullo deorſum pondere premebatur, ut non niſi velle cum adjutorio univerſalis prædeterminationis* (Ianſenius *cum adjutorio concurrente*) *peteretur. Nunc verò difficultates graviſſimæ ſuperandæ ſunt, non quibus corporis membra, ſed quibus voluntas ipſa à volendo revocatur, dum concupiſcentiali viſco complexa non ſufficit ei adjutorium univerſalis prædeterminationis* (Ianſenius loco *non ſufficit* &c. habet, *etiam tali adjutorio adjuta aut velle, aut ſatis potenter velle non poteſt.*)

676.

676. Numero 92. ex eodem Ianſenii capite exſcripſit ſequentia: *reddensque rationem, cur homo ſanæ robuſtæque voluntatis, divino munitus adjutorio tantâ facilitate corruerit. Infirmiſsimus verò in ſævientibus tentationum tempeſtatibus perſeveret, docet* (videlicet Auguſtinus, Ianſenii & *Pſeudophilalethis* falsâ opinione) *quod homo ſanus per virtutem ſui arbitrii regebatur: homo autem infirmus per virtutem Dei*. Pro poſtremis verbis *docet quod homo ſanus* &c. habet Ianſenius *quia voluntas invalida & imbecilla perſeverat per virtutem Dei....... Fortis & ſana habet virtutem liberi arbitrii*. Tum uterque hoc eodem Auguſtini pronuntiato dicta concludit: *fortiſsimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet* &c. Et verba quæ Ianſenius poſtponit Auguſtini dicto, ipſe præponit. Hæc videlicet *quid enim congruentius ſapientiæ, & miſericordiæ Dei, quid ipſis naturis rerum magis conſentaneum, quàm ut robuſta voluntas* &c. Quæ ſequuntur non ſunt quidem eadem verba, ſed planè ſimilia quoad ſenſum.

677. Quæ autem habet cap. 2. art. 2. §. 7. de victrici delectatione, ſimillima ſunt iis, quæ Ianſenius ſcripſit lib. 4. de gratia Salvatoris cap. 5. 6. & 7. ex quo etiam videtur deſumpſiſſe ea quæ adfert ex Auguſtino, & multa alia, quæ ſparſim dicit variis locis libri ſui de lucta cœleſtis & terrenæ delectationis.

678. Hæc volui indicare vt appareat non eſſe fidendum doctrinę *Pſeudophilalethis*, qui magiſtrum habuit non tam Auguſtinum Hipponenſem, quàm Iprenſem. Nunc præfatum errorem proſequamur,

oſtendamuſque

oſtendamuſque *Pſeudophilalethem* non tantùm non agnoſcere in juſtis auxilium ſufficiens vt tentationi reſiſtant, dum vincuntur; ne remotum quidem, quod ſcilicet oratione impetrandum eſt; ſed etiam illud non admittere in juſtis volentibus & conantibus; proindéque ipſum reum eſſe propoſitionis primæ ab Innocentio X. damnatæ.

§. 2.

Specialius oſtenditur Pſeudophilalethem admittere primam propoſitionem ab Innocentio damnatam.

679. ILlud evidenter conſequitur ex hoc ejus principio; nimirum eum, qui non habet gratiam victricem, quâ actu tentationem ſuperet, non habere auxilium ſufficiens ad illam ſuperandã. Conſtat enim experientia juſtos quandoque volentes & conantes reſiſtere tentationi & implere præceptum, nihilominus ſuccumbere & præceptum tranſgredi. Cum ergo certum ſit eum, qui ſuccumbit & vincitur non habere gratiam victricem; & juxta *Pſeudophilalethem* carens illâ non habeat auxilium ſufficiens, ſequitur juſtum conantem & volentem, nec tamen tentationem vincentem, carere auxilio ſufficienti,

Digitized by Google

enti, quo tentationem poſſit vincere, proindeque ſecundum præſentes, quas habet vires, eſſe illi impoſſibilem præcepti impletionem.

680. Licet ex his, quæ attulimus num. 666. ſatis pateat hanc eſſe *Pſeudophilalethis* doctrinam: nempe non haberi auxilium ſufficiens, quando non habetur gratia efficaciter vincens concupiſcentiam ſive, vt alibi loquitur, non haberi ſufficiens poſſe ſine gratia victrice; lubet tamen amplius illud ex ejus dictis confirmare,

681. Numero 126. Sic ſcribit. *Homo abſtractus & illectus à concupiſcentia poteſt implere præceptum, & ſequendo concupiſcentiam non implere: ſed vnum ex ſe & propriâ applicatione, ſcilicet non implere. Alterum, ſcilicet implere, ſolum poteſt ex auxilio gratiæ victricis & prædeterminantis.* Infero: ergo ſine tali auxilio non poteſt illud implere: atqui quotieſcumque illud non implet, non habet iſtud auxilium gratiæ victricis, vt certum eſt: ergo quotieſcumque illud non implet, non poteſt illud implere, ſive non habet auxilium ſufficiens, vt illud impleat.

682. Sed nihil adeo id probat, quàm quod neget dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci, ſeu, vt ipſe loquitur, victrice. Si enim nulla detur gratia quæ non ſit efficax & victrix, manifeſtum eſt, juſtum conantem & volentem implere præceptum, qui tamen tentatione vincitur, non habuiſſe auxilium ſufficiens quo poſſet illam vincere, cùm non habuerit auxilium gratiæ victricis: nullum autem detur juxta *Pſeudophilalethem*, quod ſit purè ſufficiens,

& non

& non efficax. Si enim admitteret dari homini lapſo hujuſmodi auxilium purè ſufficiens, falſa eſſet hæc ejus propoſitio, quam attuli n. præced. *Implere* (videlicet præceptum) *ſolùm poteſt ex auxilio gratiæ victricis & prædeterminantis.* Falſa hæc ejus illatio: *cum itaque non in omnibus juſtis vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia, concludendum eſt non omnibus juſtis auxilium ſufficiens dari.*

683. Hanc etiam doctrinam expreſsè tradit num. 123. *His*, inquit, *poſitis, dicendum eſt, quod auxilium gratiæ præparantis omnibus oblatum, ſive quod idem eſt, gratia ſufficiens omnibus oblata, non debet concipi, ut auxilium purè ſufficiens, nec ut auxilium purè efficax, ſed ut auxilium eminenter ſufficiens ſimul & efficax.* Idem affirmat num. 132. his verbis. *Sed ſine viribus ſufficientibus, ſive, quod idem eſt apud nos, ſine gratia victrice & prædeterminante, non poteſt homo vitare peccatum &c.* Subſumo: ſi ſecundùm te idem ſit, ſine viribus ſufficientibus, ac ſine gratia victrice non poſſe hominem vitare peccatum: ergo dum juſtus conans & volens vitare peccatum, victus tentatione in illud incidit, non habet juxta te vires ſufficientes quibus illud vitet, cùm tunc non habeat gratiam victricem; ſi enim illam haberet, non peccaret.

684. Verùm non eſt quod multum laboremus oſtendere ex hac ejus doctrina manifeſtè ſequi *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires eſſe impoſſibilia &c.* Quandoquidem prorſus videatur illud ipſum docere num. 118. Vbi agens de iis, qui à vita ſæcu-
lari

lari liberiore tranſeunt ad vitam religioſam, ſic loquitur : *amori proprio bellum indicunt, propriam voluntatem expugnant, ſuperbiam frangere ſatagunt : verùm in occaſionibus vincuntur, & centies contrarium proponentes, centies deficiunt. Vbi hîc gratia ſufficiens Moliniſtica, quæ ſolâ hominis voluntate redditur efficax? ſi ad hęc habent poſſe ſufficiens, & ſolâ liberi arbitrii determinatione opus ſit, cur quęſo volunt & non faciunt? cur ſurgere volunt & cadunt?*

685. His verbis *Pſeudophilalethis* videntur contineri omnes circumſtantiæ propoſitionis damnatæ. 1°. enim agit de viris juſtis, ut patet ex ipſo contextu. 2°. de volentibus & conantibus reſiſtere tentationi : dicit enim eos amori proprio bellum indicere, & ſatagere ut ſuperbiam frangant. 3°. negat illos habere gratiam ſufficientem, ſeu, ut etiam loquitur, *ſufficiens poſſe*, ut vincant : ergo admittit primam Ianſenii propoſitionem ſub omnibus circumſtantiis, ſub quibus damnata eſt.

§. 3.

Infringitur Pſeudophilalethis reſponſio.

686. HUic validiſſimæ objectioni petitæ ab impoſſibilitate præceptorum ex defectu gratiæ, reſponſionem opponit prorsùs inanem : videlicet

delicet, quamvis hujuſmodi tentato non ſemper adſit gratia, quâ vincat, ſemper tamen illam ei offerri & reipsà dandam, ſi non adferat impedimentum peccando. Hæc ſunt ejus verba num. 128. *Homo infirmus, ut dictum eſt, licet non ſemper actu habeat gratiam victricem & prædeterminantem ſibi datam; ſemper tamen actu habet illam ſibi oblatam & paratam, eique actu daretur ſi non poneret impedimentum ſe ad malum applicando. Sibi igitur imputet, quod non habeat ſufficiens poſſe ad implendum præceptum.*

687. Hanc reſponſionem planè eſſe invalidam tribus rationibus demonſtro. Prima petetur ex ipſis verbis damnatæ propoſitionis. Altera ex eo quod ſine gratia actu data non poſſit non poni impedimentum. Tertia, quia inde ſequeretur non rectè damnatam Ianſenii propoſitionem, cùm nec ejus principiis repugnet hujuſmodi gratiæ oblatio.

688. Verba damnatæ propoſitionis ſunt hęc: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ fiant poſſibilia.* Hęc poſtrema verba *deeſt quoque illis gratia, quâ fiant poſſibilia*, nonne agunt de gratia actu data? ecquid enim eſt non deeſſe illis gratiam, quâ poſſint implere pręcepta, niſi illos hanc gratiam habere? hæc enim ſynonyma ſunt, non deeſſe illis gratiam, & illos gratiam habere. Poteſtne autem verè affirmari illos habere gratiam, quæ tantùm offertur, & nunquam dabitur? judicet Lector ſapiens & cordatus.

689. Rem magis expono. Quamquam morali conſi-

conſideratione cenſeri quis poſſit id habere quod ei oblatum eſt, quando illud pro libitu ſuo poteſt accipere: tamen ſi ita offeratur, ut conceſſio dependeat adhuc ab offerentis beneplacito, profectò nemo niſi demens affirmaverit tunc perinde eſſe aliquid oblatum eſſe, ac datum. Quare ſi illud, quod ſic offertur, neceſſarium fuerit ut quis poſſit agere, non prius dicetur poſſe proximè agere, quàm illud reipsà conceſſum fuerit: v. g. neceſſarius eſt equus ad equitandum; ſi ergo ſic offeratur, ut tamen non ſit reipsà concedendus, niſi dependenter à libera offerentis voluntate, quis dicet habere illum vi iſtius oblationis proximam potentiam ad equitandum, ſive habere illum quidquid neceſſarium eſt ut poſſit equitare?

690. Cùm ergo nemo poſſit abſque gratia, urgente gravi aliquâ tentatione, implere præceptum, nec minus ſit illa neceſſaria ad victoriam, quàm equus ad equitationem; illius autem conceſſio non tam dependeat ab humana voluntate, quàm à divino benèplacito, Deusque habeat decretum illam non dandi ei, cui reipsà illam non concedit: quomodo juſtus volens & conans, qui juxta *Pſeudophilalethem* illam tantùm haberet oblatam; neć aliter concedendam, quàm ex libero Dei beneplacito, nec dandam ex præſenti decreto Dei, dici poſſet vi iſtius oblationis proximè potens ad vincendam tentationem? utriuſque videtur par ratio: ſi in caſu propoſito ſola equi oblatio non conferat potentiam proximam ad equitandum, quod equum ſic oblatum non poſſit

pro libitu ſuo accipere: ita nec hujuſmodi gratiæ oblatio conferet potentiam proximam ad vincendum, quod tentatus non valeat pro ſola voluntate ſua efficere ut detur gratia illa victrix oblata; nec mutare Dei decretum, quod habet, illam non dandi.

691. At, inquit *Pſeudophilalethes*, *actu daretur ei ſi non poneret impedimentum ſe ad malum applicando: ſibi igitur imputet, quod non habeat ſufficiens poſſe ad implendum præceptum.* Ergo ſaltem fatetur non habere illum ſufficiens poſſe ad implendum præceptum per iſtam ſolam gratiæ oblationem; dicit enim *imputet ſibi quod non habeat ſufficiens poſſe*: ergo per iſtam ſolam oblationem non ſatisfacit definitioni Pontificiæ ſtatuenti nunquam juſto volenti & conanti deeſſe gratiam, quâ poſſit implere præceptum.

692. Pręterea prorsùs nugatorium eſt, & dumtaxat aptum ut imperitis fucum faciat, quod dicit: *eique actu daretur, ſi non poneret impedimentum ſe ad malum applicando.* Quid enim eſt non ponere hujuſmodi impedimentum, niſi non peccare? quid autem eſt non peccare in præceptis negativis, niſi implere præceptum? dum igitur dicit gratiam oblatam ei concedendam ad implendum præceptum, ſi non poneret impedimentum applicando ſe ad malum, perinde eſt ac ſi diceret dandam ei gratiam ad implendum pręceptum, ſi illud impleret; quod quàm ſit inane ac nugatorium, quis tantilli ingenii non videat, rideatque? Prius eſt gratiam eſſe actu datam quàm graviter tentatum non peccare, ſive quàm graviter

viter tentatum implere præceptum : non poteſt igitur conceſſio gratiæ neceſſaria ad implendum præceptum dependere ab eo quod tentatus non objiciat impedimentum ejus receptioni non peccando, ſive implendo præceptum : alioqui enim dependeret mediatè à ſeipſa, proindéque eſſet mediatè prior & poſterior ſeipsà : dependeret enim ab impletione præcepti, ad quam eſſet prærequiſita : nihil autem poteſt dependere ab eo ad quod prerequiritur, niſi ſit mediatè prius ac poſterius ſeipſo.

693. Abs re eſt quod num. 129. adfert ex S. Thoma ad tuendum quod dixit : hæc ſunt verba Doctoris Angelici : *licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit; poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat; dicitur enim de quibuſdam Iobi 21. Dixerunt Deo: recede à nobis & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Et Iobi 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini. Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum preſtat gratiæ receptioni.* Et infra *ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant &c.* Illud, inquam, abs re eſt; 1° quia S. Doctor loco citato nempe lib. 3. contra gentes c. 159. Non agit de juſtis volentibus & conantibus implere præcepta, ſed de peccatore peccatis ſuis ponente impedimentum converſioni ſuæ, in quantum peccatis ſuis impedit receptionem gratiæ, quâ converteretur, vt liquet ex capitis titulo & toto ejus contextu. Secundo quia non dicit peccatorem

Digitized by Google

peccando ponere obicem gratiæ, quæ neceſſaria erat ad vitandum illud ipſum peccatum, ſed quâ indigebat, vt ad Deum converteretur. Quamvis autem verum ſit peccatorem delictis ſuis ſæpè apponere obſtaculum gratiæ, quâ ad Deum converteretur; nullâ tamen ratione dicendus eſt peccato ſuo gratiam impedire, quâ indiget ut poſſit illud ipſum peccatum vitare. Multò adhuc minus dici poteſt juſtus volens & conans tentationem vincere, primo lapſu ſuo gratiam excludere neceſſariam ad vitandum hunc primum lapſum ſuum in peccatum.

694. Denique ſi hujuſmodi gratiæ victricis oblatio, quam juſtus volens & conans implere præceptum reipsà haberet, ſi præceptum non violaret, *Pſeudophilalethem* ab errore eximeret; eadem ſanè Ianſenium abſolveret; cùm juxta ejus principia certum ſit dandam fuiſſe juſto illi gratiam victricem, ſi præceptum non violaſſet: ſi enim non fuiſſet præceptum tranſgreſſus, utique præcepto paruiſſet: parere autem juxta illum nec potuiſſet ſine auxilio gratiæ victricis. Ergo & peccando, juxta eundem, hujus gratiæ receptioni impedimentum poſuiſſet: ergo æquè Ianſenius, ac *Pſeudophilalethes* illud poſſet dicere: *imputet ſibi quod non habeat ſufficiens poſſe ad præceptum implendum.* Ergo non magis damnari potuit quàm *Pſeudophilalethes*: aut certè is in Ianſenio damnatus eſt.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Oſtenditur Pſeudophilalethem non rectè ſentire circa ſecundam propoſitionem damnatam.

695. QUamquam *Pſeudophilalethes* verbo fateatur hanc 2am Ianſenii propoſitionem, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, rectè & meritò eſſe ab Innocentio X. damnatam; reipsà tamen ea docet quæ omnino conſentiunt vero & germano ſenſui damnatæ propoſitionis.

Id demonſtro ex eo quod nullam admittat gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci, quæ ſcilicet ſit tantum ſufficiens, vt probatum eſt num. 666. & ſeqq. Ex hac enim doctrina evidenter ſequitur in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti interiori gratiæ: efficaci enim nunquam reſiſtitur: ſi ergo nulla interior detur gratia, quæ non ſit efficax; interiori gratiæ nunquam reſiſtitur.

696. Quod autem efficaci nunquam reſiſtatur, evincitur ex eo quod gratia efficax nunquam fruſtretur effectu ſuo: hæc autem inter ſe pugnant, gratiam obtinere effectum ſuum, & ei reſiſti; hoc eſt, efficacem eſſe & inefficacem, victricem & victam: neceſſariò enim efficax eſt & victrix, dum

effectum ſuum obtinet ; inefficax autem & victa, dum per voluntatis reſiſtentiam effectu ſuo fruſtratur.

697. Prævidit *Pſeudophilalethes* hoc telum in ſe contorquendum, & conatus eſt repellere ; ſed vanâ reſponſione inane ſcutum ac telo pervium objecit. „ Non tamen ſemper, *inquit num.* 168. prędeterminat Deus ad amorem juſtitiæ fortiorem, nec „ proinde gratia prædeterminans ſemper eſt victrix: „ ſed ſæpè in initio prædeterminat inſpiratione gra- „ tiæ ſuæ prævenientis amorem juſtitiæ minus for- „ tem, quàm ſit amor delectabilis; & licet tunc gra- „ tia ſit efficax & prædeterminans reſpectu iſtius im- „ perfecti amoris, eſt tamen inefficax reſpectu im- „ pletionis mandatorum, eo quod ex fortiore amore „ delectabilis vincente illum imperfectum amorem „ juſtitiæ redditur homo impotens ad implenda „ præcepta.......... Ex quo intelligi poteſt gratiam „ eſſe relativè efficacem & inefficacem, victricem & „ victam, ſi ad diverſos actus fiat reſpectus. v. g. ali- „ quis poſt communionem accipit propoſitum & „ voluntatem non fornicandi : hæc voluntas eſſet „ fortis & ſufficiens ad non fornicandum ſi homo „ permaneret in eadem diſpoſitione. Verùm viſâ ali- „ cujus mulieris pulchritudine immutatur, & inſur- „ git ex actuali motu concupiſcentiæ fortior amor „ delectabilis quàm ſit voluntas non fornicandi : „ ideò ſi hæc voluntas fortiori auxilio prædetermi- „ nante non roboretur, id eſt, ſi Deus non augeat „ hanc voluntatem, ſuccumbet; quæ non ſuccubuiſ-

ſet,

„ ſet, ſi motus concupiſcentiæ fuiſſet minor. Gratia „ igitur dans efficaciter voluntatem non fornicandi „ eſt ſemper efficax reſpectu illius voluntatis: at reſ- „ pectu impletionis præcepti de non fornicando, nunc „ eſt efficax & victrix, nunc inefficax & victa, ſe- „ cundùm quod major vel minor eſt delectatio „ concupiſcentiæ.

698. Inanis eſt ac prorſus invalida hæc reſponſio tua, nec niſi umbratilem reſiſtentiam admittit adversùs gratiam: quæro enim ex te, tentatus in caſu à te allato habetne auxilium ſufficiens ut impleat præceptum prohibens fornicationem? utique id negabis; jam enim dixiſti: *ex fortiore amore delectabilis vincente illum amorem imperfectum juſtitiæ redditur homo impotens ad implenda præcepta*: ſi enim tunc impotens eſt: ergo tunc caret auxilio ſufficienti; non enim poteſt habere auxilium ſufficiens & eſſe impotens: ergo auxilium illud quod tunc habet, videlicet imperfectus ille amor juſtitiæ, ſive in caſu ſpeciali à te allato infirma illa voluntas non fornicandi, à Deo poſt communionem accepta, inſurgente fortiore motu concupiſcentiæ & amore delectabilis ex aſpectu formoſæ Virginis inſufficiens eſt ut impleat præceptum prohibens fornicationem: ergo ſi quæ ſit tunc reſiſtentia voluntatis adversùs gratiam (quam ſanè nullam eſſe mox oſtendam) exercetur illa adversùs gratiam hîc & nunc inſufficientem ad vincendam concupiſcentiam fornicationis. Putasne *Pſeudophilalethes*, Innocentium definientem in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti interiori gratiæ, id intelligere

 de gra-

de gratia inſufficienti ad implendum præceptum? id ſanè non aſſeres, niſi contumelioſus in definitionem Pontificiam: digna enim eſſet riſu & contemptu hęc definitio, quâ ſtatueretur, in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti gratiæ inſufficienti: ſi enim inſufficiens eſt non poteſt per illam impleri præceptum. Si igitur ei reſiſtatur per violationem præcepti, neceſſaria eſt hujuſmodi reſiſtentia; cùm fieri non poſſit ut impleatur præceptum per gratiam inſufficientem. Certum eſt autem Pontificem agere de reſiſtentia libera.

699. Sed etiam fictitia eſt hæc voluntatis reſiſtentia adversùs gratiam inſufficientem: vel enim in caſu propoſito gratia dans infirmam illam voluntatem non fornicandi, potuit habere effectum alium, inſurgente forti motu concupiſcentiæ, vel non? ſi alium: quis ille? & ſi faciat ad rem, debebit eſſe impletio præcepti: id autem non aſſeres, niſi tibi ipſi contradicas: cùm dixeris *ex fortiore amore delectabilis quam ſit amor juſtitiæ reddi hominem impotentem ad faciendum præceptum*. Si nullum alium, qui ſaltem ad rem faciat: ergo gratia illa obtinet tunc effectum omnem, quem pręſente motu fortiore concupiſcentiæ poteſt obtinere: ergo tunc non ei reſiſtitur à voluntate; quia non poteſt voluntas dici gratiæ reſiſtere niſi impediat effectum aliquem, quem hîc & nunc haberet, ſi ei non reſiſteret.

700. Siqua ſit tunc reſiſtentia, non eſt voluntatis, ſed concupiſcentiæ. Ideò enim juxta doctrinam tuam, in caſu prędicto gratia dans tenuem illam voluntatem

lunta;

Digitized by Google

luntatem non fornicandi non perducit voluntatem uſque ad impletionem pręcepti de non fornicando, quia excitato vehementi motu concupiſcentiæ volitio illa non eſt ſatis robuſta, ut ſuperet amorem delectabilis ortum ex fervore concupiſcentiæ: ergo ipſa eſt concupiſcentia quæ reſiſtit iſti gratiæ, non libera voluntas, quia non pendet ab ea quod non habeat ulteriorem effectum, ſed à concupiſcentia; cùm enim juxta te fieri non poſſit, ut tunc voluntas cum gratia illa impleat præceptum; non eſt voluntati tribuendum ſed concupiſcentiæ, quod per illam præceptum non impleatur, atque ita gratiæ illi reſiſtatur. Iam verò hæcne eſt reſiſtentia concupiſcentiæ, quam definit Pontifex aliquando intervenire in ſtatu naturæ lapſæ reſpectu gratiæ interioris? profectò nec iterum id aſſeres niſi per ingentem contumeliam definitionis Pontificiæ.

701. Hanc eandem concupiſcentiam reſpicit diſtinctio tua, quâ aſſeris eandem gratiam diverſo reſpectu poſſe eſſe efficacem aut inefficacem, victricem aut victam quoad impletionem præcepti. Sic enim ſcribis prædicto numero 168. *Gratia igitur dans efficaciter voluntatem non fornicandi, eſt ſemper efficax reſpectu illius voluntatis: at reſpectu impletionis præcepti de non fornicando nunc eſt efficax & victrix, nunc inefficax & victa, ſecundùm quod minor vel major eſt delectatio concupiſcentiæ.* Si dixiſſes ſecundùm quòd huic gratiæ inſpiranti volitionem non fornicandi conſentit aut diſſentit voluntas, orthodoxè ſcripſiſſes. At ſecundùm quod minor vel major eſt delectatio concupiſcen-

Digitized by Google

cupiſcentiæ, Ianſeniſticum eſt, erroneum eſt. Ianſeniſticum eſſe liquet ex his quæ Ianſenius ſcripſit lib. 4. de gratia Salvatoris c. 4. 5. 6. & ſeqq. Illic enim, ut tu poſt illum, docet luctam eſſe in animis noſtris inter delectationem terrenam, quæ ex concupiſcentia oritur, & cœleſtem quæ ex gratia: cœleſtem ſemper vincere, quando major eſt quàm terrena: ſemper vinci, cùm minor eſt.

702. Erroneum autem eſt: quia ſic tota reſiſtentia adversùs gratiam non in voluntatem, ſed in concupiſcentiam refunditur. Quia ſic voluntas inſtar captivæ ab alterutra delectatione trahitur; cùm fieri non poſſit, ut in majorem non concedat. Quia ſic non poteſt gratia abjici per diſſenſum, ſi potentius moveat quàm concupiſcentia: aut reprimi concupiſcentia per voluntatis reſiſtentiam, ſi potentius alliciat quàm gratia: quæ omnia orthodoxæ fidei videntur repugnare.

Vides ergo *Pſeudophilalethes*, quàm inanis ſit reſponſio tua, & quàm graves ſecum errores trahat: 1°. enim inducit gratiæ inſufficientiam, dum delectatio concupiſcentiæ major eſt delectatione gratiæ; quia homo cum gratia illa eſt impotens ad pręceptum implendum. 2°. Evertit libertatem voluntatis reſpectu impletionis præcepti: *ſi enim*, ut ſcribis, *ex fortiore amore delectabilis vincente illum imperfectũ amorẽ juſtitiæ redditur homo impotens ad implenda præcepta*, quomodo libèr eſt ut illa impleat? neque enim ibi libertas eſt, ubi impotentia. 3°. deſtruit omnem reſiſtentiam voluntatis adversùs gratiam, illamque transfert

fert in ſolam concupiſcentiam, ut jam pluribus oſtenſum eſt.

703. Et tamen ex hac reſponſione tua non erubeſcis inferre: „ quare meritò damnavit Innocentius X. hanc propoſitionem: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Si id ex reſponſione tua ſequitur: ideò ergo benè damnata eſt, quia ſcilicet dixiſti *gratia nunc eſt efficax & victrix, nunc inefficax & victa; ſecundum quod major vel minor eſt delectatio concupiſcentiæ*. Ergo ideo ſecundùm te benè damnata eſt; nõ quia voluntas, ſed quia cõcupiſcentia reſiſtit gratiæ, illamque vincit quando delectatione ſuâ fortius ad ſe voluntatem trahit, quàm gratia.

Erras *Pſeudophilalethes*; non ideò rectè damnata eſt, ſed idcirco quia voluntas ſic movetur à gratia, ut aliquando ei diſſentiat, ut quandoque illam abjiciat, ut ſtet per voluntatis diſſenſum quod effectu ſuo careat: hæc eſt reſiſtentia adversùs gratiam interiorem ab Innocentio X. ſolemni definitione aſſerta: cùm igitur hanc voluntatis reſiſtentiam non admittas, reus es damnati erroris.

704. Nec te ab hoc errore liberabis, ſi præter gratiam actu datam inſufficientem ad vincendam fortiorem concupiſcentiam, aliam oblatam admittas efficacem & victricem, dicaſque illi à tentato reſiſti, in quantum conſentiendo concupiſcentiæ impedimentum objicit ejus receptioni: non, inquam, te hac reſponſione ab errore liberabis: præterquàm enim quod, ut ſupra oſtenſum eſt n. 692. & ſeqq. non poſſit fieri ut receptio gratiæ dependeat à vitatione

illius

illius peccati ad quod vitandum ipſa neceſſaria eſt; nihilominus etiamſi daretur tibi id fieri poſſe, necdum tamen hæc reſiſtentia planè fictitia adversùs gratiam oblatam ſatisfaceret definitioni Pontificis: gratia enim tantùm oblata non poteſt dici interior, cùm necdum ſit intus recepta: cùm igitur Innocentii definitione certum ſit, interiori gratiæ aliquando reſiſti; evidens eſt ab errore te nunquam liberandum, donec hanc reſiſtentiam admittas.

SECTIO V.

Pſeudophilalethem re ipſa æquivalenter admittere tertiam propoſitionem ab Innocentio damnatam.

705. HÆc eſt tertia propoſitio ab Innocentio X. damnata: *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Circa quam *Pſeudophilalethem* errare, demonſtrare aggredior. Scio equidem illum diſertis terminis in hoc Opuſculo ſuo ſcientiæ mediæ ad examen revocatæ, & in altero de natura libertatis prædictam propoſitionem damnare. Sed in hac idem accidit quod in duabus aliis propoſitionibus quas verbo rejicit, reipsà aſtruit: ex ejus

ejus enim doctrina neceſſariâ illatione conſequitur, vel in natura lapſa nullum dari meritum propriè dictum, vel ad illud ſufficere libertatem à coactione.

706. Id 1°. oſtendo ex eo quod à libertate actus non excludat neceſſitatem agendi; atqui agit de libertate quæ requiritur ad meritum aut demeritum; ergo nec neceſſitatem agendi excludit à merito aut demerito. Minor certa eſt & conſequentia evidens: major autem ſupra demonſtrata eſt Sect. 2. §. 1.2.3. Nihilominus claritatis causâ ejuſdem veritatem paucis iterum hîc oſtendo.

707. Non potuit *Pſeudophilalethes* clarius conjungere neceſſarium cum libero, quàm diſertè aſſerendo num. 22. Opuſculi de libero, ad libertatem actus non requiri ut qui agit, poſſit ab eo ceſſare: hæc ſunt ejus verba: *dato quod ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere, adhuc hæc conditionalis eſſet vera: ſi non vellet non ageret, & ideo agit quia vult; quod ſufficit ut negatio actus dicatur eſſe in poteſtate volentis ejuſque dominio.*

708. Potuitne clarioribus verbis exprimere neceſſitatem agendi, quàm dicendo, *dato quod ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare aut eum ſuſpendere*? Quid enim eſt, non poſſe aliquem ab actu ceſſare aut, actum ſuſpendere, niſi eum non poſſe non agere? Et quid eſt non poſſe non agere, niſi neceſſariò agere? ideòne non aget neceſſariò, quia tunc hæc conditionalis adhuc eſſet vera, *ſi non vellet, non ageret*? at neceſſe eſt illam eſſe veram, admiſsâ etiam volendi neceſſitate

tate, ergo juxta *Pſeudophilalethem* neceſſitas volendi non repugnat libertati actus, atque adeò nec ejus merito aut demerito.

709. Eodem num. docet, ut agens habeat in ſua poteſtate & dominio negationem actus, hoc eſt, ut liberè agat, ſufficere quod agendò poſſit deſtruere negationem actus. Verba illius ſupra retulimus num. 638. Numquid qui neceſſariò vellet agere, haberet hoc modo in ſua poteſtate negationem actus? Numquid volendo agere & reipsà agens impediret ſeu deſtrueret negationem actus? ergo juxta *Pſeudophilalethem* haberet in ſua poteſtate non agere, proindéque ageret liberè, quamvis neceſſariò: ergo juxta eundem neceſſitas non excludit libertatem, adeoque nec ex ea parte rationem meriti aut demeriti.

710. Seſe adhuc eodem num. 22. magis explicans, ex dictis ſic infert, *non ergo requiritur ad hoc quod negatio actus ſit in mea poteſtate, vt poſſim velle non agere; ſed ſufficit vt poſſim velle agere, & actio ad meam ſequatur voluntatem.* Si id ſufficit: ergo qui neceſſariò vellet agere, adhuc haberet in ſua poteſtate negationem actus ſui, adeoque ageret liberè, poſſetque hoc actu mereri aut demereri; quia poſſet velle agere; & actio ad ejus ſequeretur voluntatem: neque enim neceſſitas volendi tolleret potentiam volendi, aut efficeret ne actio ad ejus ſequeretur voluntatem. Id autem totum eſt quod requirit, vt negatio actus ſit in poteſtate volentis agere.

711. Denique cap. 7. ejuſdem opuſculi de libero

bero fusè probat neceſſitatem naturalis inclinationis non repugnare dominio ſeu libertati actus. Subſumo: atqui Ianſenius non aliam conjunxit neceſſitatem cum libertate neceſſaria ad merendum & demerendum; ergo ſi is erravit id aſſerendo, errat & *Pſeudophilalethes*.

712. Subſumptum ſic demonſtro. Neceſſitas quam admiſit Ianſenius actuum malorum, provenit juxta ejus errorem à delectatione concupiſcentiæ: actuum verò bonorum à delectatione gratiæ; ita vt ſi ſola voluntatem trahat delectatio concupiſcentiæ, aut potentius trahat quàm delectatio gratiæ, neceſſariò voluntas concupiſcentiæ conſentiat. Si verò è contrariò delectatio gratiæ major ſit delectatione concupiſcentiæ, neceſſariò victrici gratiæ adhęreat. Id docet lib. 4. de grat. Salvat. cap. 4. 5. 6. & ſeqq. atqui vtraque hæc neceſſitas non eſt niſi neceſſitas naturalis inclinationis ad ſenſum *Pſeudophilalethis*; *eſt enim determinatio ad aliquid vnum ex aliqua interiori inclinatione procedens*, quæ reſpectu peccati eſt à natura; eſt enim à naturæ corruptæ concupiſcentia: reſpectu boni eſt infuſa: eſt enim à gratia à Deo menti infuſa, quam etiam comprehendit *Pſeudophilalethes* ſub nomine naturalis inclinationis. *Qualiſcumque*, inquit, *ſit interior inclinatio, dicitur naturalis ex modo inclinandi*, quia vt explicat ad vnum tendit ſicut natura. Imò cap. 9. §. 4. neceſſitatem amoris beatifici ortam ex viſione Dei propter eandem rationem vocat neceſſitatem naturalis inclinationis. Ergo non aliam admiſit Ianſenius neceſſita-

tem malè aut rectè agendi, quam admittat *Pſeudophilalethes*; videlicet neceſſitatem naturalis inclinationis, ſivè, vt explicat, determinationem ad vnum ex interiori inclinatione procedentem, quam vterque affirmat libertati naturæ lapſæ minimè adverſari. Nequit igitur Ianſenii doctrina hâc in re eſſe damnata, niſi & eandem damnationem *Pſeudophilalethis* doctrina Ianſenianæ perſimilis incurrat.

713. Denique eundem ejus errorem probo ex eo quod cum Ianſenio confundat Dominium actus cũ libertate à coactione. Hæc eſt ejus de hac re doctrina, quam tradit num. 89. Opuſculi de libero. Duplicem illic diſtinguit libertatem à coactione, vnam vniverſaliter acceptam complectentem omnes omnino actus qui ab interiori inclinatione procedunt, quales ſunt etiam improviſi motus voluntatis, quos primò primos appellamus. Alteram propriè dictam quam definit poteſtatem applicandi ſe ad actum præcisè. Addit *præcisè* ut ſignificet non requiri poteſtatem applicandi ſe ad oppoſitum, aut poteſtatem applicandi ſe ad non agendum poſitivè: hæc ſunt ejus verba: *Si libertas coactionis univerſaliter ſumatur, nihil erit aliud quàm inclinatio interior ad actum: ita ut omnis actus qui ex interiori inclinatione procedit, ſit liber à coactione. Verùm Sancti Patres videntur ſumpſiſſe libertatem coactionis magis propriè, nempe pro poteſtate applicandi ſe ad actum præcisè, itaut ille actus ſit propriè liber à coactione, ad quem voluntas præcisè ſe applicat. Et cùm ad nullum actum ſe applicet voluntas creata niſi ex amore præcedente & judicio indifferente, fit ut in volunta-*

te crea-

te creata libertas à coactione uſurpata à Sanctis Patribus coincidat cum libertate indifferentiæ de objecto univerſali, ſive cum dominio intenſivo actus, & ſolùm diſtinguatur à libertate indifferentiæ de objecto particulari, ſive à dominio extenſivo actus.

714. Poſtrema verba non nihil elucidemus, ne ſub eorum obſcuritate error *Pſeudophilalethis* ſecurus deliteſcat. Itaque dominium intenſivum actus vocat libertatem exercitii; extenſivum verò libertatem ſpecificationis: primam, in qua libertatis eſſentiam præcipuè collocat, dicit cöincidere reſpectu voluntatis creatæ cum libertate coactiònis propriè ſumpta. Cùm igitur libertas exercitii ſit libertas ad meritum & demeritum requiſita; & hæc juxta *Pſeudophilalethem* coincidat cum libertate coactionis propriè accepta, conſequenter juxta eundem ad merendum aut demerendum ſufficit libertas coactionis propriè ſumpta.

715. Nec Janſenius docet quamlibet libertatem coactionis, ita ut etiam complectatur indeliberatos motus voluntatis, ſufficere iu ſtatu naturæ lapſæ ad meritum aut demeritum, ſed tantùm illam ipſam quam *Pſeudophilalethes* vocat libertatem coactionis propriè ſumptam, &, ut ait, à Patribus uſurpatam.

Janſenium audiamus loquentem lib. 6. de gratia Salvat. c. 36. ubi ſic habet: *Quamquam à cæteris avulſa* (videlicet Baii propoſitiones quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit) *& de libertate generatim ſicut eam expoſuimus intellecta per ſe ipſa adhuc ſine illa interpretatione vel mitigatione falſa ſint: conſtat enim hujuſmodi improviſos voluntatis motus*

eſſe voluntarios & ſine violentia ex voluntate profluere ; nec tamen etiam illo ſenſu eſſe liberos: deeſt quippe illis id quod præcipuum eſt ; quia non ſunt in hominis poteſtate: non ſumus eorum domini: fiunt ſine plena rationis advertentia: profluunt invitâ repugnanteque voluntate. Quæ ſingula eſſentialiter repugnant libertati. Amplius ergo ſine dubio requiritur quam eſſe voluntarium & ſine violentia (videlicet univerſaliter & latiſſimè illud accipiendo) *ut ſit liberum.*

716. Quid eſt quod *Pſeudophilalethes* ad iſtam libertatem coactionis propriè acceptam requirit, quod etiam non exigat Ianſenius? poteſtatemne ſe applicandi ad actum? & eam poſtulat Ianſenius: idcirco enim negat motus indeliberatos poſſe dici liberos *quia non ſunt in hominis poteſtate*: non aliam autem intelligit poteſtatem, quàm poteſtatem agendi ſeu applicandi ſe ad actum. Poſtulatne ut actus ille ſit ex præcedente volitione ſeu amore? idem requirit Ianſenius. Vterque id probat ex eo quod juxta Auguſtinum id ſit in poteſtate noſtra & dominio, proindéque & libertate quod fit cum volumus. Vterque in confirmationem erroris ſui hâc Auguſtini ſententiâ abutitur. *cùm enim hoc ſit in poteſtate quod cum volumus facimus, nihil tam in poteſtate quam ipſa voluntas eſt.* Et infra. *Quia in poteſtate noſtra non eſt niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.* Exigitne judicium indifferens de objecto univerſali, nempe hoc: bonum eſt amandum; ſub quo ſubſumatur: atqui hoc eſt bonum? nec illud uſpiam negavit, aut negare potuit Ianſenius, cùm ſit unicuique à natura inditum.

Denique

Denique nullum locum profert *Pſeudophilalethes* ex Auguſtino c. 6. §. 2. prædicti Opuſculi in confirmationem erroris ſui, quem non reperies apud Ianſenium lib. 6. de gratia Salvat. c. 4. & 5.

717. Lubet hìc unum annotare circa prædictum Auguſtini locum, ex quo patebit *Pſeudophilalethem*, non Auguſtinum in Auguſtino, ſed in Ianſenio, quoad ea quæ hic adfert legiſſe. Ianſenius hunc præfatum locum referens: *cùm enim hoc ſit in poteſtate quod cùm volumus facimus* &c. Perperam citavit cap. 31. lib. 1. Retractationum, cùm hæc habeantur cap. 22. *Pſeudophilalethes*, qui id legerat in Ianſenio, non potuit non errare cum informatore ſuo; & ipſe num. 21. citavit caput 31. lib. 1. Retract. cùm tamen hic liber non contineat niſi capita 27. habeanturque, ut dixi, prædicta verba cap. 22.

718. Nec dicas errorem eſſe typographi: id quidem facilè crediderim de Ianſenio, non de *Pſeudophilalethe*: cùm enim moraliter vix fieri potuerit ut eandem pravam citationem quoad geminam cifram uterque habuerit, niſi unus ab altero illam acceperit; certum autem ſit non potuiſſe Ianſenium illam tranſcribere ex *Pſeudophilalethe*, reliquum eſt ut hic ex illo illam tranſcripſerit. Quod non leviter confirmatur ex eo quod *Pſeudophilalethes* eadem verba in medio ſententiæ prætermiſerit, quæ Ianſenius.

Nec ſatis fuit illi hunc locum malè ſemel citaſſe; novum errorem citationis commiſit num. 46. Vbi dicit id haberi cap. 21. lib. 1. Retract. An autem iterum deceptus fuerit ab informatore ſuo, non ha-

beo aſſerere. Sufficit præcedens animadverſio cum iis quæ ſupra diximus, ut quiſque diſcat quam fidem debeat habere *Pſeudophilalethi*, dum citat & explicat Auguſtinum ex mente Ianſenii potius, quàm Auguſtini.

719. At, inquies, *Pſeudophilalethes* cap. 11. §. 1. diſertè aſſerit neutram libertatem coactionis nec vniverſaliter nec propriè acceptam ſufficere ad meritum aut demeritum naturæ lapſæ: vt quid ergo illi imponitur, quod ad meritum & demeritum non requirat niſi libertatem à coactione propriè ſumptam?

Fateor equidem *Pſeudophilalethem* id affirmare loco citato, ſed contendo, vt antea dixi, ipſum reipſa deſtruere, quod verbo aſſerit. Numquid enim num. 89. Opuſculi de libero ſupra appellato docet libertatem à coactione propriè acceptam coincidere cum dominio actus, hoc eſt, cum libertate exercitii? nunquid libertas exercitii eſt libertas illa quam poſtulat Innocentii definitio ad meritum & demeritum? ſi igitur libertas exercitii juxta *Pſeudophilalethis* errorem coincidat cum libertate coactionis propriè accepta: profectò neceſſe eſt vt juxta eundem hæc etiam libertas à coactione ſufficiat ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ.

720. Quamvis ea quæ hactenus ex ejus doctrina deduximus abundè ſufficiant ad *Pſeudophilalethem* erroris circa tertiam propoſitionem damnatam revincendum, ea tamen quæ docet de libertate naturæ lapſæ à nobis relata c.5.ſ.1.§.2. Quod

nempe

nempe voluntas hominis infirmi nec moveat ſe, nec determinet, nec applicet ad actus bonos, videntur efficacius id demonſtrare.

Primò, quia vt toto §. 1. ſectionis 1ᵃ oſtenſum eſt, non poteſt haberi ea voluntatis libertas ad actus bonos, quam Scriptura, quam Tridentinum, quam Patres exigunt; niſi voluntas ad illos moveat ſe, determinet, atque applicet; non quidem ſolis naturæ viribus, ſed auxilio ac beneficio gratiæ, cum prevenientis, tum adjuvantis.

Secundò, quia quiſquis ab altero ſic movetur, determinatur, applicaturque ad agendum, vt ſeipſum nec moveat, nec determinet, nec applicet actioni; neceſſariò id agit neceſſitate antecedenti, ad quod agendum ſic movetur & determinatur: cum enim hic motus, hæc determinatio & applicatio ſit antecedens, & actionem neceſſariò inferat, qui ſic ad agendum movebitur ac determinabitur, non poterit non agere ex neceſſitate antecedenti.

721. Neque *Pſeudophilalethes* reſpondere poteſt cum neotericis Thomiſtis, voluntatem prędeterminatam & applicatam ad agendum, nihilominus etiam tunc movere ac determinare ſe ad actionem, atque adeo agere liberè; quia ipſe ſibi hanc reſponſionem præcluſit, dum dixit ita voluntatem moveri ad actus bonos, vt ſeipſam ad eos non moveat: ita prædeterminari & applicari; vt ſeipſam non determinet aut applicet.

722. Denique ſeipſum ore ſuo judicat ac damnat: nam per totum Opuſculum de libero vſque ad

cap. 11. ad libertatem requirit poteſtatem applicandi ſe & determinandi ad agendum: atqui juxta eundem in ſtatu naturæ lapſæ voluntas nec ſe movet, nec ſe determinat, nec ſe applicat ad benè agendum, vt fusè oſtenſum eſt ſupra à numero 601. vſque ad num. 617. & ipſemet probat hîc cap. 11. §. 2. & 3. Ergo juxta eundem in ſtatu naturæ lapſæ voluntas non eſt libera ad actus bonos: ergo vel agnoſcit in hoc ſtatu naturæ infirmæ nullum dari meritum propriè dictum, vel illud dari ſine vera libertate.

723. At, inquies, dum *Pſeudophilálethes* ad libertatem poſtulat propriam voluntatis determinationem & applicationem, agit de libertate in genere, non de libertate naturæ lapſæ. Quid inde? nonne quæ requiruntur ad libertatem in genere, eadem exiguntur ad libertatem in ſpecie, ſi hæc ſit vera libertas? ipſemet ſtatim ab initio cap. 11. Fatetur ſe libertatis creatæ eſſentiam tradidiſſe: hæc ſunt ejus verba; *hactenus libertatis creatæ eſſentiam, actuſque dominiū ſecundū ſtatum naturæ humanæ ex ſyllogiſmo practico expoſuimus.* Si ergo de eſſentia libertatis hactenus ab eo traditæ ſit propria determinatio & applicatio voluntatis; voluntas autem infirma juxta eundem nec ſe determinet nec applicet ad actus bonos, conſequenter juxta illum actus boni in ſtatu naturæ infirmæ non habent veram eſſentiam libertatis: ergo vel non ſunt meritorii, vel ſunt tales ſine vera libertate, contra definitionem Innocentii X.

CAPVT

CAPVT VI.

ALPHABETICÆ COLLATIONES

PSEVDOPHILALETHIS

SECTIO I.

Quid generatim contineant & cur alphabeticas vocaverit.

724. VTrumque ipſe ediſſerat, & intolerandam jactantiam ſuam vulget, non parum contumelioſam Eximio Domino de Cerf laureâ doctorali in hac florentiſſima Vniverſitate Duacenſi ab annis decem inſignito, atque Collegiatæ Eccleſiæ D. Petri Decano meritiſſimo.

725. Sic collationes ſuas inchoat num. 264. *nullo melibri modo verificabitur, Molniſtas pigmenta ſua, quibus deformitatem ſcientiæ mediæ tegerent, in apothecis doctrinam S. Auguſtini impugnantium quæſiviſſe & inveniſſe, quam vtrorumque dictamina inter ſe conferendo. Tres ad hoc, præſenti paragrapho ſubjicimus collationes, quas vocamus alphabeticas; eo quod in illis nuperus controverſiæ propoſitor,* (intelligit eximium D. de Cerf) *qui*

inter gregarios doctores ſe accenſeri profitetur (ex ſingulari ſcilicet modeſtia ; quam enim ſit egregius ac prorſus eximius, luculentiſſimè demonſtrat controverſia de mente Doctoris Angelici circa prædeterminationes phyſicas accuratiſſimo examine ab ipſo in lucem Duaci nuper edita) *cui non tam docere quam doceri propoſitum fuit , qui iterum atque iterum obteſtatur , vt de plenitudine Angelicæ doctrinæ pauxillum quid in eum derivetur : in his inquam collationibus litteris alphabeti deſignatis , quaſi in primis ſcientiæ mediæ rudimentis ediſcere poterit quantos ſibi elegerit magiſtros : primus namque diſcendi ardor nobilitas eſt Magiſtri.*

726. Itaque inter illos tantos Magiſtros, quâ *Pſeudophilalethes* modeſtiâ eſt, primarium ſe proponit tanto viro erudiendo primis hujus ſcientiæ alphabeti rudimentis, vt adhuc in ea doctrina elementario: *in his*, inquit, *collationibus litteris alphabeti deſignatis* (quas ipſe tradit)*quaſi in primis ſcientiæ mediæ rudimentis ediſcere poterit*, *quantos ſibi elegerit Magiſtros*: magna ſane hujus Magiſtri celebritas, quam ſcilicet ſibi comparavit in hoc opuſculo à maledicentia, ab impoſturis , ab erroribus.

727. Tum ſubjungit. *Hoc pauxillum quid magni beneficii loco habiturum ſperamus , vſque dum plura & ampliora à cordatiſſimo & Egregio , id eſt, extra gregem, Doctore D. de la Verdure hujus almæ Vniverſitatis Profeſſore Regio & Ordinario in eum deriventur , acutiori quo pollet ingenio.* Avide expectamus tanti viri lucubrationem & ſperamus futurum, vt modeſtius & cautius adverſarios ſuos impugnet.

Digitized by Google

728. Ridicule jactat *Pſeudophilalethes* num. 98. Opuſculi de libero ſub finem (nec dubito præter Eximii Domini mentem) parare illum exequias ſcientiæ mediæ. *Exequias*, inquit, *ſcientiæ mediæ faciet Eximius Dominus & Magiſter noſter D. de la Verdure, qui poſtremam manum adverſus nuperum controverſiæ propoſitorem brevi eſt impoſiturus.* Fidem *Pſeudophilalethi* non habeo: ſcio illum prudentiorem eſſe, quam vt tam inanes induat cogitationes, aliiſque ridendum ſe propinet: neque enim poſſet has exequias peragere, niſi vocè admodum lugubri & abſona, quæ cæteros ad riſum & commiſerationem moveret.

729. Cæterum, hac occaſione oblata, velim eum monitum, vt ſi animo fixum habeat ſcientiam mediam oppugnare, non impoſturis, vt *Pſeudophilalethes*, adverſus illam decertet; ſed ſolidis rationibus: Sententias noſtras non in adverſariorum lucubrationibus perſonatas inſpiciat, ſed quales ſint diſcat ex noſtris auctoribus, ne alienam earum ſpeciem habeat, & pro doctrina noſtra phantaſma aliquod impetat.

730. Non fruſtra id moneo: probè enim memini præfatum Eximium Dominum, cum menſe Septembri proximè elapſo in ſchola publica Divi Auguſtini Encomiaſtem agaret, & ab ejus laudibus deflectens oſtenderet attritionem ex metu gehennæ in Sacramento pœnitentiæ conceptam eſſe alienam à mente maximi hujus Doctoris, audiente me, hæc ex Suare tanquam illius aſſertionem

continentia

continentia retuliſſe ex tomo 4. de pœnit. quæſt. 90. art. 4. Diſp. 15. ſect. 4. num. 17. *Nam licet ſit probabilis opinio attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem; tamen non eſt certa & poteſt eſſe falſa. Quod ſi fortaſſe in re ita eſt, probabilis illa exiſtimatio non ſufficit, vt homo ſalvetur: ergo qui ſciens & videns ita ſe mori permittit voluntariè, exponit ſe periculo morali æternæ damnationis: nam vbi eſt morale dubium, eſt morale periculum, præſertim in re tam gravi. hic autem eſt morale dubium, cum illa opinio nec valdè antiqua, nec multum communis ſit.* Atqui hæc verba non proferuntur à Suare vt explicet quid ipſe ſentiat; ſed vt exponat, quid alii: nam more ſuo, aliorum opinionem ſuæ præmittit; tum ipſe ſuam ſubjungit & opinionem de ſufficientia attritionis vocat *practice certam.* Ibid. autem diſp. 20. Ex inſtituto diſputans de attritionis ſufficientia pro hac ſententia num. 9. appellat cumplures antiquos Theologos & eorum principes Thomam & Scotum: non ergo antea ex opinione ſua pronuntiavit eam non eſſe valdè antiquam. Eidem opinioni ipſe ſubſcribens ſic loquitur: *atque hanc ſententiam omnino veram eſſe cenſeo.* Et num. 10. ait: *hanc concluſionem exiſtimo hoc tempore adeo certam, vt non poſſit abſque errore negari, loquendo, vt loquimur, abſolutè de efficacia.* Non ergo prius ex ſententia ſua dixit hanc opinionem: *non eſſe certam, poſſe eſſe falſam, nec multum communem eſſe.* Non eſt quod pluribus id probem; ipſemet prædictus Eximius Dominus Suarem conſulat locit citatis, & ita eſſe clariſſimè deprehendet;

diſcetque

diſcetque non facilè alienis oculis fidendum.

SECTIO II.

Proponuntur collationes & declarantur unde Pſeudophilalethes illas acceperit.

§. I.

PROPOSITIO COLLATIONVM

COLLATIO PRIMA

Molinæ diſcipuli	Impugnatores S. Aug.
A	A
731. *CErtè non video quanam ratione potentiſſima libertas arbitrii noſtri, quam experimur, quæque tam apertè in ſcripturis ſanctis traditur, cum diviná prædeſtinatione ita explicatâ cohærere valeat.* Mol. q. 23 *art.* 4. *&* 5. *diſputatione* 1. *membro* 6.	*SCripta ejus (S. Auguſtini) quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus ſubmouere* Proſper in epiſt ad Ruffinum. *Et Fauſtus, dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta & definita eſſe pronunciat.*

B

B

Omnino liberum non manet ijs qui electi ſunt non conſequi coronam, ac proinde libertas eorum læditur & impeditur. vaſq. 1. p. diſp. 89. c. 10.

B

Removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. Maſſilienſes in epiſt. Proſp. ad Auguſtinum.

C

Fateor nulla ratione me poſſe aſſequi quomodo per eam (gratiam prædeterminantem) non inducatur fatum pluſquam adamantinum. Leſſius lib. de gratia cap. 16. num. 6.

C

Sub hoc prædeſtinationis nomine dicunt impugnatores Auguſtini in epiſt Proſp. ad Ruffin. fatalem quamdam induci neceſſitatem. Et Fauſtus lib. 1. cap. 4. ait: inter gratiæ vocabulum abſconditum erit fatale decretum.

COLLATIO II.

Molinæ diſcipuli

D

732. F*Atemur liberum arbitrium directè eſſe cauſam, cur hic & nunc Deus influat in opus, tum per dona ſua, tum per ſeipſum non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Leſſius lib. de grat. cap. 11. num. 11 & mox: nos quodammodo trahere Deum ad cooperādū.*

Impugnatores S. Aug.

D

V*oluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatē. Sic impugnari S. Auguſtinum refert Proſp. in epiſt. & quidam apud S. Doctorem epiſt 107: ait, quod, ſi velimus fiat opus; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.*

Digitized by Google

E

Quomodo laudem merentur, ſi credant & bene operentur, cum Deus *hoc totum in ipſis faciat. Leſsius de gratia efficaci cap. 17. num. 18.*

E

Nullius enim laudis eſſet & meriti, ſi id in eo Dominus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet. Ita Caſſianus coll. 13. loquens de fide Centurionis.

F

Deus expectat conſenſum voluntatis, cuius vſui ſubeſt (gratia) ita ut hæc efficacia (gratiæ) ab vſu voluntatis quodammodo pendeat. vbi hoc auxilium præveniens dedit; jam omnino expectat, vt cooperemur ſuæ gratiæ ibid. cap. 18. num. 1.

F

Vt a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deus *expectat; non autem vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fiat.* Concilium *Arauſicanum refert, & anathematizat hanc propoſitionem.*

COLLATIO III.

Molinæ diſcipuli

G

733. C*Vr enim pulſaret, ſi non poſſent aperire? quomodo diceret: ſi quis mihi aperuerit, ſi ipſemet debet aperire per quemdam impulſum, qui non eſt in eorum poteſtate. Leſsius de gratia efficaci. cap. 6. reſut. 3. n. 7.*

Impugnatores S. Aug.

G

V*T quid nobis prædicatur, atque præcipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus; ſed id velle & operari* Deus *operetur in nobis. Sic impugnari ſe dicit Auguſtinus lib. de Correp. & grat. cap. 2.*

Digitized by Google

H.

Datâ eâ ſententiâ (gratiæ prędeterminantis) locus apertiſſimè datur errori illorum Monachorum, qui dicebant neminem corripiendum eſſe, quod non operetur bonum; ſed orandum eſſe Deum. vt ille largiatur gratiam, auxiliumue efficax, quo benè operetur. Molina. q. 14. art. 13. diſp. 53. memb. 2.

H.

Si non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus vt det quod non dedit .... Cum ergo & ipſa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis quia vides me ejus præcepta facere nolle: & non potius ipſum rogas, vt in me operetur & velle. Apud Auguſtinum ibidem. c. 4.

I.

Si prædeſtinatus ſum, quidquid hoc tempore faciam, certiſſimè tamdem ſalvabor. Conſultum igitur erit perfrui quibuſcumque potero voluptatibus. Si autem non ſum, ſimiliter etiam quidquid jam faciam, certiſſimè tandem condemnabor. Fruar igitur jam quibus potero voluptatibus. Valentia in 1. p. q. 23. diſp. 1. p. 4.

I.

Sive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales vos eritis poſtea; quales vos Deus futuros eſſe præſcivit; vel boni, ſi bonos: vel mali, ſi malos. Eſt argumentum impugnatorum S. Auguſtini, propter quod (lib. de bono perſever. cap. 15. ait) non deterremur à confitenda præſcientia Dei.

Turbidiores ſunt hæ collationes, quam vt ex fonte illimi profluxerint: illas omnes *Pſeudophilalethes* mutuatus eſt ex Magiſtro ſuo Ianſenio Iprenſi, vt jam oſtendam.

§. 2.

§. 2.

Has omnes collationes accepit ex Ianſenio.

734. SIngulæ propoſitiones prædictarum trium collationum, (ſi forte vnam vnius propoſitionis partem excipias,)extant cum aliis pluribus in parallelo quem Ianſenius in fine famoſi operis ſui inſtituit inter errores Maſſilienſium & opiniones quorumdam recentiorum. noſtros intelligit.

735. Compendii cauſa, & ne repetitione eorundem verborum nauſeam Lectori pariam, tantum loca indicabo, ex quibus collationum ſuarum propoſitiones abſtulit pudendo furto; quibus interdum breves aliquas animadverſiones adjungam, quæ confirmabunt *Pſeudophilalethem* prædictas propoſitiones non accepiſſe immediatè ex earum auctoribus, ſed ex informatore ſuo Pſeudo-Auguſtino. quamquam vel hoc vnum ſufficiat, vt id euincatur, quod vix, aut ne vix quidem fieri poſſit, vt illas non excerpſerit ex Ianſenii parallelo, & tamen ſingulæ in eo extent, quamvis ordine diverſo, vt ſic melius furtum lateat.

736. Primam noſtrorum propoſitionem in collatione ſuâ primâ, videlicet; *certè non video qua ratione potentiſſima libertas arbitrii noſtri &c.* Excerpſit ex prædicto Ianſenii parallelo cap. 1. nota. 3. pro *patentiſſima* ſubſtituit *potentiſſima.* An error ſit Typographi, an oculorum ſic legentium, an dolus aliquis in hac mutatione lateat, res mihi non eſt explorata; malim alterutrum è duobus primis credere. Cæterum valdè diverſa eſt vtriuſque vocis vis & ſignificatio.

737. Secundam propoſitionem, *omnino liberum non manet &c.* deſumpſit ex eodem loco jam citato. Vterque autem eodem modo verba Patris Vaſquez decurtavit, & non nihil immutavit: ſic habet loco ab ipſis nominato. *Deinde oſtendendum eſt ex illo decreto talem neceſſitatem ab extrinſeco imponi libertati noſtræ, vt omnino liberum non maneat iis qui electi ſunt non conſequi coronam; ac proinde libertatem eorum lædi & impediri:* ipſi autem id ſic reddunt decurtatum: *omnino liberum non manet iis qui electi ſunt, non conſequi coronam; ac proinde libertas eorum læditur, & impeditur.* Hæc decurtatio ſenſum auctoris corrumpit: abſurdum enim eſt & falſiſſimum ſimpliciter aſſerere, (vt Vaſquem ſic imminutum inducunt aſſerentem) electorum libertatem lædi & impediri: non autem, vt contendit Vaſquez, illam lædi ex decreto neceſſitatem electis imponente ab extrinſeco.

738. Tertiam, *fateor nulla ratione me poſſe aſſequi &c.* Invenit ibidem cap, 2. nota 29. Niſi quod pro iſtis verbis parentheſi incluſis, *gratiam prædeterminantem,*

ſtem, habeat Ianſenius *doctrinam de determinatione voluntatis per gratiam efficacem.*

739. Primam autem impugnantium Auguſtinum *ſcripta ejus &c.* Tranſcripſit ex cap. 2. ejuſdem paralleli notâ 21. Quæ autem ſequuntur: *dum liberi interemptor arbitrii &c.* Ex nota 22. ſecundam verò: *removeri omnem induſtriam &c.* ex cap. 1. nota 5. Tertiam autem: *inter gratiæ vocabulum &c.* Ex cap. 2. nota 29. Hæc tamen verba immediatè præcedentia: *ſub hoc prædeſtinationis nomine &c.* Non reperi in parallelo Ianſenii; nec in epiſtola Proſperi ad Ruffinum, quam citat *Pſeudophilalethes*, ſed in altera ejuſdem epiſtola ad Auguſtinum. Quem inſtructorem habuerit ad errandum in hac citatione, non eſt mihi notum. Veniamus nunc ad propoſitiones ſecundæ collationis.

740. Prima noſtrorum, *fatemur liberum arbitrium &c.* Accepta eſt ex eodem parallelo cap. 3. nota 48. Vti & ſequentia verba *nos quodammodo trahere Deum ad cooperandum.* Sed locus truncatus eſt, & ex hac truncatione malæ interpretationi obnoxius: ſic habet Leſſius ab vtroque citatus. *Reſpondeo qui dicit nos trahere Deum, antequam ab ipſo tracti ſumus, contradicit Apoſtolo; non autem, qui nos jam tractos dicit poſſe quodammodo trahere Deum ad cooperandum, vt ante explicatum eſt.*

741. Secunda, *quomodo laudem merentur &c.* Tranſlata eſt ex cap. 3. nota 49. Hoc tantum obſervo *Pſeudophilalethem* deceptum ab informatore ſuo dixiſſe hanc propoſitionem contineri in Leſſio cap. 17.

de gratia num. 18. cum hoc caput non habeat niſi numeros 10. pro 18. ponendum eſt 8.

742. Tertia *Deus expectat conſenſum voluntatis &c.* Tranſcripta eſt ex cap. 4. nota. 70. perperam prædictis verbis *Deus expectat &c.* Conjungit, *vbi hoc auxilium præveniens dedit &c.* Et pro omnibus appellat cap. 18. Leſſii num. 1. Quaſi omnia eodem contextu continerentur; cum tamen hæc verba *vbi hoc auxilium præveniens dedit &c.* Non habeantur iſto capite; ſed 12. num. 1.

743. Primà impugnantium Auguſtinum in hac 2. Collatione, nempe, *voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem &c.* Reperitur cap. 2. nota 48. Secunda, *nullius enim laudis eſſet &c.* Cap. 3. nota 49. Tertia, *vt à peccato purgemur &c.* cap. 3. Nota 62. Poſt Ianſenium præceptorem ſuum verba Concilii nonnihil immutavit: ſic enim habet Concilium Arauſicanum cap. 4. *Si quis vt à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem vt etiam purgari velimus per S. Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto &c.*

744. Ex eodem fonte hauſit propoſitiones tertiæ collationis. Hanc primam noſtrorum, *cur enim pulſaret &c.* mutuatus eſt ex c. 2. nota 27. Secundam, *Datâ eâ ſententiâ &c.* Abſtulit ex eodem capite nota 26. Tertiam *ſi prædeſtinatus ſum, quidquid hoc tempore faciam &c.* Decerpſit ex cap. 1. nota 7. ſed vterque falsò hanc propoſitionem retulit quaſi eſſet Valentiæ hanc propoſitionem adverſariis objicientis;

cum

cum ſit, vt à quibuſdam objectam, diluentis: ita enim habet loco ab ipſis citato nempe in 1. p. q. 23. diſp. 1. puncto 4. *Tertio ſequitur perperam omnino eos facere, qui hunc in modum de doctrina prędeſtinationis apud ſe ratiocinantur: vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum &c.* Tum ſubjungit: *ex his quæ docuimus evidentiſſimum eſt illo dilemmate: vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum prædeſtinatus, mirifice potius acui & excitari in nobis poſſe continuum pietatis ſtudium*, pergitque id clare & fuſe oſtendere.

745. Primam verò impugnantium Auguſtinum *vt quod nobis prædicatur &c.* Sumpſit ex cap. 2. nota 27. Secundam *ſi non fecero, non ego corripiendus ſum &c.* Exſcripſit ex eodem capite nota 26. Hic advertendum eſt *Pſeudophilalethem* eadem prorſus verba in medio ſententiæ brevitatis cauſa prætermiſiſſe, quæ Ianſenius pręteriit; quod denotat fuiſſe ex eo deſcripta. Tertiam denique, *ſive nunc rectè vivatis &c.* accepit ex cap. 1. nota 7. Iam tibi, prudens lector, ni fallor, ſuſpectæ ſunt hæ *Pſeudophilalethis* collationes, quæ ex fonte adeo vitiato prodierunt. Quam inanes ſint & malæ fidei paucis jam demonſtrabo.

SECTIO

SECTIO III.

Diſſoluuntur tres funiculi ex tribus collationibus confecti adverſus ſcientiam mediam.

§ I.

Diſſoluitur nodus primi funiculi ſeu argumenti ex prima collatione deducti.

746. PRimi ſui funiculi nodum ex eo ſtringit, quod vbique & ore conſono clamemus gratiam phyſicè prædeterminativam, quam admittunt neoterici Thomiſtæ, deſtruere liberum arbitrium ad bene operandum, & fatalem neceſſitatem inducere, ſive ad bonum ſi data ſit; ſive ad malum, ſi denegata: Idem autem Semipelagiani conclamarent adverſus gratiam ab Auguſtino aſſertam. Ex eo enim infert gratiam noſtram, quæ facilè cum libertate per ſcientiam mediam conciliatur, non eſſe Auguſtini. Alteram autem juniorum Thomiſtarum, quæ ægrè cum libero arbitrio videtur poſſe conciliari, eſſe Auguſtinianam. 747.

Digitized by Google

747. Hæc ſunt ejus verba: *principium cui innititur doctrina S. Auguſtini eſt aliquod principium ita magnificans gratiam, vt videatur tollere liberum arbitrium, & ideo difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratia.* (ad probandam hanc primam partem majoris adduxit in collatione ſua tres propoſitiones impugnantium Auguſtinum.) *Principium cui innititur doctrina ſcientiæ mediæ, eſt aliquod principium ita magnificans liberum arbitrium, vt videatur tollere gratiam, & ideo facillima apparet conciliatio libertatis cum gratia.* Falſiſſimum eſſe quod hic aſſumit nempe ſcientiam mediam ita magnificare liberum arbitrium, vt videatur tollere gratiam, clariſſimè oſtenſum eſt toto capite 2, dum illic impoſturas *Pſeudophilalethis* deteximus & refutavimus: ſubſumit & concludit; *ſed hæc duo principia ſunt inter ſe contraria; ergo doctrina S. Auguſtini, & doctrina ſcientiæ mediæ innituntur principiis contrariis, ac proinde erunt inter ſe contrariæ.*

748. Quamquam ad enervandam vim omnem hujus argumenti ſufficeret falſitas ſecundæ partis majoris propoſitionis, capite 2, vt dixi, fuſe demonſtrata: nihilominus ad pleniorem ſolutionem & Lectorem plenius inſtruendum, lubet hic aut ignorantiam, aut malam fidem *Pſeudophilalethis* aperire: atque in eum finem declarare diſcrimen rationum ob quas nos dicamus recentiores Thomiſtas admittere gratiam quæ libertatem evertat: & propter quas Semipelagiani idem Auguſtino objicerent.

749. In eo cum hodiernis Thomiſtis cęteriſque orthodoxis convenimus, quod nullum opus bo-

num, ſicut expedit ad ſalutem ſine Chriſti gratia fieri poſſe agnoſcamus; non fidei initium, non debitam diſpoſitionem ad illam, non gravis tentationis victoriam, non progreſſum in charitate, non perſeverantiam. Itaque non contendimus ab ipſis deſtrui libertatem, quod tantam gratiæ neceſſitatem ad hæc omnia requirant; ſed eandem cum illis requirimus. Sed adverſus illos decertamus, & cum eis de everſa libertate expoſtulamus, quod eam gratiam admittant, quæ phyſicè voluntatem prædeterminet; quæ ſemel data abjici non poſſit; & adeo irreſiſtibiliter effectum inferat, vt impoſſibile ſit cum ea actu componere negationem effectus.

750. Omnino autem ex altera causâ contendebant Semipelagiani deſtrui ab Auguſtino libertatem humani arbitrii ad fidem ſuſcipiendam, ad rectè operandum, ſicut expedit ad ſalutem, ad perſeverandum in charitate, ad ipſam denique ſalutem conſequendam: ex eo ſcilicet, quod doceret voluntatem hominis lapſi ad hæc volenda, abſque præveniente & adjuvante Dei gratia eſſe prorſus invalidam. ex hujuſmodi gratiæ neceſſitate inferebant tolli ad prędicta omnia libertatem arbitrii: neque enim capere poterant hominem lapſum adeo infirmum eſſe, vt ne ipſum quidem fidei & ſalutis exordium ſolis naturæ viribus inchoare poſſit; ſed ad hoc etiam egeat internæ gratiæ & prævenientis & concomitantis auxilio. hoc autem divinæ gratiæ auxilium ab vna Dei voluntate pendere, illud concedentis prout vult, & quibus vult: & tamen homini lapſo liberum

berum permanſiſſe arbitrium ad fidem ſuſcipiendam, ad perſeverandum, ad ſalutem conſequendam.

751. Et verò juxta principia *Pſeudophilalethis*, & Magiſtri ejus Ianſenii negantium dari omnibus adultis auxilium ſufficiens vel proximum, vel remotum, quo poſſint ad fidem & ſalutem pervenire; invictiſſima eſt illatio, non ſtare cum gratiæ neceſſitate cujuſlibet hominis adulti libertatem ad ſalutem conſequendam.

752. Ex hac divini auxilii prævenientis & adjuvantis neceſſitate credidiſſe Pelagianos everti libertatem teſtatur Auguſtinus epiſt. 105. Ad Sixtum his verbis clariſſimis: *putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerint.* Et in ſequenti epiſtola ad Paulinum refert hoc eſſe eorum dogma: *non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio.* Idem tradit Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem inducens Pelagii diſcipulum ſic loquentem; *deſtruitur voluntas quæ alterius ope indiget* & lib. 2. adverſus Pelagianos, *quomodo ſervas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil poſſe niſi ſemper Deus adjuverit*? de ipſis autem Semipelagianis agens Auguſtin. cap. 17. de bono perſeverantiæ, ſic eorum difficultatem exponit circa neceſſitatem gratiæ: *nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide, ne plus deſperatio quam exhortatio videatur adferre, dum cogitant qui audiunt incertum eſſe humanæ ignorantiæ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.*

753. En quod ante dicebam non potuiſſe Semi-

Digitized by Google

pelagianos hęc duo ſatis inter ſe conciliare, nempè neceſſariam eſſe gratiam ad ipſum etiam initium fidei,illamque à Deo concedi pro beneplacito ſuo ſine vllis præviis meritis ; & tamen vnicuique audienti prædicationem Evangelii liberum eſſe vt ad fidem perveniat. Vnde merita naturalia ,quæ vnuſquiſque haberet in ſua poteſtate abſque ſpeciali Dei auxilio, præmittebant dono Dei,quo reipſa ad fidem & baptiſmum pervenitur , vt diſertè aſſerit D. Proſper in epiſt. Ad Auguſtinum : *atque*, inquit, *ad hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur pervenire* (poſſit) *per naturalem ſcilicet facultatem*, *petendo* , *quærendo*, *pulſando* , *vt ideo accipiat*, *ideo inveniat*, *ideo introeat*, *quia bono naturæ bene vſus* , *vt ad iſtam ſalvantem gratiam*, *initialis gratiæ ope meruerit pervenire*. Id etiam teſtatum reliquit Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorùm ſub finem *cum in prioribus opuſculis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus donum Dei eſſe etiam fidem*, *inventum eſt quod contradiceretur* : *& ad hoc valere illa teſtimonia* , *donum Dei eſſe incrementum fidei* : *initium verò fidei*, *quo in Chriſtum creditur* , *ab homine ipſo eſſe*; *nec eſſe donum Dei*, *ſed hoc exigere Deum*, *vt cum id præceſſerit* , *cætera tanquam hoc merito conſequantur* , *quæ Dei dona ſunt*.

754. In eo igitur poſitus erat error Semipelagianorum , quod vellent initium fidei adeoque & ſalutis pendere à ſolo libero arbitrio : quod docerent debere dono fidei præire aliquem hominis ad eam conatum petendo , quærendo, pulſando, qui ex ſolis naturæ viribus prodiret : alioqui non poſſe intelligi;

Digitized by Google

intelligi; quomodo, homini liberum ſit ad fidem & ſalutem pervenire, ſi ipſum etiam fidei exordium pendeat à Dei gratia, quam habere non ſit in hominis poteſtate.

755. Nos verò non ex iſta gratiæ neceſſitate hodiernos Thomiſtas impugnamus, quod humanam libertatem doctrinâ ſua, vt putamus, evertant; cum nos etiam eandem neceſſitatem prædicemus: ſed ex altero prorſus capite, ex eo ſcilicet quod gratiam admittant voluntatis noſtræ phyſicè prædeterminativam: quam phyſicam gratiæ virtutem nunquam Auguſtino objecerunt Semipelagiani, dum queſti ſunt per doctrinam ejus de gratia tolli liberum hominis arbitrium.

756. Cum igitur cauſa ſit omnino alia, propter quam illi contenderent libertatem voluntatis deſtrui per doctrinam Auguſtini de gratia: & ex quâ nos inferimus libertati perniciem inferri ex ijs quæ Thomiſtæ recentiores tradunt de prædeterminatiua gratiæ virtute: non poteſt non eſſe inepta collatio eorum quæ Semipelagiani olim Auguſtino objiciebant, cum iis quæ nos neotericis Thomiſtis objicimus de everſa ab iis libertate.

757. Quod ſi recurras ad decretum Dei, quo alios ad gloriam prædeſtinat, alios ad pœnam; veliſque Auguſtinum admiſiſſe hanc diſcretionem electorum à reprobis factam fuiſſe ante præviſa merita & demerita, atque inde Maſſilienſes maximè turbatos, quaſi ex hoc decreto ſequeretur fatalis neceſſitas aut gloriæ, aut pœnæ æternæ: di-

cam

eam tibi hujuſmodi decretum etiamnum plurimis Theologis ex omni Academia clariſſimis videri nimis durum : & quidem quantum attinet ad reprobationem , vnanimi fere conſenſu ab omnibus rejici.

758. An autem Auguſtinus primam prædicti decreti partem, quę ſcilicet electos ſpectat , admiſerit ; adhuc lis eſt ſub judice. Et quamquam id tibi daretur , nihil adhuc in his collationibus conficeres adverſus ſcientiam mediam, cum tale decretum non repugnet illi , illudque admittant Suares, Ruiz, Granadus & alii pręcipui hujus ſcientiæ aſſertores.

759. Vt integra permaneat doctrina ſcientiæ mediæ circa gratiæ efficaciam , ſufficit ſi executio talis decreti non fiat per gratiam ita ab intrinſeco efficacem ; vt conſenſum voluntatis irreſiſtibiliter inferat, ſitque abſolutè impoſſibile, vt actu ſtet cum ejus diſſenſu ; qualis eſt gratia, vt probamus, phyſicè prędeterminativa : Sed fiat per auxilium gratiæ ,quæ, licet ſecundum entitatem ſuam ſpectata poſſit actu conjungi cum voluntatis diſſenſu ; tamen , vt ſubeſt ſcientiæ mediæ , quâ a Deo pręviſa eſt effectum habitura , ſi detur , illum infert certiſſimè,& omnino infallibiliter , quia pręſcientiæ divinæ non poteſt ſubeſſe falſitas.

Itaque habito etiam reſpectu ad decretum electionis ad gloriam ante pręviſa merita; & dato non conceſſo, quod Auguſtinus illud tenuerit; inanis adhuc eſt *Pſeudophilalethis* prima collatio adverſus ſcientiam mediam.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Scinditur ſecundus nodus ſecundi funiculi ſeu argumenti ex ſecunda collatione petiti.

Non potero validius hunc nodum ſcindere, quam ſi aperiam quo ſenſu impugnatores S. Auguſtini vſurpent propoſitiones ſecundæ collationis; quove ſcriptores noſtri: nam ex ipſa palpabili ſenſus diverſitate ſtatim hic nodus evaneſcet.

760. Hæc prima eſt propoſitio Impugnatorum S. Auguſtini à *Pſeudophilalethe* adducta: *voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem; non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem*: hujus autem propoſitionis hic certò ſenſus eſt: *voluntas hominis* diligentia ſua & conatu ſuo naturali ad obediendum *divinæ gratiæ ſibi pariat opem* ad perficiendum quod cœpit velle, *Non gratia* omnem voluntatis diligentiam & conatum præveniens *humanam ſibi ſubjiciat voluntatem* efficaci ſua motione, vt Deo velit obedire.

761. Hic ſenſus evidenter colligitur ex tota Proſperi epiſtola, ac nominatim ex verbis immediate præcedentibus, quæ talia ſunt: *ita demum enim poſſe* (ſubintellige, dicunt) *vnumquemque ad correctionem*, *aut*

aut ad profectum vocari, ſi ſe ſciat ſuâ diligentia bonum eſſe poſſe, & libertatem ſuam ab hoc Dei auxilio juvandam, ſi quod Deus mandat elegerit. Ac ſic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam eſſe, quam gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.

762. Senſum autem omnino diverſum habet Leſſii propoſitio, quam priori æquiparat: hic enim illius ſenſus eſt: *fatemur liberum arbitrium* à gratia præventum & excitatum, libero conſenſu ſuo *directè eſſe cauſam non* præagendo, ſed determinando; *cur hic & nunc Deus* cum illa *influat in opus tum per dona ſua, tum per ſeipſum: non autem Deum aut gratiam cur liberum arbitrium hic & nunc influat*, phyſicè illud determinando. Hic ſenſus Leſſii aperte colligitur ex verbis immediatè præcedentibus. *benè*, inquit, *operari non poſſumus; niſi à Deo præventi, id eſt, attracti, & allecti divinâ inſpiratione, quâ voluntas noſtra præparetur, ut jam bonum opus ſit in ipſius poteſtate, ſed neque voluntas ſic præparata prævenit Deum in efficiendo opere bono; quia non niſi per vires gratiæ illud efficere poteſt.* Pondera *Pſeudophilalethes* ſingula hæc Leſſii verba, & confer cum verbis Semipelagianorum allatis numero præcedenti; & clare agnoſces quanta ſit utriuſque doctrinæ oppoſitio: proindeque te perperam prædictas propoſitiones æquiparaſſe.

763. Hæ duæ ſequentes propoſitiones, videlicet

hæc

hæc Caſſiani : *nullius enim laudis eſſet & meriti, ſi id in eo Dominus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.* Et Leſſii altera, *Quomodo laudem meretur, ſi credant & bene operentur, cum Deus hoc totum in ipſis faciat*, licet prima ſpecie videantur ſimiles & vtrique querantur materiam laudis & meriti ex libertatis excidio ſublatam: quemadmodum tamen, vt ſupra vidimus in examine collationis primæ num. 746. & ſeqq. ex cauſis plane diverſis libertatis jacturam arguunt: Maſſilienſes quidem; ſed malè, ex neceſſitare gratiæ prævenientis omnes liberi arbitrii motus ad ſalutem conducentes ab Auguſtino tradita: Leſſius verò, & vt putamus, rectè, ex natura gratiæ prædeterminantis à junioribus Thomiſtis aſſertæ. Sicut hęc principia deſtructæ libertatis, proindeque & ſublatæ meriti & laudis materiæ prorſus diverſa ſunt; ita duæ prædictæ propoſitiones non poſſunt conferri, vt ſimiles, niſi ab ignorante hanc diverſitatem.

764. Diverſiſſimo etiam ſenſu vtrique dicunt Deum expectare voluntatem noſtram: Leſſius quidem rectiſſimo: illi autem perverſiſſimo. Rectiſſimo Leſſius, quia fatetur liberum arbitrium divina gratia pręveniri, Deum ab eo jam prævento, excitato & moto expectare vt conſentiat, vt in opus exeat vt fructum bonum proferat beneficio gratiæ ſuæ: quæ Dei expectatio certè ſalua fide negari non poteſt, cum in litteris ſacris ſæpius ſit aſſerta. Dei hoc modo expectantis ſunt hæc verba: *ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit, intrabo* Apoc. 3. Expectantis ſunt illa: *quid eſt quod debui vltra facere*

cere vineæ meæ & non feci ei? an quod expectavi ut faceret vuas & fecit labruſcas. Iſaiæ 5. Expectantis iſta: *expectavi vt faceret judicium, & ecce iniquitas.* Ibid. Vide quæ de hac re fuſe diximus cap. 2. ſect. 8. §. 6.

765. Alio prorſus ſenſu aſſerebant Semipelagiani Deum expectare voluntatem noſtram: hoc ſcilicet ſenſu quem Auguſtinus expreſſit lib. de prædeſt. 5. ſub finem: *initium fidei, quo in Christum creditur, ab homine ipſo eſſe; nec eſſe donum Dei: ſed hoc exigere Deum, vt cum id præceſſerit, cætera tanquam hoc merito conſequantur, quæ Dei dona ſunt.* Hoc eodem quem Proſper declaravit in epiſt. ad Auguſtinum. *Cum in his qui tempus acceperùnt liberæ voluntatis duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam eſſe, quam gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſaluat.*

766. Hic igitur ſenſus eſt perverſiſſimus expectationis à Semipelagianis aſſertæ à Concilio Arauſicano damnatus; quod vellent in converſione infidelis & impii Deum expectare aliquem ejus naturalem motum ad converſionem ſuam, itaut ſine auxilio gratiæ inciperet eam velle, eam quærere: Deus autem intuitu hujus voluntatis, hujus diligentiæ largiretur gratiam per quam adjuvaretur ad juſtificationem aſſequendam.

767. Cum ergo Leſſius, cæterique ſcientiæ mediæ Defenſores vnanimes doceant non poſſe infidelem aut impium incipere velle converſionem ſuam ad Deum niſi divina gratia omnino gratuita præveniatur

prçveniatur qua ad id excitetur & moveatur: non potuit *Pſeudophilalethes* niſi fide peſſima, aut ex ignorantia intolerabili illis attribuere Maſſilienſium errorem, quoad prædictam Dei expectationem.

768. Veniamus nunc ad ſecundum funiculum ſeu argumentum ex hac ſecunda propoſitionum collatione à *Pſeudophilalethe* deductum, & ſic propoſitum: *doctrina quæ probatur iiſdem omnino argumentis, quibus impugnatur doctrina S. Auguſtini, non poteſt eſſe eadem cum doctrina S. Auguſtini: ſed doctrina ſcientiæ mediæ iiſdem omnino argumentis probatur, quibus impugnatur doctrina S. Auguſtini; ergo &c.* Hanc minorem, quæ falſiſſima eſt, ſic probat inaniter: *impugnatio vnius partis contradictionis eſt probatio alterius partis &c. Sed Molinæ diſcipuli iiſdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. Auguſtini, impugnant gratiam prædeterminantem contradicentem doctrinæ ſcientiæ mediæ: ergo iiſdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. Auguſtini, probatur etiam doctrina ſcientiæ mediæ.*

769. Quam inanis ſit hæc probatio, ex eo liquet; quod in ea ſupponat doctrinam Auguſtini circa efficaciam gratiæ eandem eſſe, ac doctrinam juniorum Thomiſtarum ponentium vim gratiæ in phyſica voluntatis prædeterminatione: cum tamen Auguſtinus; vt fuſe oſtendi cap. 2. ſect. 1. toto §. 4. Nuſquam admiſerit aliam efficaciam gratiæ prçvenientis quam moralem in eo poſitam, quod ſic vocet, ſic excitet, ſic moveat voluntatem hominis, quomodo aptum eſt, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat, vt mo-

Digitized by Google

ventem ſequatur: Hæc ſunt ejus verba ad Simplic. q. 2. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem*: non dicit qui eos phyſice prædeterminavit ad ſequendum. Et infra: *ſi vellet ipſorum miſereri. poſſet ita vocare* (non dicit prædeterminare) *quomodo illis aptum eſſet vt & moverentur & intelligerent & ſequerentur*. Et rurſus: *etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur*. Et iterum: *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat*. Hæc ne redolent gratiam phyſicè prædeterminantem; an dumtaxat apte moventem, & congruè excitantem? idemne eſt apte movere & congruè excitare, ac phyſicè prædeterminare? qui alterum conſilio ſuo apte movet & congruè excitat, ideone phyſicè illum prædeterminat? enimverò hæc gratiæ aptitudo, hæc convenientia, hæc congruitas prævíſa ad voluntatem efficaciter movendam, perfectiſſimè convenit ſcientiæ mediæ, quæ his Auguſtini verbis *quomodo ſcit ei congruere* non obſcure innuitur: hoc enim idem eſt ſcientiæ mediæ pronunciatum, tum Deum efficaciter vocare & movere infidelem aut impium, quando ſic eum vocat & movet; quomodo ſcit ei congruere, vt vocanti obediat, vt moventem ſequatur.

770. Iam verò illud novit per ſcientiam conditionate futurorum ſeu mediam, qua ſcilicet perſpectiſſimum habet quidquid eſt aut eſſet ſub qualibet conditione futurum. Scit ergo per illam quomodo

modo his aut iſtis circumſtantiis, cum hac aut iſtâ indole, animo ſic aut ſic diſpoſito quiſque vocandus ſit & movendus aptè & congruè ad ſequendum. Sic igitur pro ſolo beneplacito ſuo vocans aliquem vt per ſcientiam mediam præviderat movendum ad hoc vt vocantem ſequeretur; vtique efficaciſſimè illum vocat & movet.

771. Quid eſt in hac doctrina quod non eſt conſentaneum cum hac Auguſtini ſententia, *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat*? numquid agit de ſcientia qua prius novit quomodo vocandus eſſet, vt vocantem non reſpueret? numquid de ſcientiâ, quâ perſpectum habuit ſequuturum, ſi illum gratia ſua his circumſtantiis ſic vocaret? non potuit igitur *Pſeudophilalethes* niſi falſiſſimè aſſerere, nos Auguſtini doctrinam de gratia impugnare, dum recentiorum Thomiſtarum gratiam prædeterminantem impugnamus.

772. At, *inquit*, ſcientiæ mediæ defenſores iiſdem argumentis impugnant gratiam prædeterminantem, quibus Semipelagiani olim impugnabant gratiam ab Auguſtino prędicatam: nam vt hi contra Auguſtinum; ita illi contra hodiernos Thomiſtas arguunt libertatem per illam deſtrui; & quod inde conſequens eſt, per eandem tolli meritum & demeritum, laudem & vituperium.

773. Hæc inſtantia prorſus evaneſcit ex his quæ diximus §. præcedenti; vbi oſtendimus Semipelagianos aliâ prorſus ex causâ vrſiſſe adverſus Auguſtinum

num deſtructionem libertatis : & ex alia nos idem vrgere adverſus aſſertores phyſicæ prædeterminationis. Id vrgebant illi ex gratiæ neceſſitate ad ipſum etiam initium fidei & ſalutis ab Auguſtino propugnatâ : nos verò admiſsâ iſtâ neceſſitate id vrgemus adverſus neotericos Thomiſtas ex natura gratiæ phyſicè prædeterminantis ab ipſis defenſæ contra mentem, vt credimus, Auguſtini.

774. Tres Semipelagianorum propoſitiones deſcriptæ in ſecunda collatione hunc vnum habent ſcopum, videlicet gratiam Chriſti non prævenire liberum arbitrium ad ſalutem inchoandam; ſed voluntatem propriis viribus illam incipere; tumque intuitu felicis hujus incoepti gratiam adjuvantem concedi ad perficiendum quod bene coeptum eſt. Hinc hæ illorum voces in prędictis propoſitionibus, *voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem*, per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando, vt loquitur Proſper in epiſt. ad Auguſt. *Non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem* prçveniendo illam, ipſumque ſalutis initium operando. Hinc illæ aliæ; *nullius enim eſſet laudis & meriti &c.* Si nempe non voluntas gratiam, ſed voluntatem prçveniret gratia. Hinc iſtæ : *vt à peccato purgemur voluntatem noſtram Deus expectat*, vt prçeunte naturali aliquo voluntatis ad juſtificationem conatu ſubſequatur gratia ad eam perducens.

775. Tres verò aliæ propoſitiones ex Leſſio adductæ aliud omnino ſpectant : nam ſuppoſita maximâ illâ gratiæ indigentiâ ad ipſum etiam ſalutis exordium; hoc ſolum intendunt, gratiam illam præve-

nientem

nientem adeò neceſſariam, non eſſe talem, vt voluntatem phyſicè prædeterminet; quam virtutem nuſquam agnoſcit Auguſtinus; nec de ea vnquam diſceptavit cum Semipelagianis, ſolam vrgens adverſus illos gratiæ prævenientis neceſſitatem ad ipſum etiam ſalutis initium & boni operis exordium.

§. 3.

Evolvitur tertius funiculus ſeu tertium argumentum tertiæ collationis.

776. VT tertium funiculum ſeu argumentum adverſus ſcientiam mediam ex propoſitionibus tertiæ collationis deductum penitus evolvam, hoc vnum mihi præſtandum eſt, vt ſcilicet oſtendam injuſtas eſſe Semipelagianorum querelas in tertia collatione deſcriptas adverſus Auguſtini doctrinam de gratia: quod ſcilicet induceret impoſſibilitatem obſervationis mandatorum, correptionis inutilitatem, & occaſionem deſperandi. Noſtras autem circa hæc tria juſtas eſſe adverſus phyſicæ prædeterminationis defenſores. Namque ſi immeritò illi objecerint Auguſtino, quod nos jure objicimus junioribus Thomiſtis; clarum eſt non eſſe eandem eorum & Auguſtini Doctrinam circa gratiam.

777. Ideo Maſſilienſes hæc tria Auguſtino ob-

jiciebant, quod doceret neminem poſſe opus ſalutis ſuæ inchoare, diſponendo ſe ad fidem aut juſtificationem per prævium aliquod illius deſiderium & priorem aliquem conatum, niſi gratia hoc deſiderium, hunc conatum præveniret, & vtrumque in eo operaretur. Neminem poſſe velle declinare à malo & facere bonum ſicut expedit ad ſalutem, niſi gratia præveniat & operetur hoc velle. Id liquet ex libro de correptione & gratia; & ſufficienter probant duæ primæ propoſitiones tertiæ collationis ex hoc libro deſumptæ.

778. Injuſtiſſimæ autem ſunt ex hoc capite Maſſilienſium hac de re adverſus Auguſtinum querelæ: quamvis enim juxta Auguſtinum, & omnes orthodoxos initium fidei & juſtificationis, ipſumque boni deſiderium prævenire debeat Dei gratia, atque hæc omnia in nobis operari: *quia tamen conſentire Dei vocationi, vel ab ea diſſentire propria voluntatis eſt*, vt loquitur Auguſtinus lib. de ſpir. & litt. cap. 34. *Quia liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum* poteſt *diſſentire ſi velit*, vt definit Trident. ſeſſ. 6. can. 4. de juſtif. Quia hujuſmodi eſt illa gratia præveniens, vt poſſit abjici, vt loquitur idem Concilium prędicta ſeſſ. cap. 5. Quia non operatur in nobis converſionem & juſtificationem noſtram, niſi nobis liberè volentibus: propterea, cum data eſt, nullam adfert voluntati neceſſitatem, proindeque nullo modo ſuperfluæ ſunt hortationes, vt Deum vocantem ſequamur, vt gratiæ ejus cooperemur, vt declinemus à malo & faciamus bonum; cum ex nullo alio capite,

capite, quam ex neceſſitate agendi aut non agendi, ad hæc hortari, poſſit eſſe ſuperfluum.

779. Cum nullus ſit quem Deus omnino gratia ſua deſerat remote ſaltem ſufficienti, vt ad ipſum convertatur: nemo, qui orando non poſſit gratiam impetrare vt declinet à malo & faciat bonum: non poſſunt dici injuſtæ eſſe correptiones delinquentium, aut inutiles; cum tales eſſe nequeant niſi ex gratiæ neceſſariæ defectu, aut medii ad illam impetrandam. Hoc medium oratio eſt, juxta illud Chriſti Lucę 22. *Orate ne intretis in tentationem*: vt autem oremus ſtimulat correptio: dum enim nobis defectus noſtros oſtentat propter quos corripimur, excitat nos vt Dei auxilium imploremus, ne deinceps deficiamus.

780. Illud ipſum eſt quod reſpondet Auguſtinus de ſua correptione querenti: vbi enim libro de correptione & gratia cap. 5. induxit hoc modo querentem: *cum ergo & ipſa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle: & non potius ipſum rogas, vt in me operetur & velle? ad hæc reſpondemus: quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis: non vis enim tibi tua vitia demonſtrari: non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, vt cum deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa remaneas fœditate.*

781. Propter eandem rationem immeritò etiam ex neceſſitate gratiæ ab Auguſtino aſſerta inferebant ſervandæ legis impoſſibilitatem; quia ſcilicet

juxta Auguſtinum, vel auxilium gratiæ non deeſt ad pręcepta implenda; vel certè poteſt orando impetrari: *quando*, inquit, *non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent, vt quod nondum habent accipiant.* Lib. de correp. & grat. cap. 2.

782. Nos autem non ex hac gratiæ neceſſitate, quam ipſi etiam prędicamus, hodiernis Thomiſtis objicimus, quod doctrina ſua reddant exhortationes vanas, injuſtas correptiones, & præcepta plurimis impoſſibilia: ſed ex eo quod gratiam illam adeò neceſſariam velint eſſe phyſicè prædeterminativam. Credimus enim & validiſſimè probamus cum hac virtute prædeterminativa non ſtare libertatem voluntatis; quia ſi data eſt, non poteſt abjici: non poteſt voluntas actu ei diſſentire, contra Trident. ſupra citatum ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. de juſtif.: ſed neceſſariò, ſed irreſiſtibiliter infert voluntatis conſenſum. Si verò non eſt data, nec ſit in poteſtate noſtra illam habere, cum ſupponatur neceſſaria ad legem implendam; ſequitur impoſſibile tunc eſſe præcepta legis implere. Et quod inde conſectaneum eſt ſuperfluas eſſe exhortationes & correptiones injuſtas.

783. Nec ipſi reſpondere poſſunt tunc eſſe orandum, vt gratia illa prædeterminans impetretur: cum enim neceſſaria etiam ſit talis gratia ad orandum; ſi denegata eſt, non eſt poſſibilis oratio. Si conceſſa, neceſſariò oratur. Cum ergo, quiſquis peccat, caruerit gratia phyſicè prædeterminativa ad orandum eo modo, quo alteram gratiam impetraſſet phyſicè voluntatis prædeterminativam ad implendũ

præceptum:

Digitized by Google

præceptum: ſequitur ne mediatè quidem, mediante ſcilicet oratione, poſſibilem fuiſſe illi præcepti impletionem.

784. Specialiter id vrgetur adverſus *Pſeudophilalethem* vltro fatentem num. 116. Hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ quandoque carere facultate ad orandum. Hæc ſunt ejus verba: *non igitur omnes accipiunt orationem, cum non omnes ad Deum recurrant: nec etiam ORANDI OMNES HABENT POTESTATEM, cum non omnes cognoſcant ſuam infirmitatem: nam ſicut actualis cognitio requiritur vt voluntas ſit ſufficienter potens ad volendum; ita actualis cognitio ſuæ indigentiæ & infirmitatis requiritur, vt voluntas ſit ſufficienter potens ad petendum Dei auxilium: ac proinde qui credit ſe potentem, impotens eſt ad orandum.*

785. Ex dictis patet inanem eſſe hanc ratiocinationem: Semipelagiani Auguſtino objiciebant doctrinam ejus de gratia inducere legis ſervandæ impoſſibilitatem, occaſionem deſperandi, & ex ea fruſtraneas reddi injuſtaſque correptiones; atque hortamenta evadere inutilia: atqui idem nos junioribus Thomiſtis objicimus: ergo eadem eſt Auguſtini & illorum doctrina de gratia. Vt enim hoc argumentum aliquid concluderet, deberemus hæc omnia illis objicere propter eandem rationem ob quam iſti eadem Auguſtino objiciebant: jam verò luculenter oſtenſum eſt aliam omnino fuiſſe cauſam; ipſi enim hæc falſa & abſurda inferebant adverſus Auguſtinum ex neceſſitate gratiæ ad ipſum etiam ſalutis initium ab ipſo prædicata: nos autem hæc adverſus recentio-

Digitized by Google

res Thomiſtas inferimus ex efficacia gratiæ ab ipſis poſita in virtute phyſicè prædeterminativa. Cum ergo alia prorſus ſit cauſa iſtarum objectionum ſimilium, non poteſt ex hac objectorum ſimilitudine, niſi inaniter inferri doctrinæ paritas.

786. At, inquies, hæc etiam inferebant ex ipſa gratiæ efficacia ab Auguſtino tradita: quid enim aliud indicant hęc illorum verba: *vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, vt declinemus à malo & faciamus bonum, ſi hoc non agimus; ſed id velle & operari Deus operetur in nobis*.: Lib de correp.& grat.cap.2. Quid aliud iſta: *cum ergo & ipſa voluntas à Domino pręparetur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle; & non potius ipſum rogas, vt in me operetur & velle.*

787. Reſp. vtrumque quidem cauſam dediſſe prædictis querimoniis, & neceſſitatem gratiæ & efficaciam, ſeu potius vtrumque per modum vnius videlicet neceſſitatem gratiæ efficacis maximè ad initium fidei & juſtificationis, & ad bonum inchoandum. Nos verò minimè etiam ex ea parte hodiernos Thomiſtas impugnamus: ſed hanc neceſſitatem gratiæ efficacis agnoſcimus, quæ ipſum fidei & juſtificationis exordium, ipſam inchoationem & volitionem boni ad ſalutem vtilis, in nobis operetur. Sed adverſus illos vehementer contendimus id Deum in nobis non operari per gratiam voluntatis noſtræ phyſice prędeterminativã, quam impoſſibile ſit actu componi cum diſſenſu voluntatis; ſed per gratiam, vt explicuit Auguſtinus, interna mentis illuſtratione, & inſpiratâ voluntati boni complacentiâ, ita ſuaviter, ita apte, &

congrue

Digitized by Google

congrue moventem, quomodo aptum eſt & congruum vt Deum per eam moventem re ipſa ſequamur. Vide hac de re dicta cap. 2. ſect. 1. §. 4.

788. Iam verò cum hæc gratiæ efficacia ab Auguſtino aſſerta non ſit talis, vt abſolutè repugnet cum ea conjungi voluntatis diſſenſum : cum ſit talis vt abſolutè poſſit à voluntate abjici : vt ejus motioni poſſit diſſentire ſi velit, vt deſinivit Tridentinum: Vel vt Auguſtinus loquitur lib. de ſpir. & literâ, talis ſit Dei per gratiam vocatio, *vt conſentire Dei vocationi, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis ſit* : Talis verò efficacia divinæ vocationis ſeu gratiæ prævenientis nullo modo officiat libertati ; non niſi inepte inferebant Semipelagiani admiſſa ejus neceſſitate ad ipſum etiam exordium ſalutis, & cujuſlibet boni operis ad ſalutem conducentis inania eſſe monita, ſupervacaneas hortationes, correptiones injuſtas, & ſublatam omnem laudis & meriti materiam : quia hæ omnes querimoniæ non poſſunt aliunde jure meritò prodire, quam ex everſa libertate.

789. Itaque ad argumentum *Pſeudophilalethis* ſic in forma propoſitum : *eadem doctrinæ debent habere eoſdem effectus : ſed doctrina ſcientiæ mediæ & doctrina S. Auguſtini non habent eoſdem effectus : ergo doctrina ſcientiæ mediæ non eſt eadem cum doctrina S. Auguſtini.* Tum minorem ſic probat : *plurimi acuto valentes ingenio crediderunt doctrinam S. Auguſtini impoſſibilitatem præceptorum inducere, fruſtraneas ex ea fieri correptiones, atque occaſionem deſperationis tribuere.*

Ad

Ad hanc, inquam, minoris, in qua vis tota ſita eſt, probationem, Reſpondeo illos hæc intuliſſe ex doctrina Auguſtini de gratiâ male intellecta: minimè autem hæc conſequi ex ea in verò ſenſu acceptâ; vt ante oſtendimus. Atque ita ſponte ſua diſſilit triplex ille funiculus adverſus ſcientiam mediam à *Pſeudophilalethe* confectus ex tribus collationibus quarum ſingulæ propoſitiones acceptæ ſunt ex Ianſenii parallelo ſupra memorato.

Illud certè *Pſeudophilalethi* perenni vertetur probro, quod doctrinæ ſuæ Magiſtrum habuerit Ianſenium: quod hoc informatore vſus ſit ad ſcientiam mediam per plurimas impoſturas traducendam: quod anonymum illum, cujus opus manu carnificis flammis traditum eſt, Manuductorem ſecutus ſit, vt moralem noſtram proſcinderet.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

5-5-1